Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Peter Hinckelmann

Calvinismi Errores Praecipui Vere Tortodoxi, In Omnibus Fere Articulis Fidei ... : Cum succincta eorum refutatione ad disputandum propositi

Rostochii: Reusnerus, 1611

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0001
DFG

AC
30.

Log A – D.
A – C.
A – C
A – E
A – C
A – C.
A – E.
A – C.
A – B
A – B.
A – B
A – C
A – B
A – B
A – B.
A – B.
A – C.
A – B
A – D.
A – C
A – B

31 b. 7.

151

F.g – 1180. <R> <

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn757442218/phys_0002
DFG

CALVINISMI

ERRORES

PRÆCIPUI VERE

ORTODOXI, IN OMNIBUS

FERE ARTICULIS FIDEI,

ἐν μιᾷ συνόψει, συζυτήσεσι XXII,

Cum succincta eorum refutatione ad disputandum propositi.

AUTHORE ET PRÆSIDE

M. PETRO HINKELMANNO,

Archidiacono Templi Jacobai.

Tit. 1. 7. 9.

Δεῖ τὸν ἐπίσκοπον ἀντέχεσθαι τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, ἵνα δυνατὸς ᾖ καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν.

ROSTOCHII,

Ex Officina Typographica Christophori Reusneri,

ANNO M. DC. XI.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0009

DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Illustrissimis Principibus ac Dominis,

DOMINO ADOLPHO FRIDERICO,

DOMINO JOHANNI ALBERTO,

Fratribus germanis, Ducibus Megapolensibus, Principibus vetustæ gentis Henetæ, Comitibus Suerinensibus, Dominis Rostochii & Stargardiæ, Dominis suis clementissimis,

Gratiam, salutem ac pacem à Deo pacis, ac fonte salutis.

ILlustrissimi Principes ac Domini, Domini clementissimi, multis quidem de causis ab hoc studii genere posthac feriari, præsertim cum in testaceo meo vasculo tantum thesaurum me non gestare deprehendam, qui hoc modo, & ad ἑτεροδοξίας oppugnationem & destructionem, & ad ὀρθοδοξίας propugnationem & confirmationem necessariò requiritur; atque propterea Calvinianam hæresin scriptis magis quàm vivâ voce (quæ suo loco etiam auditur) reprimendam & coërcendam, aliis potius ingenii vigore & eruditionis acumine multis me parasangis post se relinquentibus, qui longè feliciori eventu & uberiori cum fructu id præstarent, relinquere constitueram; sed vicit me, & otiosum certaminis Calviniſtici spectatorem magis, quàm negotiosum athletam esse prohibuit, altera illa Ministerii ἐλεγκτικὴ pars, ab Apostolo fidis mysteriorum Dei dispensatoribus demandata & inculcata: Quicquid interim quidam, quos Theologicarum controversiarum & scriptorum polemicorum tractatio malè propitios habet, contradicant, hoc genus scriptionum ex Ecclesia relegantes, & pacem in medio bello somniantes. An illi S.S. spiritum prohibebunt officio suo ἐλεγκτικῷ, ne causam suam contra partem adversantem agat? An verò ministerii Ecclesiastici munia ac partes contrahent? An non indiciis

Act. 20. 28. Tit. 1 9. 2. Tim. 4. 2

Iohan. 16. 8.

ciis haud obscuris constat, nunquam hæreses majoribus incrementis surrexisse, quàm cum præpostero pacis studio magis, quã aperto marte lucrifieri eas posse, stultè speratum fuit? Vicit deinde ingens amplitudo & improbus progressus istius nefariæ hæreseως, quæ non in uno atq; altero, ut multi sibi persuadent, sed in omnibus ferè, iisq; præcipuis fidei articulis horrendos fovet errores, iisq; ut gangrena, ceu Hymenæi & Phileti dogma, serpit, & instar rapidissimæ flammæ obvia quæq; corripit, quæ nunquam nimium restingui potest. Quemadmodum itaq; exorto incendio fieri solet, cum quilibet in commune consulit, & hoc unum agit, ut malum aut incendium imminens velut à cervicibus Reip. depellatur, ne illud vires eundo sumat, & universæ civitati irrecuperabile damnum creet: Sic & ego; quamvis alios in prima acie stare, & adversus hostes Veritatis animosè depugnare sciam, tamen non post principia otiosus glisscentis hæreseως Calvinianæ spectator esse, sed ejus restinguendæ causa, tum privatis disputationibus, dum publicis scriptionibus, & me ipsum exercere, & alios, præsertim hujus conflictus inexpertes, pro virili præparare & adjuvare volui, ut, sic conjunctis operis & operibus ei sectæ resistatur, & nostræ laboranti Ecclesiæ succurratur. Cum enim illi homines suam causam gnaviter agant, controversiasq; Theologicas multorum cum applausu tractent, eorumq; scripta in summo precio, tanquam ἀποφθέγματα habeantur, & ceu κειμήλια quædam asserventur, summâq; cum admiratione legantur, non tantum à suis, qui eos tanquam invictos Athletas prædicant, cum quibus nullus nostrûm in arenam descendere audeat, aut iis respondere possit? Uerùm etiam à plerisque nostrûm, qui eos judicant, ut multi etiam sunt, viros doctos, ingenio felici & judicio subtili, lectioneq; multiplici præditos, ac propterea illis faciles aures præbere atque adhærescere incipiunt. Hîc certè cùm fides & industria nostra contra eos vel maximè requiratur, non decet nos, in ipsis excubiis ceu mutos canes, & vigiles in specula cæcutientes, Ecclesiam in media acie hostili exarmatam relinquere, victoriamq; illis ultrò projectis armis, quasi conclamatum sit, cedere; sed ad depositum nostrum sartum tectum conservãdum, attendere nobis & universo gregi, in quo nos S. S. spiritus posuit

Act. 20. 28. 29. 30. 2. Tim. 1. 14. 1. 2. 3, 15. 25.

fuit Episcopos; contra lupos graves non parcentes gregi, & loquentes perversa, ut abducant multos vigilare, tanquam milites I. C. & operarii inconfusibiles, corrigere eos, qui veritati resistunt, cum potentia ἀνελέγοντας ἐλέγχειν & vaniloquis seductoribus, qui universas domos subvertunt, os obstruere, divinitùs jubemur. Vicit denique indubia spes, hanc mei qualiscunq; laboris portionem Deo probari, cujus gloriam & veritatem, adversus calamistratas Calvinianorum strophas, pro talento mihi concesso, tutatus sum; atque propterea in Domino inanem haud futuram. Quamvis itaque me in hoc meo opere Anticalvinistico, omnium, præsertim eruditorum judicio non satisfeciisse αὐτοψίαν loquatur; ultrò enim largior me multum illorum industriæ & eruditioni reliquisse, quâ si hanc meam operam obscuraverint, non adeò invidebo, ut potius ex animo nostræ religioni gratulaturus sim: tamen hoc meo conatu donum qualecunque in me excitans animum meum propugnandi veritatem cœlestem, eamq; à sordibus & fæcibus Calvinianis repurgandi ostendi, haud sine earum, si non sat sufficienti refutatione, saltem detectione atque examinatione: ut Philotheologi tyrones ἐν μιᾷ συνόψει habeant Calvinianorũ præcipuos in omnibus ferè locis errores, & ad eos Laconicam responsionis σκιαγραφίαν, ut eâ ad majorem in orthodoxia confirmationem utantur, & ad heterodoxiam majori cum dexteritate refutandam, manu quasi ducantur. Cum enim hostis ille Dei, qui semper cum Ecclesia Christi ἀγωνιστὴν bellum gessit, hisce postremis mundi temporibus, magis quàm antehac unquam maximis & gravissimis controversiis & certaminibus per gentem Sacramentariam, nostram orthodoxiam petat, certè hoc officium Ecclesiæ quisque suo loco debemus, ut invicem nos instruamus & muniamus, tum & tyrones, de momentis rerum, quæ in controversia Calviniana hærent, moneamus, ne illi, cum spiritum dijudicandi præstigias & impostura adversariorum nondum habeant, errorib. illorum, speciosis verbor. fucis exornatis, fascinati, temerè illis applaudãt; sed quid ad quoslibet errores, ex S. S. Scripturæ fundamentis sit responsum, perpẽdãt, ac inde virus Calvinianum agnoscentes, illud angue & cane pejus fugiant, fundamentisq; S. S. Scripturæ affixi maneant. Quod verò

Tit. 1, p. 10.

verò ad totum cursum Disputationum harum XXII. totam matæologiam ejusque examen continentium, attinet; Primò errores in omnibus ferè fidei articulis ex ore ut plurimum adversariorum, ne calumniam sibi usitatam prætendant, in conspectum produxi; Deinde in refutatione, Erroris explicationi præmissæ, S.S. Scripturæ dicta perspicua & aperta, iisque fundamenta certa & firma asscripsi, subjunctis, ubi in promptu haberi potuerunt Patrum orthodoxorum testimoniis. Et quamvis interjectis haud rarò est factum occupationibus & impedimentis, quod hæ meæ Anticalvinisticæ συζητήσεις opinione serius absolutæ, publici juris factæ sint, tamen commodiori vix tempore, vel si optio data fuisset, fieri id potuit, quàm hoc, quo V.V.C.C. post amicam & fraternam, in totius Ditionis Megapolensis divisione, factam transactionem, suam gubernationem suscipiunt; ut & ego in communi omnium gratulatione, ad ejusdem felix & faustum initium mea vota precesque, inscriptione harum mearum lucubrationum conjungerem. Hasce itaque quantumvis leves atq; exiles, dum V.V.C.C. augustis nominibus sacras esse volui, iisdem de mox suscepta suæ Megapoleos administratione ex animo gratulor, atque in πεμμένον devotæ gratulationis V.V.C.C. hoc levidense chartaceum munus demisse offero, indubia spe, illud ipsum qualecunq; quod occasio temporis V.V.C.C. destinat atq; per me consecrat, haud fore ingratum aut importunum. Quemadmodum enim de homine quodam Persa Ælianus commemorat, eum secundum Persarum legem Regi Artaxerxi sibi obviâ facto, cum aliud, quod offerret, non haberet, ex præterfluente proximè fluvio, Cyri nomine claro, aquam utraq; manu hausam obtulisse, his verbis: O Rex Artaxerxe, regnes in æternum. Nunc ego, prout possum, & quomodo possum, te munere dono, ut nõ indonatus, quantum ad me attinet, & quantum in me est, præterreas. Honoro a. te Cyri aquis. Artaxerxes hac re delectatus, respondit: Ego v. ô homo, grato animo munus tuum accipio, & in preciosissimis numero; primò, quia τὸ ὕδωρ ἐστὶ πάντων ἄριστον; deinde quoniam Cyri nomen præ se fert. Sic & ego, cum aliud quod V.V.C.C. gratulationis testificandæ ac declarandæ gratia offeram, non inveniam, quàm hoc chartaceum munus, aquam continens

tinẽs è fontibus Israelis, incendium Calvinisticũ nostris cervicib9 imminens diluentem & exstinguentem; omninò confido V. V. C. C. hanc meam voluntatem gratulandi cupidam, aurâ optatâ secundaturas, meorumq; studiorum fructus in suum patrocinium, cõtra adversarios susceptur as: idq; eò magis, quia V. V. C. C. quas adhuc de stemmate Megapolensi divina clementia nobis indulsit, certum est, avitâ pietate, virtute & zelo, veram ac sinceram nostam A. C. addictam, & in Formula concordiæ decisam, & declaratam religionem, sartam tectam conservandi, ejusq; cultores & Professores fovendi & defendendi ardere & clarere. Ego veris & seriis precibus & votis pro salute nostræ Ecclesiæ, quam hactenus conservatam, summâ cum gratiarum actione, divinæ providentiæ & protectioni merito referimus, puguo & pugnabo, ut clementissimus Deus facem verbi sui incorrupti in urbe hâc, totaq; Ditione Vestra Megapolensi, (quæ adhuc Dei beneficio est tranquillum τὸ θεογνωσίας διδασκαλεῖον καὶ ξενοδοχεῖον) accensam, contra rapidissimas procellas & turbines variarum hæreseων, præsertim verò Calvinianæ & Pontificiæ; hisce nebulosis & ferè conclamatis temporibus benignè conservet, & ad posteros propaget; V. V. q; C. C. tanquam flores fragrantes stemmatis Megapoleως, imò PATRES PATRIÆ nostræ, & nutritios Ecclesiæ & Scholarum, quàm diutissimè nobis floridos & superstites conservet, omniq; genere benedictionis spiritualis & corporalis beet, corque docile, quod Rex Salomon unicè, cum sub initium sui regiminis ei à Deo optio quæcunq; dabatur, petiit, V. V. quoque C. C. dare dignetur, ad hujus Vestræ jam susceptæ gubernationis, & omnium in ea consiliorum felix auspicium, feliciorem progressum, & felicissimum exitum. Ut hisce bello & tumultibus æstuantibus temporibus sub V. V. C. C. divinitùs armatâ & confirmatâ protectione & gubernatione, quieram & tranquillam vitam agamus in omni pietate & honestate, ad nominis divini gloriam, afflictissimæ Ecclesiæ, totiusq; Megapoleως salutem, Amen. Rostochii, ipso die transactionis, qui fuit 7. Iduum Julii, Anno Θεογονίας M. DC. XI.

Ill. Ill. C. C. V. V.

Subjectissimus

M. Petrus Hinkelmannus.

ELENCHUS DISPUTATIONUM.

1. De S. S. Scriptura.
2. De Deo ejusque attributis.
3. De Persona Christi.
4. De Communicatione idiomatum.
5. De Statu exinanitionis & exaltationis.
6. De Officio Christi.
7. De Prædestinatione.
8. De Providentia Dei, & Peccato.
9. De Libero Arbitrio.
10. De Lege Dei.
11. De Euangelio.
12. De Justificatione.
13. De Bonis operibus.
14. De Ecclesia, & Ministerio Ecclesiastico.
15. De Pœnitentia & Absolutione.
16. De Sacramentis in genere.
17. De Baptismo.
18. De Baptismi circumstantiis & cæremoniis.
19. De S. S. Cœna Domini, ejusque verbis institutionis.
20. De Præsentia Christi in Cœna, & orali manducatione.
21. De Cæremoniis S.S. Cœnæ, & discrimine Sacramentorum V. & N. T.
22. De Adiaphoris & vita æterna.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0016
DFG

DE CALVINISMO
DISPUTATIO ELENCTICA PRIMA

Complectens Mataologiæ Calviniana examen in loco

De

S. S. SCRIPTURA,

Quam

Doctore & Ductore S. S. Spiritu

Sub Præsidio

M. PETRI HINKELMANNI

privatim defendendam suscipiet

DAVID CHYTRÆUS
Rostochiensis.

habebitur disputatio 6. Cal. Maij.

ROSTOCHII
Litteris Reusnerianis, Anno 1609.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0017
DFG

ΣΥΝ ΘΕΩ.

DISPVTATIO ANTICALVINISTICA I.

DE S. S. SCRIPTURA.

Προλεγόμενα.

I.

SI antehac unquam, certè in hac ultima & fatali temporum periodo, contra hæresium monstra strenuè & fortiter luctari, tum unumquemq; cui rationem fidei suæ reddere, eamq; defendere incumbit, tum inprimis sedulum decet verbi divini ministrum. Quare nunc, σὺν Θεῷ, collegio illo Antipapistico, contra Romanam synagogam feliciter absoluto, quod Deo meritò cum gratiarum actione acceptum referimus, ad castra Calvinianorum, tanquam alterius cohortis, religioni nostræ orthodoxæ infensissimæ, pergentes, eorum Matæologiæ quandam ἀνακεφαλαίωσιν & succinctam refutationem instituemus.

II.

Illa enim duo, inter reliqua, præcipua Diaboli sunt & fuerunt organa, per quæ odio planè insatiabili, & bello ἀσπόνδῳ veram, orthodoxam & Catholicam Evangelij doctrinam, in tota Germania dirissimis modis, vi & fraude impugnare, & tantum non exstirpare hactenus attentavit, hodieq; cum maxima Ecclesiæ Evangelicæ attenuatione & laceratione, ausu & molimine nefario, jureq; sicario in actum deducere, atq; sic hoc præsertim tempore, nostræ periclitanti Ecclesiæ, quadam quasi fatali conspiratione diversissimarum illarum hæreseων, exitium struere & intentare, experientia tristi edocemur.

III.

Sed non turbari, tùm sævitia & successibus nostrorum hostium, tùm ululatibus illorum Sycophantarum, falsò allatrantium orthodo-

xam nostram doctrinam, quam sonamus, decet; quin potius animis opus est & pectore firmo ad omnes casus, ut προσκαρτεροῦντες τῇ διδαχῇ, præclaram παρακαταθήκην retineamus, eamq; vindicemus ab injurijs, calumnijs ac sophistica sycophantarum, detrectantium nostræ Ecclesiæ, quotidianis penè novationibus & molitionibus: cum certa spe ipsum filium Dei, tanquam summum suæ Ecclesiæ patronum & Episcopum, conatus nostros prosperaturum.

IV.

Etsi verò me hoc labore ἐλεγκτικῶ, contra Calvinianorum strophas suscepto, supersedere potuisse libenter concedam, imo fortè & debuisse; præsertim cum me illi longè imparem esse, ultrò largiar, & multos eximios Theologos longè utilissimam hac in re operam Ecclesiæ Christi navasse sciam: Tamen cum Divus Apostolus ministrum Ecclesiæ non tantum velit (a) *ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον, verum etiam* (b) *σοῦ ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, omnino judicavi, mihi etiam hac in parte, ex virtute* (c) *quam administraturus est Deus, muneris Ecclesiastici, mihi commissi, rationem sedulò obeundam esse.*

a) 2 Tim. 2. 15.
b) Tit. 1. 9.
c) 1 Pet. 4. 11.

V.

Tum & φιλοθεολόγοις quibusdam, id à me suo quasi jure flagitantibus, mea qualicunq; opella, pro talento mihi à Deo concesso, deesse nolui, ut, quemadmodum cum Pontificiorum antea erroribus, factum, sic etiam Calvinianorum erroribus, non quidem omnibus (quis enim illorum mendaciorum plaustra importare, errorumq; omnium portenta recensere posset) sed præcipuis tantum ἐν μιᾷ συνόψει propositis, illi, quibus Zvinglocalvinianorum versutia nondum perspecta, viderent, quomodo matæologia Calviniana nihil aliud sit, nisi opinionum & ratiocinationum humanarum congeries & catena, subinde longius recedens à verbo Dei, & innitens disputationum labyrinthis inextricabilibus, & rationis ex Philosophia conclusionibus.

VI.

Est enim imprimis necessarium, ut ij, qui γνήσιοι volunt esse professores & cultores verbi incorrupti, non tantùm evidentissimis κρι-

τηρίοις

πλέρους certitudinis suæ in verbo sint instructi, verum etiam ut adversariorum strophas & somnia probè cognita habeant, quò in illis elidendis & diluendis, si quando illorum ictus sustinere cogantur, sint instructiores.

VII.

Deniq; hæc etiam suscepti hujus mei laboris causa fuit, cum hæretici suos quantumvis crassos errores, tamen incrustare & palliare annitantur, sibiq; à nostratibus, accusantibus eos hæreseως, magnam fieri injuriam, & rem inter nos tanquam levem, facilè componi posse clamitent; ut ex latebris & κρησφυγέτις, in lucem eorum erroribus protractis, luce meridianâ clarius videatur, quomodo Calviniani, volentes esse sacrosanctarum literarum Doctores, nihil intelligant, neq; quæ loquantur, neq; de quibus affirment, atq; sic ex rationis humanæ fundamentis funiculos ducentes, nihilominus supra, contra & extra rationem omnem insaniant, totoq; cælo à nobis, vel potius sacrosancta scriptura dissideant, sibi invicem contradicant, & semetipsos proprio suo gladio jugulent.

VIII.

Quod ut eò firmius demonstremus, dabimus operam, ut in totius κατασκευῆς cursu adversariorum errores, ex eorum ore, quantum fieri potest, depromptos, ob oculos ponamus, & in eorum refutatione Laconicæ brevitati, ne theses justo majorem excedant longitudinem, studebimus, præcaventes ne brevitas obscuritatem pariat: qua in re non exiguo nobis adjumento erunt, illorum domesticorum, qui ipsimet Calvinismi pars magna sunt, testimonia, quibus conscientiæ stimulo adacti, & luce verbi divini convicti nobis adstipulantur, ac veritatis, quam nos defendimus, deserto quasi vadimonio, patrocinium suscipiunt.

IX.

Ex hac verò prima nostra συζητήσει, Calvinianorum errores inchoante, videre licet, quomodo non tantùm in paucis dogmatibus, inter nos discrimen aliquod positum sit, quod quidam opinati sunt, & propterea

peerea, moderationem conflictuum adhiberi posse errant, sed quod totis, quod ajunt, castris à nobis dissideant, & in omnibus ferè articulis, Ecclesiæ suam propinent ἑτεροδοξίαν, tùm in hoc quoq; articulo de Sacrosancta Scriptura vel sexcentos, si omnes ponere instituti nostri esset, foveant errores, eosq; crassissimos, ita ut nulla omnino alia, hanc sectam invadere, nisi pugna accerrima nos deceat; quare palæstram non recusabimus, ut si non sat prægnantibus dimicemus rationibus, saltem in apricum producta illorum Matheologia, ab omnibus rectè judicantibus facilimè damnetur.

X.

Quarè ut secundum methodum, in prioribus contra Pontificios disputationibus, nobis usitatam procedamus, errores Calvinianorum, quos in hoc primo de Sacrosancta Scriptura loco fovent, tribus capitibus propositos, λαβρχέων refutabimus. Quorum 1. erit; De Authoritate Sacrosanctæ Scripturæ. 2. De ejusdem intellectu & interpretatione. 3. De vi & efficacia verbi.

Rogamus autem conjunctis votis & precibus, filium Dei, Dominum nostrum Jesum Christum, Ecclesiæ suæ fidelem παράκλητον, ut huic nostro pio & bono proposito, felicem & expeditum successum clementer concedat, & nos in hoc, cum Antagonistis nostris conflictu, gladio Spiritus armatos, in omnem ducat veritatem, quò suggerente Sacrosancto Spiritu mendacia Spiritus Calvinistici validissimè repellere, repulsa ad orcum relegare, veritatemq; cælestem sartam tectam defendere, defensam conservare valeamus.

Caput Primum.

De Authoritate Sacrosanctæ Scripturæ.

Error Primus.

Rudolphi Gualtheri Postilla.

Verbum Dei non Mosaicam modo legem, aut Prophetarum scripta, sed omnem illam methodum, omnes rationes & suggestiones, tam externas quam internas

ternas comprehendit, quibus homines in Dei cognitionem pertrahi possunt.

REFUTATIO.

Sub hac definitione non adæquata suo definito (quam Gualtherus ponit in explicatione dicti Esaiæ (a)*: Verbum meum quod egredietur de ore meo non revertetur ad me vacuum) quasvis glossas, interpretationes & depravationes excusari & pro verbo Dei Ecclesiæ obtrudi posse, quis non videt? quod dum reipsa omnes hujus farinæ sectæ faciant, etsi verbotenus hujusmodi sacræ scripturæ definitionem quidam non ponant, sensu tamen admittunt & ipsa πρᾶξις approbant. Sed respondemus ad hunc errorem.*

a) Esa. 55. 11.

1. Quod sit contra aperta Sacræ Scripturæ dicta, quæ duo tantum capita doctrinæ Christianæ seu verbi Dei ponunt legem & Evangelium (b)*: Et non quasvis, sed à Spiritu Dei inspiratas suggestiones, pro verbo Dei agnosci debere sedulò monent* (c)*. Et verbum Dei esse perfectum, siquidem sit potentia Dei ad salutem: esset autem imperfectum, & propterea non potentia ad salutem, si assumento humano indigeret.*

b) Esa. 8. 20.
c) 2 Pet. 2. 21. 2 Tim. 3. 16. 2 Sam. 23. 3. Actor. 3. 18. 1 Thess. 2. 13.

2. Deinde quoq; in omnes articulos incurrit, & omnia fidei fundamẽta evertit. Si enim cuivis liberum esset, sacram scripturam secundum quasvis rationes & suggestiones suas explicare, quis tandem finis esset, humani assumenti & traditionum? quæ certitudo fidei?

3. Tum etiam omnium hæreticorum somnia, ut Turcarum Alcorani, Judæorum Thalmuth, Ethnicorum idololatriã, Papistarum traditiones, Anabaptistarum furores, Enthusiastarũ raptus, imo omnium ætatum hæreses canonizat, & pro verbo Dei recipit. Atq; sis pejores sunt Calviniani ipsis Papistis, qui nullas alias, nisi Romanæ synagogæ traditiones exosculantur & verbo Dei æquant vel præferunt.

4. Quod deniq; fidem faciat longiorem & latiorem, quam scripturam, inde manifestum est, quod pro verbo Dei credi & accipi vult, non tantùm Sacrosanctam Scripturam, sed & omnem methodum, omnesq; suggestiones ad agnitionem Dei perducentes, atq; sic Sacrosancta

sancta scriptura non erit amplius regula & norma fidei, quia regula debet adæquari rei, cui accommodatur. Tum neq; fides ex auditu tantum verbi Dei provenire poterit, id quod est Apostolo Paulo in os contradicere. Taceo alia absurda sexcenta, quæ ex hoc errore promanant.

Rom. 10. 18.

Error Secundus.

Cingl. in Cygnæa Cant. Gualth. in apol. pro Cingl.

Socratis, Zenonis, Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Senecæ sententiæ, pro veris, pijs sententijs, & Christianis dictis accipiendæ.

REFUTATIO.

Hic error ex priori fluit, si enim quasvis suggestiones pro verbo Dei agnoscunt, utiq; sanctorum Ethnicorum Apophthegmata & aphorismos rejicere non possunt, atq; sic ex refutatione superiore constat, nos rationem tertiam illis, quemadmodum nec reliqua, minimè affingere. Peccant verò hoc errore in excessu, dum non illam, Ethnicorum sententijs, quæ ijs convenit, laudem relinquunt, sed pari passu eas cum scriptura collocant, quas hæc innumeris parasangis post se relinquit.

1. Quia Ethnici non ex Spiritu Dei locuti sunt, sed voluntate humana suam sapientiam attulerunt, (a) *ex qua verbum Dei proficisci non potest. Atq; sic quia caruerunt causa principali efficiente, ex principijs naturalibus suam extruxerunt & confirmarunt doctrinam, quæ cum cælesti & sacra illa, quæ non tantùm non à natura, verùm etiam præter & super naturam est, quam nemo neq; vidit neq; invenit unquam, sed filius Dei, qui est in sinu patris eam nobis revelavit, compararinequit.*

a) 2 Pet. 1. 21.

2. Deinde Ethnici etiam ignoraverunt Christum, qui unicum est totius Scripturæ fundamentum (b), *de quo altum in libris Ethnicis est silentium. Verum itaq; de illorum scriptis, tritum illud: Si Christum nescis, nihil est si cætera discis. Universâ siquidem suâ sapientiâ & meditationibus acutissimis, Christum attingere non potuerunt, vel*

b) 1 Cor. 3. 21. cap. 2. 11.

runt, vel siquid, qui temporibus Christi & Palæstinæ viciniores & propiores, de Messia & Iudæorum religione audiverunt, id omne illis pro fabula fuit & stultitia (c).

c) 1 Cor. 1. 23.

3. Tum subjectis quoq; scripta Ethnica, si sint vel mera Apophtegmata, à sacris longissimè differunt. Aristoteles enim in Ethicis, & Cicero in officijs, doctrinam de virtute mutilam & mancam tradunt, nedum ut justificationis modum & viam ad vitam æternam tradiderint, vel tantillum de sublimibus & arduis sacrarum literarum mysterijs sciverint. Sed sic philosophos & Ethnicos saniores præparant Calviniani, ut deinde in cælum facilius eos promovere possint, de qua promotione suo loco.

4. Fructu etiam & effectu, verbo Dei proprio, qui est fidem in Christum accendere, & operari salutem, scripta gentilium carent. Si enim evolvas omnes Platonis & Aristotelis libros, aut universam philosophiam, acumen sanè rationis mirabere, sed ad fidei salvificæ facem accendendam, pietatisq; sensum, ut sacra scriptura facit, incutiendum, planè dices frigidam & invalidam.

5. His denique subjungimus hæc ἀθεόλογα. Miscet hic error, sanè non sine summa blasphemia, Deum cum Idolis, veritatem Divinam cum inventis hominum. Periculum salutis inducit, dum sententias Ethnicorum pro vera religione amplectendas obtrudit. S. Scripturam imperfectionis arguit, utpote quæ hujusmodi additamento Philosophico indigeat. Epicureos, Academicos & Gentiles, qui omnem religionem contemnunt, nobiscum conjungit. Fidem non tantum ex verbo Dei, sed & ex sententijs Philosophorum concipi posse, atq; sic Ethnicos fide non caruisse, concedit. Ex hisce & alijs paradoxis Theologicis sequitur, scripta Ethnicorum, vel quasdam eorum sententias, titulo Sacrosanctæ Scripturæ augustissimo, commendari nec posse nec deberi.

Error Tertius.

De Authoritate nullius libri, qui pertinet ad N. T. dubitamus, sed omnes sine controversia recipimus.

Whitak. de Sac. Script. cont Bellar. quæst. 1. c 2. 16. Aretius in comm̃et.

Illi scilicet sunt, qui sibi licere putant, ex Prætoriâ suâ Authoritate quidvis, non tantùm in Ecclesia immutare & innovare, verùm etiam in sacro codice disponere, & libros, quos velint, Canonizare; cum tamen eorum Canonem pro regula fidei & fundamento veritatis non agnoscant, sed ex ratione & Philolophia sibiipsis Canonem, quem amplectantur, fingant. Nos verò, etsi Novi Testamenti Apocryphis, (qui sunt: ad Hebræos, Iacobi, secunda Petri, duæ posteriores Iohannis, Iudæ, Epistolæ, & Apocalypsis,) majorem quam V. T. & penè eandem cum Canonicis authoritatem tribuamus, tamen pro Canonicis eos recipere non possumus.

1. Ne Spiritum Sanctum contradictoria docere statuamus. Continent enim illi, non tantùm multa duriora, verùm etiam, quæ stylo & sensu à Canonicis discrepant, ut in ipsa συζητήσεως collatione ostendemus, si enim hic omnia illa loca persequi vellem, infinitus fierem.

2. Tùm quia etiam de authoribus eorum plurimi dubitarunt, & adhuc dubitant, & propterea etiam eorum authoritatem, & quidem meritò, dubiam fecerunt. Non enim quorumvis libri, nisi Apostolorum & eorum suffragio comprobatorum, ut Evangelium Marci & Lucæ ejusdemq; Acta, in Canonem recipiendi sunt. Non itaq; id excusari potest, quod Calvinus, Whitakerus (a) & alij nonnulli ex Calvinianis, de authore epistolæ ad Hebræos dubitant, & tamen omni modo Canonicam eam esse concedunt,

a) de S. Scri. cont. Bell. q. 1. c. 16.

3. Aliàs etiam, si nimirum sine discrimine omnes N. T. libros reciperemus, fidei analogia & regula, quæ debet esse certissima perspicuis atq; apertis verbis constans, incerta & dubia redderetur illis durioribus, & à puro ac sincero Dei verbo dissentientibus locutionibus, quas Apocrypha illa, quæ supra posuimus, habent, ut in ipsa collatione videbimus.

4. Deniq; non omnes, libros N. T. cum Calvinianis Canonizare possumus, ne cum illis ex privatâ & Prætoriâ temeritatis authoritate, pium & verbo Dei conveniens Antiquitatis Orthodoxæ testimonium

nium reprobemus. Primitiva enim Ecclesia, & quæ Apostolorum temporibus vicina fuit, hos libros non agnovit, & plurimi etiam ex posterioribus, de illorum authoribus & authoritate dubitarunt. Illorum itaq; & nobis meritò, standum esse censurâ & judicio judicamus, præsertim cum nobis, & Ecclesiæ ante nos postremæ, jus canonizandi Scripturam, non competat.

Error Quartus.

Christus non est in verbo prædicato, nec in Biblijs lectis adest.

Oecolamp. in li. de verbis Domini Hoc est corpus meum. f. H. 6. 7.

REFUTATIO.

Hoc errore Diabolus per organa sua, omnium ut tutissimum, ita & efficacissimum argumentum ad stabiliendam Authoritatem & Majestatem S. S. Scripturæ nobis eripere tentat. Quando enim verbum Dei, Christi spoliatum præsentiâ nobis relinquitur, utiq; nihil authoritatis & reverentiæ præ reliquis mundanis scriptis retinet, vnde contemptus Epicureus, quem introducere Diabolus satagit, sequitur. Operæ itaq; pretium, imo & summè necessarium erit, contra hanc hæreticam, & plus quam impiam opinionem, præsentiam Christi in verbo suo demonstrare.

1. Sunt aperta Scripturæ dicta, quæ non tantum Christum, verùm etiam totam S. S. Trinitatem in verbo suo præsentem asserunt. Iehovah n. ad Mosen inquit: (a) ego ero in ore tuo, & ore illius, (Aaronis) & ostendam vobis quid agere debeatis. Sic David, qui confirmatus, de Christo Dei suavis est in psalmis, de suis scriptis testatur: (b) Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam. Ad Ieremiam, quem ad populum suum Deus misit, inquit: (c) tecum ego sum, ecce dedi verba mea in ore tuo. Et nota est phrasis Prophetarum passim obvia: Hæc dicit Dominus: verbum Domini ad me. Vnde & Petrus testatur: (d) Spiritu S. inspiratos, locutos fuisse sanctos Dei homines. Et in Actis: (e) Deus, qui prænunciavit per os omnium suorum prophetarum, pati Christum suum, sic implevit. Christus ad discipulos quos emisit: (f) Non estis vos qui loquimini, sed Spir. patris vestri, qui loquitur

a) Exod. 4, 12, 15.
b) 2. Sam. 23, 3.
c) Ier. 1, 8, 9.
d) 2 Pet. 1, 21.
e) c. 3. 18.
f) Matt. 10, 20.

g) Luc. 10, 16. loquitur in vobis. Item: (g) qui vos audit, me audit. Sic Evangelista Marcus suum Evangelium concludit: Illi profecti, prædicaverunt ubiq; Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis: Idq; non absens sed præsens, secundum promissionem, (h) ubi duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi. Hisce clarissimis dictis, quorum vel unicum saltem, falsitatem erroris, satis superq; detegit, sequentes addimus rationes.

h) Matt. 18. 20. c. 28. 20.

2. Quia Christus est θεανθρωπος, utiq; præsentia illi præsertim in verbo suo, denegari nec potest nec debet, nisi omnipræsentiam, quam ut Deus semper habuit, & ut homo plenissimè communicatam (ut suo loco demonstrabimus) in tempore accepit, sacrilegè illi detrahere quis velit, quod dum Calviniani faciunt, certissimè quoq; sacrilegorum & detractorum pœnam non effugient.

3. Cum etiam S. S. Scripturæ materia sit Christus, ejusq; subjectum, tùm quatenus à patre cœlesti nobis in salvatorem ordinatus & missus, secundum officium suum redemptionis in S. S. Scriptura describitur; tùm etiam, quatenus nobis in suo absolutissimo merito, fide applicando, in sacris literis monstratur & proponitur: sequitur etiam ex regula logicorum, (si liceat Theologica rebus metiri philosophicis) S. S. Scripturam absq; Christo aliquid esse, aut eo loco, quo debet, haberi, minimè posse.

4. Sed nec efficacia verbi absentiam Christi ferre potest. Quomodo n. fides, cujus unicum objectum est Christus, ex auditu verbi, (a) Christo absente, concipi posset? Sic quoq; salutem & vitam æternam, quæ extra Christum nulla est (b), absq; Christi præsentia, verbum tanquam proprium vitæ æternæ organum, operari posse, nullus unquam orthodoxorum affirmavit. Non itaq; Christus verbo suo abest sed longè illi est præsentissimus, ita ut quotidiè per illud nobis loquatur, quo alloquio Calviniani seipsos privant, dum verbum Dei sine Christo considerant,

a) Rom. 10. 18.

b) Act. 4. 12.

Error Quintus.

Calv. Inst. lib. 1. c. 8. § 1.

Ordinata Divinæ sapientiæ dispensatio, nihil terre-

num

num redolens doctrina, pulchra partium omnium inter se consensio, & præcipuè contemptibilium verborum humilitas, sublimia regni cælestis mysteria loquens, secundaria sunt adminicula, ad stabiliendam scripturæ fidem.

REFUTATIO.

Hoc errore, qui primo intuitu quidem non multum absurditatis habere videtur, sed revera plus in recessu habet, quam prima fronte ostendit, Calviniani omni planè authoritate S. S. Scripturam spoliant. Verborum n. gratiam & constructionem secundo, imo postremo loco ponunt, dum Scripturam in sensu totam *positam esse somniant, ut secūdo capite videbimus, & interim mysteriorum dignitatem non attendentes, sensum suum in Scripturam importare non verentur: quantum itaque authoritatis & dignitatis S. S. Scripturæ relinquatur, cuivis vel in Theologia tyroni, colligere haud erit difficile. Sed respondemus.*

1. Vix argumentum efficacius & firmius ad stabiliendam S. S. Scripturæ authoritatem proferri posse, quàm illud de genere sermonis & verborum, sumptum, quod simplici sermone mysteria sublimia tam clarè proponit, ut nihil ad salutem nobis cognitu necessarium, relinquatur incognitum.

2. Atq; propterea mundi totius sapientiam longissimè superat & antecellit, quæ terrenam quamvis, & si cum cælesti illa compares, nullam sapientiam, vel potius stultitiam, maximis verborum pompis & ampullis ambitiosè venditat, & tamen humanæ illius eloquentiæ nitidissimus cultus, vix quicquam ad afficiēdos animos hominum valet.

3. Cum contrà S. S. Scriptura sermone suo, à splendido & oratorio dicendi genere remoto, imo planè neglecto, tantam sui reverentiam incutiat & efficaciam relinquat, quantam nulla, vel ad miraculum usq; elaborata oratorum facundia. Relinquitur ergo hunc neglectum stylum Sacrarum literarum nullum ad suæ authoritatis commendationem adminiculum extra se aliud desiderare, quam quod ex ipso genere sermonis sumitur.

Caput Secundum.

De Intellectu & Interpretatione S. S. Scripturæ.

Error Primus.

Calv. Inst. lib. 1. c. 7. § 5.

Quoties nos conturbat credentium paucitas, ex opposito veniat in mentem, non alios comprehendere Dei mysteria, nisi quibus datum est.

REFUTATIO.

Quod humanitùs mysteria scripturæ comprehendi non possint, rectè Calviniani nobiscum sentiunt, sed in modo & objecto istius intellectus δὶς διὰ πασῶν *à nobis dissentiunt. Credimus n. nos & docemus Evangelium, ut non naturâ notum, sed à seculis absconditum, ita & jam patefactum quamvis & revelatum, non tamen, nisi docente & ad agnitionem ducente Spiritu S. disci & percipi posse* (a). *Sed quod modus patefactionis sit indeterminatus & absolutus, pendens ex absoluto Dei decreto, & ad certos tantum ab æterno prædestinatos pertinens, alios verò credere non posse, quod error haud obscurè innuit, id est ab orthodoxa nostra sententia alienissimum, & ut heterodoxum longissimè extra pomeria Ecclesiæ relegandum.*

a) Ioh. 16, 13. Act. 16, 14. 1 Cor. 3, 6.

1 Quia pugnat cum S. S. Script. quæ Deum non absolutè, more Enthusiastico, sed mediatè per verbum nobiscum agere, & virtutem suam ad salutem in nobis operari (a) *docet, nec certos, quos illuminet, elegisse, sed velle, ut omnes ad agnitionem* (b) *veritatis perveniant. Quare jubet Christus* (c) *scrutari scripturas, quærentibus n. & scrutantibus datum esse, nosse mysteria regni, undè & Abraham vult, non per mortuos aut ullam aliam patefactionem, sed per Mosen & Prophetas* (d) *converti divitis fratres.*

a) Rom. 1, 16.
b) 1 Tim. 2, 4. 2 Pet. 3, 9.
c) Ioh. 5, 39.
d) Luc. 16, 29.

2. Promulgatio deinde ipsa legis & prophetiarum de futuro Messiæ in V. T. atq; Evangelij prædicatio cunctis hominibus facienda in N. T. huic commento διαῤῥήδην *reclamat* (e). *Hæc n. evidentissimè demonstrat, Deum non velle cælitùs* ἀμέσως, *vel quocunq; modo alio, sed mediante verbo nobiscum agere, & nos ad sui agnitionem perducere; & propterea omnibus suum verbum proponere, ut omnes audiant &*

e) Exod. 20. & seq. Levit. 18. & seq. Deut. 12. & seq. Matt. 28, 19. Marc. 16. 15.

omnes

omnes illud medium suæ conversionis, & Dei agnitionis amplectantur.

3. Tum & ipsa praxis Prophetica & Apostolica contrarium testatur, Deum non certis quibusdam absoluta inspiratione & privata suggestione, cognitionem suorum mysteriorum indidisse & concessisse, sed quod mediante ministerio prædicationis, omnes, qui hoc Dei consilium per hoc medium illis propositum, non contra se spreverunt, ad agnitionem perductos, converterit. Vt ex exemplis Nmivitarum (f), Regis Iosiæ & populi, Esræ; viginti trium millium, Cornelÿ ejusq; familiæ, concionibus Petri conversæ; Iudæorum, gentilium & Lydiæ, cui Dominus per concionem Pauli cor aperuit, patet.

f) Ion. 3. 2. 2 Reg. 34. 14 Esr. 7. 10. Act. 2. 37. 41. c. 10. 34. c. 13 38. 48. 49. c. 16. 14.

4. Ipsum deniq; Enthusiasmum Epicureismum, multaq; alia absurda hic error inducit. Si n. non alios, nisi quibus sensu Calvinistico datum sit, mysteria verbi percipere doceatur, multi Enthusiastico more revelationem non ex verbo, sed in angulo desuper expectabunt: alÿ securè verbum tanquam sibi incomprehensibile contemnent. Sic non alÿs, nisi certis illis, quibus datum sit, verbum proponi debere sequetur, quod & quidam illorum (a) docere non erubescunt, atq; sic vocatio restringetur ad certos. Imò & Deus accusabitur, & homines contrà in sua securitate & contemptu verbi excusabuntur. Non itaq; credentium paucitas ad Deum, quasi ille certis atq; adeo maximæ parti, sui verbi patefactionem deneget; sed ad proximam causam, ipsam nimirum hominum negligentiam & obstinatam oscitantiam, unà cum scriptura (b) referri debet.

a) Wolffg. Muscul. in lib. 1. Chron. c. 29.

b) Matt. 22. 3. c. 23, 37. Luc. 14, 16. 17, 18. Act. 13, 46

Error Secundus.

Iubemur scripturas scrutari, hoc est, verum scripturæ sensum quærere & investigare, quandoquidem scriptura in sensu tota posita est.

Guil. Whit. de S. Script. cont. Bella. controv. 1. cap. 1.

REFUTATIO.

Hic Error totius Calvinismi est prora & puppis, quo tanquam fundamento ferè unico, & ut illi existimant solidissimo, contra nos utuntur, in quo vel sexcenta diverticula reposita habent, in quæ sese abdunt, ne solius scripturæ, per semetipsam interpretatione & judicio stare co-

re cogantur. Nec n. hic quæritur, an scriptura simpliciter in omnibus locis, κατὰ τὸ ῥητὸν sit accipienda, ita ut διάνοιαν prorsus nullam admittat? quod utrinq; negatur. Multa n. sunt loca S. S. Scripturæ Allegorica & Parabolica, quæ κατὰ τὸ ῥητὸν intelligi non possunt. Sic neq; ullus orthodoxorum, cum sensum, qui est ἀνάλογος fidei, unquam S. S. Scripturæ denegavit. Sed id in disceptationem contra Calvinianos hic venit; an scriptura in omnibus locis, & præsertim ijs, qui articulos fidei continent, non κατὰ τὸ ῥητὸν sed διάνοιαν tantùm (Calvinisticam) sit acceptanda & interpretanda? Id quod constantissimè contra Calvinianos negamus.

1. Quia S. S. Scriptura τὸ ῥητὸν nusquam non inculcat, illudq; religiosè observari vult, remittens nos ad legem & ad testimonium, omnibusq; non dicentibus juxta verbum hoc matutinam denegans lucem (a). Sic Paulus vult ut προσεχώμεθα ὑγιαίνουσι λόγοις (b). Et Petrus inquit nos habere firmiorem Propheticum sermonem, & benefacere quod illi attendamus (c), cum sit vivus Dei sermo, & efficax (d), ad quod addere, vel ab eo quicquam auferre, gravi Dei inhibitione (e) seriaq; propositâ pœnâ, omnes homines prohibentur.

a) Esa. 8, 20.
b) 1 Tim. 6, 3
c) 2 Pet. 1, 19.
d) Ebr. 4, 2.
e) Deut. 4, 12. Prov. 30, 6. Apocal. 22, 18, 19.

2. Certitudo quoq; fidei ejusq; firmitas requirit, ne fluctuante verborum sensu, ex cujuscunq; cerebro nato & exstructo circumferamur, sed ut in verbis ipsis fixâ certamq; positam & fundatam fidem foveamus & conservemus, quam, si à verborum fundamentis ad sensum discedatur, vacillare, & pro varietate sensus transmutari & transponi necesse est, quod contra πληροφορίας fidei est certitudinem (f).

f) 2 Tim. 1, 12.

3. Cum deniq; sub hoc prætextu, tanquam tutissimo κρησφυγέτῳ quasvis hæreses latitare posse nemo non videat, sequetur hoc tam amplissimo erroris campo, omnis generis hæreticos in S. S. Scripturam intromitti, neq; ex ea refutari posse; cumq; sensus prævalere, & verba præponderare debeat, quemlibet hæreticum, suum sensum ex scriptura extortum & contortum, vel in scripturam importatum, pro ipsissimo verbo Dei venditare posse. Qualis inde sequeretur confusio & incertitudo, quam ut vitemus, S. S. Scripturam in sensu totam positam esse, ob rationes indicatas, minimè concedi posse statuimus.

Iacob. 1. 6.

Error

Error Tertius.

S. Scripturam non esse αὐτόπιστον, sed ejus interpretationem sumendam ex ratione, Philosophia: Imo à visionibus pendere, docent. Cingl. tom. 2. f. 249. Praxis viva.

REFUTATIO.

Hic Calviniani sensum illum in quo Scriptura tota posita sit, superiori errore indicatum, exprimunt, quod nimirum non illum intelligant, qui fidei sit analogus, sed ex ratione & Philosophia extructus, quam in scripturæ interpretatione prævalere volunt, ut hæc illi cedat, cum nihil rectum judicent, nisi quod ratione sua comprehendere possint. Tum & visio illa Cingliana à monitore facta (a), *qui an ater an albus fuerit, se non meminisse fatetur, est notissima. Sed ad tripartitum hunc & crassum errorem, qui refutatione vix indiget, breviter tamen respondemus.*

a) Cingl. Tom. 2. f. 249.

1. Etsi S. S. Scripturam non esse αὐτόπιστον, *Calviniani verbis dissimulent* (a), πρᾶξις *tamen ipsa, non aliter se sentire, ostendunt, dum sine glossis humanitus excogitatis, ne tantillum S. S. Scripturæ credant. Esse a. S. Scripturam* αὐτόπιστον *probatur. Primo, quia dicitur* θεόπνευστος (a), *propterea quod Iehovah ipse, & Spiritus Domini eam per Prophetas & Apostolos locutus est* (b). *Unde phrasis Prophetarum: Hæc dicit Dominus. Et inscriptio psalmorum: Mismor le David. Quare & verbum Dei passim, &* λόγος βεβαιότερος (c) *dicitur. Huc accedit deinde ipsius materiæ & mysteriorum verbi sublimitas, quæ tanta est, ut omne humanæ sapientiæ quantumvis maximæ acumen longissimè superet, nedum ut inde vel aliquid authoritatis vel probationis verbo, respectu sui, accedere possit. Efficacia denique S. Scripturæ, quæ potentia Dei nominatur ad salutem* (d), *eidem* αὐτοπιστίαν *indubitatam conciliat. Quare &* (e), *vivus sermo Dei & efficax, imo & verbum vitæ æternæ, quod nos erudire potest ad salutem, indigitatur.*

a) VVhitak. contr. Bell. contr. 1. de Script. q. 3. c. 1. 2.
a) 2 Tim. 3, 16.
b) 2 Sam. 23, 3. Act. 3, 18. 2 Pet. 1, 21.
c) 2 Pet. 1, 19.
d) Rom. 1, 16.
e) Ebr. 4, 12. Ioh. 6, 68. 2 Tim. 3, 15.

2. Probatâ itaque αὐτοπιστίᾳ *verbi, nullo negotio obtineri potest negativa, secundi membri erroris: Interpretationem nimirum S. S. Scripturæ minimè sumendam esse ex ratione vel Philosophia. Primò, quia*

id sacræ literæ interdicunt: videte, inquit Apostolus (f) ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam. Id autem certissimè fit, si non amplius hæc, S.S. Scripturæ pedissequa, sed vult esse Dominas, atq; tum ab Apostolo comparatur profanis vocum inanitatibus, & oppositionibus falsi nominis scientiæ, quas devitari vult (g): Et hominem, Philosophiam eo loco habentem, pro nihil sciente, & languente circa quæstiones, & pugnas verborum, imò pro mente corrupto, & veritate privato (h), & circa fidem aberrante (i), reputat. Et Petrus inquit: ὃ τι πᾶσα προφητεία γραφῆς, ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται. Et quomodo deinde mysterium Evangelij à seculis absconditum (k), ex ratione & Philosophia humana posset explicari? Neq; etiam ratio in Divinis cæca, neq; Philosophia scripturâ S. longè inferior & posterior, eandem suis interpretationibus pervertere debet. Id quod deniq; & Patrum testimonijs confirmare possumus. Irenæus enim inquit (a): legitimam & minimè periculosam scripturæ expositionem esse, secundum Scripturas ipsas. Sic Hilarius (b): optimus lector est, qui dictorum intelligentiam expectat ex dictis potius quam imponat, & retulerit magis, quam attulerit, neq; cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum. Et Augustinus (c): Ista controversia judicem requirit? Judicet Christus, (arrige aures Calvinista) judicet cum Christo & Apostolus, quia in Apostolo ipse loquitur Christus. Basilius breviter & nervose (d): stemus arbitratu inspiratæ à Deo scripturæ.

3. Tertium porrò membrum erroris, quod visiones assumit, planè in Anabaptismum & Enthusiasmum degenerat, quare id refutatione non dignamur, nisi quod respondeamus ex epistola ad Ebræos; quod olim quidem multifariam multisq; modis loquens Deus patribus in Prophetis, novissimis autem diebus istis, locutus sit nobis in filio.

f) Coloss. 2. 8.
g) 1 Tim. 6, 20. 2 Tim. 2, 16.
h) 1 Tim. 6, 4, 5.
i) 1 Tim. 6. 21. 2 Pet. 1, 20.
k) Matt. 13, 11. Rom. 16, 25. Eph. 3, 9. Colos. 1, 26. 1 Pet. 1, 20.
a) lib. 4. cōt. hæres. c. 63.
b) lib. 1. de Trinit.
c) lib. 2. de nupt. & cōcup. cap. 33.
d) Epist. 80.

Error Quartus.

Lupichius contra Sci. f. 7.

Si homo in articulis fidei ratione uti non debet, quare itaq; Evangelium hominibus ratione præditis, & non potius brutis animalibus, ut vaccis & anseribus prædicatur,

REFU-

REFUTATIO.

Hoc errore, qui quasi instantiâ quadam superiorem confirmat, propterea nimirum rationem admitti debere in divinis, quia Evangelium ratione præditis & non brutis prædicetur: Calviniani suam vel insciti am vel malitiam produnt. Non enim propterea hominibus ratione præditis verbum proponitur, ut rationis censuræ subjiciatur, sed ut vera fide ad vitam acceptetur: Quare etiam non sequitur, quamvis ratio nihil ad intellectum scripturæ spiritualem faciat, quod propterea brutis proponi possit.

1. Nam non hîc præsentia, sed usus & operatio rationis negatur. Diversæ enim sunt quæstiones rationem habere, & rationem usurpare; hoc, locum in religionis negotio, quo ad actum spiritualem, habere nullo modo potest, quamvis ratio in pædagogia externa affectibus, ad contemptum verbi inclinantibus, imperare debeat, ut [a] frequentet templum & verbum attentè homo audiat.

a] Psal. 26. 8. & 27. 4 & 122. 1. Syr. 4. 15.

2. Deinde hominibus, & non vaccis aut anseribus, seriò injunctum est, ut pædagogiæ externæ invigilent, visitando cultũ Dei, & audiendo Scripturas. Quæ Pædagogia externa, cum rationi subjecta sit, irrationalia obligare non potest, neq; debet, cum illa ad vitam æternam non sint creata neq; vocata. Sed non ulteriori responsione hoc dignum, nisi quod inde Spiritus Calvinisticus probetur.

Luc. 8. 4. Act. 10. 33. c. 16. 14. Rom. 10. 14.

Error Quintus.

Calviniani illa vaticinia Davidis & aliorum Prophetarum, quæ propriè tantum de persona Christi, ejus passione, morte, resurrectione & ascensione in cælum loquuntur, de Davide & alijs, cum Rabinis Judæorum explicant. Imo Calvinus Apostolos & Evangelistas, quasi impertinenter & non rectè V. T. testimonia allegarint, blasphemo ore accusat & traducit.

Calvinus in Ioh. 19. f. 581.

REFUTATIO.

Hic error nos in spatiosum S. Scripturæ campum deducit, sed non est jam nostri instituti exspatiari, nec etiam possumus; si enim

huc per συνάθροισμον, omnia illa dicta & V. & N. T. Calviniano fermento in illorum scriptis subacta & fædißimè contaminata, transponere & refutare vellemus, hæc themata in opus Iliade majus excrescerent. Quare hic tantum Spiritum Calvinisticum notasse sufficiat, ejus examine & refutatione in futurum colloquium rejecta. Interim, qui volent, in hisce Calvinianarum explicationum labyrinthis, tanquam filum Ariadnes, D. Hunnij Calvinum Judaizantem, AntiParæum utrumq; & D. Selnecceri Calvinum redivivum, adhibere poßunt.

Caput Tertium.

De efficacia S. S. Scripturæ.

Error Primus.

Bucerus super Ioh. f. 138. 190.

Libenter fatemur, Deum communi lege, verbum externum adhibere ad docendum suos; sed quod propterea medium & instrumentum sit, quo detur Spiritus Sanctus, & alia Dei dona, ex nullis Sacræ Scripturæ locis probari potest. Manifestus itaq; error est, intolerabilis auribus Christianorum, dicere Spiritum Sanctum & fidem, dari à Deo per ministerium verbi & Sacramentorum.

REFUTATIO.

Errant Calviniani nescientes Scripturas, atq; virtutem Dei, neq; hoc mirum cum medium illud non agnoscant & amplectantur, per quod Deus suam in hominibus virtutem operatur. Sed cum Diabolus hoc errore omnem planè majestatem, quam Sacra Scriptura ab effectu & potentia Dei in sese habet, detrahere eidem conetur, ἀποδεικτικῶς demonstrabimus in refutatione hujus erroris, S. S. Scripturam extra omnem controversiam esse medium & instrumentum certißimum, per quod Spiritus Sanctus & alia Dei dona, non tantùm conferantur, verùm etiam augescant & confirmentur.

1. *Sunt expressa & satis perspicua dicta, & exempla Scriptu-*

ra-

ra. Johannes inquit [a]: Hæc scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus, filius Dei. In prima concione Petri ter mille homines [b] conversi acceperunt Spiritum Sanctum. Sic Petrus inquit [c]: quod Deus Spiritum Sanctum dederit omnibus obedientibus sibi: ubi per obedientiam notatur causa instrumentalis, per quam Spiritus S. fit datus, illis qui per verbum in fidem & obsequium doctrinæ fuerunt conversi. Paulus Apostolus (c) post suam conversionem, ex concione Ananiæ accipit Spiritum Sanctum, & visu donatur. Et Petro adhuc loquente verba ad Cornelium ejusq; familiam, cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum (d). Ita Lydia concione Pauli convertitur, cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur à Paulo (e). Fidem quoq; ex auditu verbi Divini esse, Paulus apertè testatur (f). Tum & similia plurima S. Scripturæ loca, efficaciam scripturæ nobis commendant, quorum paulo post mentio facienda. Eat itaq; nunc Bucerus, in Sacris literis planè hospes, & obstinatè defendere pergat, ex nullis S. Scripturæ locis probari posse, verbum externum, esse medium & instrumentum per quod Spiritus Sanctus detur.

2. Hisce dictis & exemplis, addimus rationes ex S. Scriptura desumptas. In ea enim sic se Deus revelavit, quod velit per prædicatum verbum homines convertere (g), regenerare (h), justificare (i), sanctificare (k), donis cælestibus locupletare (l), & tandem æternùm beare (m). Quo fine etiam suum verbum in V.T. Prophetis, & in N.T. Apostolis, toti mundo prædicandum mandavit, quem ordinem illi fanatici, suo commento, fundamenta salutis destruente, evertere conantur. Cumq; hæc omnia, quæ verbo Dei tanquam medio & instrumento ascribuntur, sint dona Spiritus Sancti (n), sequitur irrefragabiliter Spiritum quoq; Sanctum per verbum dari, eundemq; per illud etiam omnia hæc dona operari. Vnde & Patres illud vocant, vehiculum Spiritus Sancti..

3. Quin & hic error non tantùm Svvenckfeldismum & Enthusiasmum sapit, atq; Epicureum contemptum, verum etiam multa alia

a) Ioh. 20. 31
b) Act. 2. 38. 41.
c) Act. 5, 32.
c) Act. 9. 67.
d) Act. 10. 44. c. 11. 15. 17. 18.
e) Act. 16. 14
f) Ro. 10. 14.
g) Ezech. 33. 11. Ion. 3. 4. 5. 2 Tim. 2. 25.
h) 1 Pet. 1. 23. 1 Cor. 4. 15. Iac. 1. 18.
i) Rom. 3. 26 c. 5, 1, c. 10. 14,
k) Ioh. 17, 17. Eph. 5. 26.
l) Luc. 8, 15. Pf. 19. 8. 9.
m) Ioh. 8. 51. 1 Tim. 4. 16. Rom. 1 16.
n) Ioh. 14, 26. 1 Cor. 12, 4.

ta alia inducit absurda: Segregat enim Spiritum Sanctum à verbo, atq; ex eo nudũ verborum strepitum facit; prædicationem verbi omni planè fructu & usu privat, ex eaq; æs sonans & cymbalum inane tinniens reddit; Spiritum Sanctum & alia cælestia dona, ijs qui carent hoc medio, ut Turcis & Ethnicis, dari concedit; verbum Dei disciplinis Philosophicis & Scholasticis, quibus suus constat fructus, longè postponit.

5. Deniq; & Bucerus, & qui cum eo faciunt, in hoc errore sibiipsis parum constant. Etsi enim veritate & claritate verbi convictus ille nolens volens fateri cogatur, Deum communi lege verbum externum ad docendum suos adhibere, nihilominus tamen idipsum, medium esse, per quod Spiritus Sanctus & alia dona communicentur, concedere non vult; quasi verò doctrina (a) absq; Spiritu Sancto & donis considerari possit. Sed & huic errori, ex suis habebit consortibus, qui contradicant (b).

a) Ioh. 14. 26. c. 16. 15. 1 Cor. 12. 3.

b) Per. Martyr. defens. cont. Gardin. de Eucha. f. 457. 959. Oecolamp. in lib. edito anno 25. Henricus Bulling. in Expl. Epist. ad Rom.

Error Secundus.

Verba Scripturæ non habent vim & efficaciam hoc afferendi, quod sonant, nisi velimus ex ijs Magiam facere, & per ea & in ipsis vel cum ipsis Magicas artes exercere. Cor intus in homine habet vim verborum: verba tantùm significationes habent.

REFUTATIO.

Vt fieri solet, quando dato uno inconvenienti infinita sequi necessum est, sic Calvinianis hic usu venire videmus. Quia enim in priori errore Spiritum Sanctum à verbo, & prædicationem ejus à promissione Christi separarunt, nè sit medium conferendi Spiritum Sanctum ejusq; dona, ad hunc errorem trimembrem pergunt. 1. Detrahunt Sacræ Scripturæ omnem vim & efficaciam. 2. Quam non sine Magicis artibus, quarum nos insimulant, eidem tribui posse, inconsideratè effutiunt. 3. Et deniq; internam operationem ab ex-

terno

terno ministerio divellentes, eam non Spiritui Sancto, cujus est propria, sed cordi hominis tribuunt.

1. Sed in priori membro Calviniani contra conscientiam, corde occæcato & Spiritu tenebrarum fascinati, Sacrosanctæ Scripturæ suam sacrilegè detrahunt efficaciam, quæ tam manifestis & dictis & exemplis eidem tribuitur, ut contra loquentem, tanquam planè ἀθεον & principia negantem, ad ipsum Solem in meridie apertis oculis cæcutire & palpare dicas. Ex multis hæc pauca huc transtulisse sufficiat. Petrus ad Christum (a): *Domine quo ibimus verba vitæ æternæ habes. Et Paulus* (b): *Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. David* (c): *Lex Domini perfecta est, convertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis: præceptiones Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Paulus* (d): *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, &c. Item: omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad doctrinam, &c. Reliqua vide in sacro codice* (e). *Hisce clarissimis Sacrosanctæ Scripturæ testimonijs, alias velle rationes subjungere, esset ipsi Soli lumen addere.*

a) Ioh. 6. 68.
b) Rom. 1. 16
c) Ps. 19. 8. 9.
d) Rom. 15. 4 2 Tim. 3. 15
e) Ps. 119. 9. 11. 22. 56. 92. 93. 98. 104. 105. 111. 116. 130. Esa. 8. 20. Ier. 23. 29. Ioh. 5. 39. c. 15. 3. c. 17. 20. c. 20. 31. Luc. 34 32. Act. 2. 37 c. 10. 44. c. 16. 14. c. 28. 28. 1 Cor. 15. 1. 2. 1 Pet. 1. 23. 2 Pet. 1. 19. Ebr. 4. 12. Iacob. 1. 21.

2. Accedimus itaq; ad secundum membrum erroris, in quo omnes qui efficaciam verbo ascribunt, artis Magicæ insimulantur. Id quod tum demum verum esset, si ipsis apicibus & pronunciationi verborum, per sese & ex sese aliquam vim ascriberemus. Sed efficaciam inesse scripturæ docemus eamq; instrumentalem, propter Dei ordinationem, quia ad medium salutis ordinarium à Deo ordinatum est. Tum etiam virtutem efficientem verbo adesse non imus inficias, propter ipsum Deum & Spiritum Sanctum loquentem in scripturis & per ministros suos, ut superius demonstratum est & paulo post videbimus. 2. propter ipsam Dei potentiam, quam huic medio Deus, in nostram salutem vult esse alligatam. Est itaque valde blasphemus Diabolus, in Calvinistis, qui prædicationem verbi ejusque efficaciam, incantationibus Magicis comparare non verentur.

3. Denig;

3. Denique ἀθεολόγως internam operationem ab externo ministerio divellunt, cum utramque Sacra Scriptura semper conjungat (a), ita ut illa absque hac fieri non possit. Tum minus quoque rectè cordi hominum, cujus figmentum omne cogitationum tantummodo malum est (b), vim & intellectum verborum ascribunt, contra testimonium Sacræ Scripturæ, quæ animalem hominem non percipere ea quæ sunt Spiritus Dei, imò stultitiam esse ei, nec posse intelligere, docet, omnem non tantùm vim & ἐνέργειαν, verùm etiam ipsam δύναμιν & inchoationem, homini animali detrahens, Meritò itaque & hoc membrum erroris, Synergismum Pelagianorum olens, exploditur.

a) Act. 2. 37. c. 10. 44. c. 16. 14. Mar. 16. 20. 1 Cor. 3. 6.
b) Gen. 6. 5. c. 8 21.
c) 1 Cor. 2. 14

Error Tertius.

Ex verbis nihil nisi verba accipimus, vel potius strepitum verborum habemus. Nunquam cathedram Spiritus Sancti, verbo vocali concedemus.

Oecolamp. in Antisyng. f. O. b.

REFUTATIO.

Non eò impietatis, Neoterici qui sunt ex Calvinianis, progrediuntur, ut tam crassè verbum enucleantes, nuda nobis relinquant putamina, atque tumultuario & aperto hoc modo, Spiritum Sanctum de Cathedra verbi sui deponant, sed calamum moderantes nobiscum loqui videntur, quicquid interim in sinu foveant.

1. Sed refutatur hæc blasphemia dictis & exemplis Sacræ Scripturæ, etiam iis, quæ superius allegavimus, quibus addimus ipsam Iehovæ vocem (a): Verbum quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud. Testimonium Israelitarum consternatorum voce Dei loquentis legem suam (b). Et duorum discipulorum proficiscentium in castellum Emaus (c): Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via, & aperiret nobis scripturas? Sic de Spiritu Sancto Christus ipse (d): Non estis vos qui loquimini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Item: Si abiero mittam paracletum ad vos, & cum venerit ille, arguet mundum

a) Esa. 55. 11.
b) Exod. 20. 19.
c) Luc. 24. 32.
d) Matt. 10. 20. Ioh. 16. 8. 13.

mundum de peccato, &c. Spiritus veritatis ducet vos in omnem veritatem. Et Petrus ad Ananiam dicit (e): eum mentitum esse Spiritui Sancto. Sic in primo concilio Apostoli: visum est Spiritui Sancto & nobis. Hæc denuò sunt tam clara & perspicua Sacræ Scripturæ testimonia, ut, quia ea videre nolint adversarij sed plenis buccis illis reclament, inde possint probari, quo Spiritu agantur.

e) Act. 5. 3. C. 15. 28.

2. Deinde etiam insignia illa elogia, quæ verbo Dei tribuuntur in S. S. literis, illud pro nudo strepitu & sonu accipi posse negant. Vt quod dicitur verbum Dei passim, lux & lucerna [a]. Lex DEI perfecta [b], potentia Dei [c], vivus sermo Dei & efficax [d], verbum vitæ æternæ [e]; quæ omnia ratione efficaciæ, Sacrosanctæ Scripturæ tribui extra controversiam est. Qua fronte itaq; Calviniani id pro strepitu acceptare audent?

a] Ps. 119. 105. 2 Pet. 1. 19.
b] Ps. 19. 8.
c] Rom. 1. 16
d] Ebr. 4. 12.
e] Ioh. 6. 68.

3. Sed & illis contradicit internum κεκτημενον Spiritus Sancti, in cordibus audientium & meditantium verbum Dei, quo fidem, spem, patientiam & alias Christiano homine dignas virtutes, ex audito & lecto verbo excitat, confirmat atq; obsignat, ita ut quis ad auditum verbi vel lectionem bibliorum anxius, & plenus ærumnarum accedens, illarum omnium vacuus vicissim recedat, & fide atq; spe gratiæ auxilijq; Divini confirmatus, procul remotis omnibus impedimentis, præsentia curans, Deo futura committat.

4. Testimonia patrum his subjungimus. Chrysostomus [f] enim scripturam seipsam exponere inquit, & non permittere ut auditor erret. Et Origines [g]: Necesse est nobis Scripturas Sanctas in testimonium vocare, sensus enim nostri, sine his testibus non habent fidem. Theodoretus [h]: Verbum vocatur sermo vitæ, siquidem vitam æternam nobis conciliat.

f] Hom. 1. in Genes.
g] Hom. 1. in Ierem.
h] in Epist. ad Philip.

5. Deniq; hic error, auribus Christianis indignas & intolerabiles continet blasphemias. Detrahit enim Deo suam gloriam & potentiam, quæ ei in & per verbum tribuitur. Eloquia Dei, quæ Spiritus Sanctus per Prophetas & Apostolos locutus, est minoris,

habet, quam verba hominũ, quæ non pro strepitu reputantur, sed sæpè aculeos in animis hominum relinquunt. Omnem ἐνέργειαν & comminationibus & promissionibus Dei, in verbo propositis, adimit, unde & nulla fides, virtus & præmiũ, quemadmodum & nulla pœna, periculum & condemnatio à scriptura metuenda; erunt enim hæc omnia, tonitrua ex pelvi. Taceo reliqua.

Error Quartus.

Neostad. ad mon. cont. form. conc. Daniel võ Bühren Consul Bremensis.

Lutherani nihil sciunt præter verba, verba, verba.

Was habt jhr Lutherischen mehr/ denn drey amechtige Wordt.

REFUTATIO.

Quis hic Calvinianis, phalange dæmonum (quod olim Cinglius D. Luthero objecit) obsessis & in vivos Lucianos Porphyrios & Epicuros degeneratis, respondendum putaret. Sed quia subtilem illum Spiritum Calvinisticum in sensu, etsi in verbis sit satis crassus, ex crasso illo Pontificiorum errore, quo Laicos lectione Bibliorum interdicunt, hoc suo enunciato Epicureo quintam quasi essentiam extrahere, illumq; sacrum librum, qui nos ex peccatis liberat, & in libertatem cœlestem vindicat, è manibus excutere, ejusq; nauseam & contemptum nobis vicissim incutere præsumit, increpare illos uno atq; altero dicto propter offensos oportet.

1. *Audiant itaque & animo pervolvant severum Dei, de verbo suo reverenter & assiduè tractando, mandatum. Sic enim inquit Iehovah* [a]: *Erunt verba hæc quæ ego hodiè præcipio tibi, in corde tuo, & acues ea filijs tuis, & loqueris de eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiẽs atq; cõsurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, &c. Item:* [b] *Ponite hæc verba mea in cordibus & animis vestris, & suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate. Et David beatum illum prædicat*

a] Deut. 6. 6.

b] Deut. 11. 18.

eat [c], cujus in lege Domini voluptas, & in eadem meditatur die ac nocte. Sic Salomon [d]: Fili mi ne obliviscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiant, & inveniat gratiam & disciplinam bonam, coram Deo & hominibus. Vnde & Christus [e] omnem, qui audit verba sua & facit ea, assimilat viro sapienti, qui ædificat domum suam supra petram, &c. Huc etiam faciunt Exempla eorum, qui summo cum desiderio verbum Dei audiverunt & acceptarunt [f]. Vt Israelitarum, Josiæ Regis, Ninivitarum, Turbæ tempore Christi, Eunuchi Æthiopis, Cornelij cum Domesticis, Sergij Proconsulis, Lydiæ, Berrhoensium.

2. Verbi deinde Dei potentiam, contra blasphemum & plus quam Diabolicum, in disputatione Sacramentaria, enunciatnm Epicurei istius Bremensis, defendimus. 1. Testimonijs Sacrosanctæ Scripturæ. Vt [g]; Non est DEVS quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut Pæniteat eum. Dixit Deus, & non faciet? locutus est & non implebit? Sic Mosi rospondet Dominus: Nunquid manus Domini invalida est? jam nunc videbis utrum meus sermo opere compleatur. Et [h]: Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt. Vnde tritum illud: Dei dicere, est Dei facere. Habet itaq; Dicere Dei, in se omnipotentiam, quia ab omnipotenti principio procedit. 2. Ipsa virtute & efficacia verbi. Est enim medium, quo Ecclesia Dei in his terris colligitur, homines ad Deum convertuntur, ad ejus notitiam perveniunt, fides accenditur augetur & confirmatur, firmissima præsidia adversus omnis generis tentationes, mortis & diaboli terrores suppeditantur, cæli adyta panduntur, & vita æterna offertur [i].

3. Hæc tùm dicta, tùm exempla, summoperè nobis verbum DEI commendant, tanquam medium, consilium DEI in nostram salutem nobis proponens, offerens & applicans, quod quia Calviniani parvi pendunt, & suis somnijs, quibus illud tanquam falsarij corrumpunt, postponunt atque sic quantum

c] Psal. 1, 2.
d] Prov. 3. 1. 4. c. 7. 1.
e] Matt. 7. 24.
f] Exod. 20. 19. 4. Reg. 22. 11. Ion. 3. 5. Matt. 8. 1. Luc. 8. 4. c. 12. 1. Ioh. 8. 1. Act. 8. 31. c. 10. 33. c. 13. 7. c. 16. 14. c. 17. 11.
g] Num. 23. 19. c. 11. 23.
h] Psal. 37 9. Iudith. 16. 17 Gen. 1. 3. 6. 9. 11. 14. 20.
i] Ps. 19. 5. Rom. 10. 29 Esa. 51. 16. Matt. 28. 19. Mar. 16. 15. Act. 17. 30. Coloss. 1. 28. Ion. 3. 4. 5. Ose. 14. 2. Deut. 17. 19. Rom. 10. 18.

[k] 1 Sam. 15. 13. 1 Reg. 13, 4. Prov. 28. 9. Act. 13. 46. [l] Apoc. 22 18.

tum de suo apponunt, tantum de verbo Dei diminuunt; certissimè etiam pœnam, qua Deus semper contemptores & corruptores sui verbi in furore visitavit [k] *& in ira corripuit, nisi ad saniorem mentem redierint, & culpam contemptus & corruptionis verbi Divini deprecati fuerint, non effugient, sed Deus apponet plagas scriptas in libro suo* [l], *& auferet partem illorum de libro vitæ & de civitate sancta, & de his, quæ scripta sunt in libro isto, dicit, qui testimonium perhibet istorum.*

DE CALVINISMO
DISPUTATIO ELENCTICA SECUNDA

Complectens Mataologiæ Calviniana examen in loco

De

DEO EIUSQVE ATTRIBUTIS.

Quam

Doctore & Ductore S. S. Spiritu

Sub Præsidio

M. PETRI HINKELMANNI

privatim defendendam suscipiet

HENRICUS Bleeke Hamburgus Saxo.

habebitur disputatio 5. Non. Maij.

ROSTOCHII
Litteris Reusnerianis, Anno 1609.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0045
DFG

ΣΥΝ ΘΕΩ.

DISPVTATIO ANTICALVINISTICA II.

DE DEO EIUSQVE ATTRIBUTIS,

CONTINUATIO.

VIdimus Matæologiam Calvinianam, quam illa in primo de S. S. Scriptura articulo fuerit sceptica, & ex rationunculorum humanarum funiculis extructa, Verbo Dei tantùm non è diametro opposita. Vnde cuilibet Orthodoxo colligere haud erit difficile, cum, teste Chrysostomo, hoc malorum omnium causa sit, quod scriptura ignoretur, nihil quoq; tam absurdum & ἀθεόλογον cogitari posse, quod Calviniani, qui S. S. Scripturam ignorant, & in illum primum articulum, reliquorum omnium basin & fundamentum, tam crassè impingunt, non fingere & pingere audeant. Quarè in hac & subsequentibus deinde disputationibus, ἀπὸ παροιμίας, ne locus examini errorum præripiatur, rem ipsam aggrediemur, & hunc secundum de Deo articulum duobus capitibus absolvemus. 1. Proponet errores, quos circa Dei Essentiam fovent. 2. Aget de quibusdam Dei attributis.

CAPUT PRIMUM.

De DEI Essentia.

Error Primus.

Calviniani De Deo, Arrianam, Turcicam, Iudaicam, Ethnicam & Anabaptisticam impietatem, in pectore alūt.

D. Schlusselb. Theolog. Calvinist. lib. 1. art. 1.

REFUTATIO.

Hunc errorem, quo gravior & major cogitari non potest, in hoc articulo præponere placuit, ut patefacto Calvinistico spiritu, quid in hoc & sequentibus locis, nobis ab eo sperandum sit, constet. Sed vel maximè hîc, ut aliàs solent, de maxima sibi à nobis hac in parte illatâ injuriâ, & affictâ impietate clamitando conquerentur: quare ne eam

negare possint, operæ pretium erit, eos hujus ἀθεότητος convincere, ut convicti ad orcum & Rhadamanti tribunal relegentur.

1. Arrianam blasphemiam ijs demonstramus: quia, quemadmodum Arrius olim negavit Divinitatem filij, & concedere noluit eum esse ὁμοούσιον & coæternum patri; ita & Calviniani affirmantes Divinitatis in persona τοῦ λόγου proprietates, realiter naturæ assumptæ non communicari, imò & ἐξουσίαν officij, Christum secundum utramq; naturam accepisse (a), derogant omnipotentiæ Divinæ τοῦ λόγου, atq; sic ignorantes & non honorantes filium (b), ignorant etiam & non honorant patrem; nec Spiritum Sanctum habent, quia Jesum, Jesum inquam totum, non Dominum, sed anathema dicunt (c), & contemptim eum habent, atq; propterea in spiritu Dei non loquuntur. Deinde Convincuntur defectione ad Arrianismum multorum, quibus doctrinam Calvinistarum ad apostasiam præbuisse occasionem, vel ex Adami Neuseri, olim Heidelbergensis Pastoris, confessione constat; Nullus, inquit, nostro tempore, mihi notus, factus est Arrianus, qui non antea fuerit Calvinista, Servetus, Blandrata, Alciatus, Franciscus Davidis, Gentilis, Gribaldus, Sylvanus & alij. Igitur qui timet sibi, ne incidat in Arrianismum, caveat Calvinismum.

a) Amling. in thes. D. Wigand. in Sacram. f. 246.
b) Ioh. 5. 23.
c) 1 Cor. 12. 3.

2. Turcicam quoq; impietatem nos illis non affingere, ex ijsdem propter vicinitatem fundamentis est perspicuum. Etsi enim Mahometistarum in morem multum de Deo glorientur, tamen quia cum Turcis extensionem & diffusionem essentiæ Divinæ (a), ut ex sequenti errore patebit, admittant, & pro suo in filium Dei semel suscepto odio, Divinam in filio Dei naturam extenuent, & tantùm non negent, non concedentes eum esse totum & perfectum Deum, scholam quoq; Mahometismi inter eosdem vigere, extra controversiam est. Id quod præter defectionem ad Mahometismum, examen novorum Arrianorum in Vngaria & Polonia superioribus annis satis superq; declaravit. Huc etiam faciunt suffragia Turcica, quibus suam Cingliani opinionem de Cæna Domini confirmatam esse gloriantur (b): quale est illud Averrois Arabis: Nunquam tam fatuam reperi sectam, sicut est

a) D. Polyc. Lyseri Calvinis. con. 2. Er. 1. Conc. 3. Er. 3.

b) Schlusselb. Theol. Calvinist. lib. 1. art. 2.

secta

secta Christianorum, quia quem Deum colunt, devorant dentibus, ideoq; anima mea sit cum Philosophis. Non ovum ovo tam simile, atq; hoc Turcicum enunciatum, Calvinianorum sententiæ, quare etiam illud mirum in modum ÿs probatur. Simile itaq; simili gaudeat.

3. Quod porrò Judaizent Calviniani, jamdudum à Dn. Philippo, qui testatur de Carlstadio (c) quod in tota vita solitus fuerit ιυδαϊζειν, à D. Hunnio in Calvino Judaizante, Anti Paræo utroq; & alÿs satis superq; est demonstratum, in illustrissimis Prophetarum vaticinÿs de Messia, imò dictis Scripturæ, de S. S. Trinitate, Divinitate Christi & Spiritus Sancti, quæ Iudaicis perversionibus involventes, eaq; tanquam Christianorum, contra Iudæos propugnacula concutientes & evertentes, viam sternunt & fenestram aperiunt Iudaicæ impietati, imò ipsi Iudæorum & Pharisæorum in morem, vaticinia de Christo detorquentes, verbis & factis ipsius illudunt. Quibus omnibus maxima Calvinianorum cum Iudæis conjunctio probatur, quæ tanta est, ut Alemannus, ne dicam de alÿs, strenuus olim Calvinista, suæ religioni longùm valedicens, ad castra Iudæorum defecerit.

c) D. Wigand. de Sacram f. 338.

4. Ethnicam impietatem nunc sequitur, ut in Calvinianis probemus, de qua tria præsertim notanda. Primò de Deo Ethnici non rectè sentiunt, & sibiipsis Idola sculpunt quæ compellent. Sic & Calviniani ignorantes voluntatem patris, quæ est (d), ut omnes audiant filium suum, eum respiciant, honorent & in eum credant; minus piè faciunt, quod posthabito patris mandato, & Christo post tergum rejecto & contumelia affecto, sui cerebri somnia exosculentur & adorent, interim cultum adorationis, Christo, cui tanquam Deo & homini debetur, perfidè detrahentes. Deinde Verbum Dei stultitia est Ethnicis (e), suam verò Philosophiam pro summa sapientia amplectuntur. Sic Calviniani verbis Dei in Prophetiis de Christo, & Christi verbis præsertim in cœna, quin & Evangelistarum & Apostolorum, qui S. S. Spiritus instinctu locuti sunt, explicationibus nequiter illudunt, & qui eas amplectuntur, tanquam stultos irrident, & pro fatuis habent. Interim suas glossas & somnia, ex spiritus Calvinistici instinctu prolata, tanquam ex cælo profecta venerantur, &

d) Matt. 17. 5 Ioh. 6. 40. c. 8. 47.

e) 1 Cor. 1. 23.

hæc eo loco ab omnibus haberi volunt. Tertiò cultum verum negligentes Ethnici, sibiipsis singularem eligunt modum serviendi Deo: Sic & Calvinianis, nihil in ceremonÿs Ecclesiasticis, nisi quod heri in illorum cerebro natum est, placet. Vnde εἰκονομαχία Carlstadÿ, quam adhuc ejus nepotes, parentis vestigÿs insistentes, religiosè observant; & alÿ tumultus in Ecclesia, de quibus suo loco; ut sic proprium à se fictum & pictum cultum, quo se magis piè Deo servire posse somniant, habeant. Sed habeant, & his, si placet, addant plura, ne contemptui Ethnicorum cedant.

5. Ad Anabaptismum deniq; quomodo inclinent Calviniani, probandum nobis restat. Ne verò de alÿs locis, in quibus cum id genus hominibus eodem modo errant, dicamus, illud notandum in primis in illa secta, quod Christum non esse verum & essentialem Deum, sed duntaxat alios homines multitudine & excellentia donorum & gloriæ superare tradat, ut Formula nostra Concordiæ de illa annotat (f). Sic & Calviniani majestatem Divinã Christo homini denegantes, eumq; donis quidem supernaturalibus, sed minimè Divinis locupletatũ asserẽtes, in Deum ipsum sunt injurÿ, & Anabaptismum fovent. Quemadmodum & Dn. Philippus de Carlstadio hoc testimonium ponit (g), quod totam fanaticam Anabaptistarum doctrinam, statim initio τῶν ἀμφοῖν amplexus sit. Sic itaq; hoc errore, sibi quicquam à nostratibus affingi, verè conqueri Calviniani non possunt. Quare eodem, in eos, anathematis fulmine, cum sibi conjunctis, conjecto, perpetuum illis exilium indictum sit.

f) In repetitione articulorum. Err. Anabaptist §. 17.

g) Tom. 1. oper. Philip. edit. Basil.

Error Secundus.

Pet. Martyr. in dialogo f. 12.

Divina natura, est atq; subsistit cum diffusione atq; complemento locorum omnium.

REFUTATIO.

Videri quidem volunt Calviniani, quod credant omnipræsentiam Dei, sed non nisi extensionem & diffusionem essentiæ Divinæ, ut ut negent, eos statuere, vel ex hisce ipsius Martyris propriÿs verbis constat, quæ non posse de locis, sed Dei essentia intelligi, inde constat.

Primò,

Primò, Quia vocabulo diffusionis utitur, quod non ad loca, utpote quæ fixa manent, referri potest. Deindè hujusmodi ille & alij (a), *crassas & incommodas similitudines adhibent, in declaratione personalis unionis duarum naturarum in Christo; de arbore, ejusq radice trunco & ramis, de humano corpore ejusq capite pedibus & corde, item de capite extra fenestram extenso, de orbibus cælestibus eorumq planetis, &c. quæ non nisi extensionem Divinæ essentiæ, importare constat, quam multis refutare, cum ipsimet eam apertè non confiteantur, non erit necesse.*

a) Martyr. in dal. f 11. 12. 17. Coll. Maulbrun. f. 25. Adm. Neust. f. 78. 269. D. Heilbrun. synopsis doct. Calv. f. 6. part. 2. f. 14.

1. Sunt dicta scripturæ, quæ Deum Spiritum esse, in sua essentia (b), *testantur, cui diffusio illa & extensio competere minimè potest; nisi Deum corporeæ, tenuis & cælestis naturæ esse, quæ hasce inferiores potentiâ & excellentiâ transcendat, cum Anthropomorphitis statuere velis. Quibus alia dicta de illocali Dei omnipræsentia subjungi possunt* (c).

b) Ioh. 4. 24. 2 Cor. 3. 16.

2. Rationes insuper suppeterent plurimæ, à Dei immensitate, infinitate, æternitate, item illocalitate, & immutabilitate, &c in quibus illa extensio & diffusio minimè locum habere potest. Sed eas per bonam & apodicticam consequentiam φιλοθεολόγοις facilimè inferendas & deducendas relinquimus.

c) 3 Reg. 8. 7. Iob. 11. 8. Psal. 139. 7. Ier. 23, 23. Act. 17, 27.

3. Subjungimus denique testimonia Antiquitatis. August. (d) *Extra omnia est, sed non exclusus: intra omnia est, sed non incluſus. Item: Immensus est, quia quantitas ejus vel qualitas à nullo, ex creaturis metiri potest. Cui Salomon in sua oratione supplicans ait: Si cæli cælorum te non capiunt, quanto magis domus ista quam ædificavi? Ibidem. Simplex natura est & immutabilis atq; imperturbata. Incircumscriptus, quia circumscribi nullo modo potest. Incorporeus est, quia nullis membrorum lineamentis compositus. Et Athanasius* (e): *Ne requiras magnitudinem loci tàm spaciosam, quæ capere posset Dei magnitudinem: non enim id, quod immensurabile est, in mensurato contineri poterit. Item: Deus non eodem modulo cum universitate rerum decurrens, adimplet omnia.*

d) lib. de essent. Divina.

e) Orat. cõt. Sabellij gregales.

Error

Error Tertius.

Cæleſtis illa gloria, in qua Deus habitat, ſitu & naturâ loci à terris diſtat. Idcircò ſeſsionis carnis Chriſti, ad patris dextram, ſive longè ſupra quaſvis, etiam cæleſtes creaturas, excelleſsimæ majeſtatis, certum locum eſſe definimus, nempè cælos illos ſummos & ineffabiles.

Beza Coll. Mompel. f. 148. Item de omnipræſentia carnis Chriſti. f. 338. Urſinus in compend. doct. Chriſt. f. 345 Admon. Neoſtad. f. 88. & 268.

REFUTATIO.

Tam exactè nobis Calviniani habitationem Dei deſcribunt, ac ſi ipſi præſentes eam contemplati ſint, & nihilominus tamen, ſibiipſis contradicentes, cælum illud ineffabile dicunt. Sed neq; tantùm habitationem Dei, intelligunt de circumſcripto aliquo ſupremi cæli loco, Verùm etiam ipſam dextram Dei, non tàm pro majeſtate & potentia, Divina accipiunt, quàm certum & περίγραπτον locum definire non verentur, undè quantâ injuriâ præcedenti errore afficiantur, nemo non videt. Quin & hic bimembris error, plures alios ex ſe parit. Inde enim ſequitur, quod & illi haud (a) *diffitentur, aſcenſum Chriſti ad patrem, fuiſſe localem, in quo illi opus fuerit itinere aliquot mille miliarium: atq; hinc, non autem ex ubiquitario cælo, ut Beza loquitur* (b) *miſſum à patre filium: Item Deum collocari in localem in cælis, extra hunc mundum, habitationem. Sed omnia illa, & ſi plura ſint, detectâ erroris falſitate, ſponte exſpirabunt.*

a) Beza Colloq. Mompel. f. 145.
b) Beza de omnipræſ. carnis Chriſti contra Brentium f. 299. operum Bezæ Tom. 1. f. 590.

1. Videbimus itaq; quomodo S. S. literæ nobis habitationem illam Dei, ejusq; dextram deſcribant. Salomon in dedicatione templi inquit (a): *Cælum & cæli cælorum te capere non poſſunt, id eſt, Deus loco non circumſcribitur, ſed lucem inhabitat inacceſsibilem* (b). *Undè & dextra Dei, dicitur majeſtatis in excelſis* (c), *virtutis Dei* (d), *quæ omnia poſsit mutare* (e), *quæ ubiq; præſens ſit, cujus amplexum & ambitum nemo effugere poſsit* (f), *quæ fundaverit terram & cælum palmo metiatur* (g). *Ex hiſce & ſimilibus dictis, ſatis ſuperq; error, & ex eo ἀθεόλογα deducta, refutantur.*

a) 1 Reg. 8. 7.
b) 1 Tim. 6. 15.
c) Ebr. 1. 3. c. 8. 1.
d) Matt. 26. 69. Luc. 22. 64.
e) Pſ. 77. 11.
f) Pſ. 139. 10.
g) Eſa. 48. 13.

2. Quibus tamen addi poſsunt rationes, à Dei æternitate, omnipotentia, immenſitate, omnipræſentia, &c. deſumptæ, quæ omnia & his ſimilia

similia Dei attributa, naturæ loci & situs, tàm contrariè opponuntur, ut, si hæc de ijs prædicetur, vel omnino in Deo tollantur & negentur, vel ipse locus, quod absurdissimum, attributis Dei exæquetur. Impossibile itaq; est, quod æternus, omnipotens, immensus, & omnipræsens Deus, localiter in cælis habitare, dici possit.

3. Inde etiam hanc Dei habitationem non esse πανταχοῦ evincitur, quia hæc tantùm competit rebus creatis atq; finitis, minimè verò Domino cæli ac terræ creatori infinito, qui loco & omnibus rebus creatis longè fuit prior, atq; sic ab æterno, antequam locus ullus fieret. Quantò itaq; eminentia majestatis Divinæ rebus omnibus, sive cælestibus sive terrestribus creatis, est nobilior & præstantior, tantò etiam conditione sua illocali & ineffabili ijsdem magis præstat.

4. Quin & demonstratione Physica, Deus omni loco longissimè eximitur. Cum enim physicis in loco esse dicatur, quodcunq; forinsecùs, alio quopiam continetur ac circumscribitur, ita ut sit eadem dimensio ac mensura loci ac rei locatæ, hunc modum Deo non competere, extra controversiam est. Deindè modo illo definitivo, qui tribuitur substantijs spiritualibus, ut angelis & animæ hominis, quæ sine occupatione spatij corporalis hic vel illic sunt, & non alibi; neq; nusquam, cum sint aliquid; neq; ubiq;, cum sint substantiæ finitæ; hoc inquam modo Deus in loco esse minimè putandus, non tantùm quia immensus & infinitus, sed &, quia hoc modo, corpora illa spiritualia, utpote in quæ nulla extensa quantitas cadit, physicè in loco esse, à physicis negantur. Deniq; & hac de Deo locali assertione, conditio Dei redditur deterior, quam est ipsius cæli, quod in loco non esse Physici fatentur. Hoc miror Calvinianos acutos, qui sub Philosophia latitare gestiunt, non videre.

5. Deniq; etiam suffragijs antiquitatis, Dei habitationem localem non esse, probatum dare possumus. Basilius (a) enim de hac Dei cælesti habitatione inquit: Thronus Dei, est nomen dignitatis. Item. sessio ad dextram patris destinata filio, quid quæso est aliud, & nonne æqualitatem honoris & gloriæ significat? sic Chrysostomus (b): Quando dici-

a) lib. 1. cõt. Eunomium
b) tom. 3. in ferm. de pass. homil. de cruce.

do dicitur; Deum sedere in excelsis, intelligendum & credendum, id est, quod Deus ubiq; præsens sit. Et Justinus Martyr (c): Domum soliumq; Dei dicimus cælum, non quasi Deus eo ad habitationem aut ad sedem egeat, cum sit Deus omninò incircumscriptus: sed ne magnitudinem consistentiæ mundi, & incorruptibilitatem ejus substantiæ intuentes, opinemur eum esse Deum, aut pari cum Deo honore præditum, propterea nominamus eum domum soliumq; Dei. Sic Augustinus (d): Intelligamus Deum quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præsidentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubiq; totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione, mutabilia facientem, nihilq; patientem.

c) In quæst. ad gentil.

d) lib. 5. de Trinit.

Error Quartus.

D. Olearius In verzeichniß Calvinisch Irrthum. f. 14. Praxis viva.

Calviniani nullum alium Deum agnoscunt, præter somnia & figmenta proprij capitis & cordis sui, quæ adorant & honorant.

REFUTATIO.

Hic Error propria sua fœditate confunditur, ne ulteriori refutatione indigeat, si prius hic, nihil nos adversarijs affingere ad oculum demonstraverimus. 1. ad legem & ad testimonium, dicit ipse Dominus (a), *quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux: At Calviniani controversias religionis, non secundum verbum ejusq; normam, sed rationem & glossas hominum dijudicari volunt: Ergò agnitionem Dei veram, quæ est lux illa matutina, non habent.*

a) Esa. c. 20.

2. *Johannes inquit* (b): *omnis, qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet. Qui permanet in doctrina, hic & patrem & filium habet: Calvinianos verò non permanere in doctrina Christi, vel ex unico illo de S. S. Cœna articulo, nimium, proh dolor, verum est: Ergò eosdem, ex Iohannis decisione, Deo vero carere, in confesso est.*

b) 2 Epist. v. 9. 10.

3. *Tùm & tumultuantur contra illas ceremonias & imagines, quæ non tantùm in N. T. inter adiaphora recensentur, & propterea tolerari*

rari possunt & debent, sed quæ etiam in V. T. à Deo præceptæ & ordinatæ sunt (c): *& comminiscuntur ex suo cerebello alia simulachra prophana, quæ tanquam abominationem desolationis, in templo & loco sancto collocant, & alias ceremonias, non tantùm sine verbo Dei, sed etiam contra illud substituentes, à vero Deo ejusq; cultu, ad Idololatriam deficiunt. Si itaq; illi à Deo sunt maledicti* (d), *qui ponunt carnem brachium suum, multo magis Calviniani, qui sapientiam illam Dei justificant, & propriã suã, quæ est rationis & cerebri humani adorant, nulla alia refutatione in hoc errore, quam anathemate digni erunt.*

c) Exod 25 & seq. 1 Reg 6. & 7. 1 Paral. 29. 11.

d) Ier. 17. 5.

Error Quintus.

Socij Augustanæ Confessionis mysterium Trinitatis negant, & loco illius quaternitatem substituunt, quartam insuper personam fingentes, & Deificatum hominem obtrudentes.

Rudolp. Gualth. Postilla.

REFUTATIO.

Foris plus quam lynceos esse Calvinianos, domi verò talpis cæciores, vel ex hoc errore patet, cùm, quod nobis imputant, ipsi sentiant, & tantùm non doceant. Illi enim & non nos, mysterium Trinitatis negant, quaternitatem introducunt, imò & Christum omni suo honore spoliant, id quod sequentibus demonstramus rationibus.

1. *Quod ad primum: Nos minimè mysterium Trinitatis negare, sed illud reverenter suspicere & venerari, testantur præter dicta scripturæ* (a) *quæ in literali & orthodoxo suo sensu retinemus & credimus; tria illa Symbola, Apostolicum, Nicenum & Athanasinum, quæ amplectimur; & primus articulus libri istius Symbolici, in comitijs Augustanis, Carolo V. à Protestantibus exhibitus. Calviniani v. etsi videantur de mysterio Trinitatis cum S. S. Scriptura & orthodoxis loqui, tamen minus rectè de eo sentiunt, dum null. ferè personæ suam majestatem, vel saltem ejusdem omnibus æqualitatem, ut paulò antè demonstratum, & deinceps videbimus, integram & irreprehensam relinquant.*

a) Ps. 33. 6. Num. 6. 24. Esa. 6. 3. Matt. 3. 16. 17. c. 28. 19. Ioh. 14. 16. c. 15. 26. Rom. 11. 36. 1 Ioh. 5. 7.

2. *Neq; nos, sed illi quartam insuper personam fingunt, & in Trini-*

tatem ponunt. Nos enim τὸν λόγον in sui ὑπόστασιν assumpsisse non personam, sed naturam humanam, eandemq; sibi ἀσυγχύτως, ἀτρεπτοίωτως & ἀδιαιρέτως univisse, ita ut post unionem una ὑπόστασις manserit, sed σωθεῖσα, ut Nazianzenus eam nominat, facta, constans Divinâ & Humanâ naturâ, eandemq; ratione & εἶναι in Trinitatem evectam esse, cui sententiæ & orthodoxa antiquitas astipulatur. Sic enim Ambrosius: Natura humanæ carnis in Christo, ingreditur in S. Trinitatis consortium. Et Maxentius inquit, Christum simul cum carne sua, personaliter esse unum de Trinitate. Calviniani verò, (ut ex D. Ioachimi Vadiani Euclidea figura (b), qua Trinitatem Personarum demonstrare conatur patet,) cùm Humanitatem Christi ad Trinitatem non pertinere doceant, atq; propterea eandem, in ὑπόστασιν τοῦ λόγου assumptam, extra Trinitatem collocent: sequitur illos sibi duos fingere Christos, unum absolutum τὸν λόγον extra unionem, alterum Deum & hominem, seorsim extra Trinitatem subsistentem. Quam absurdam & impiam opinionem Iosua Lagus Pomeranus, & Petrus Prætorius, in publico scripto defendunt.

b) Schlusselb. Theol. Calvinist. lib. 1. art. 2.

3. Ad vocabulum (Deificatus) respondemus, illud esse antiquum, à Damasceno, Nazianzeno, & alijs patribus in pio & Christiano, non verò Svvenckfeldiano sensu usurpatum, ut eo realem Majestatis communicationem humanæ naturæ, in persona τοῦ λόγου, absq; συγχύσει καὶ ἀλλοιώσει factam, contra suorum temporum hæreticos obtinerent. Calvinianis verò non tantùm nomen, verùm etiam res ipsa nomine hoc significata, Majestatis nimirum, ad naturam humanam communio, ut suo loco videbimus, admodum est exosa.

Error Sextus.

D. Polyc. Lyser. Calvinismus con. 5. Er. 1.

Calviniani nihil ferè in fide sua de Deo admittentes, nisi quod prius fuerit in intellectu, injurij sunt in officium Spiritus sancti, qui solus nos per verbum ad agnitionem Dei ducit.

REFUTATIO.

Etsi de persona S. S. Spiritus adversarij rectè doceant, tamen in officio

officio ejus longissimè à nobis, ut ex errore patet, dissentiunt, cum se proprij ingenij acumine, excutientes Spiritus Sancti per verbum disciplinam, ad Dei agnitionem pervenire posse, falsò sibi persuadent. Quod ut probemus supervacaneum est, cum id ex illorum terrenis, carnalibus & puerilibus speculationibus, de Dei essentia, ejusdem habitatione, & dextra, ex superioribus sat constet.

1. Sed contrarium nos edocent S. literæ, quæ affirmant, quod Deum nemo viderit unquam (a), sed nec videre possit, cum inhabitet lucem inaccessibilem; & quod animalis homo non percipiat (b), quæ sunt spiritus Dei, sed quod stultitia ei sit, nec possit intelligere, quia spiritualiter dijudicetur: Imo quod sapientia carnis inimica sit Deo (c). Quod non sit intelligens, neq; requirens Deum: neq; sufficientes simus, cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis (d), sed quod omnis nostra ἱκανότης ex Deo. Et quod nemo possit dicere Jesum Dominum, nisi in spiritu Sancto (e), qui nos ducat in omnem veritatem.

2. Sunt & exempla S. literarum, quæ & nos ex ratione & intellectu nostro de Deo nihil quicquam scire, & propterea quoq; in Dei cognitione rationem captivandam esse (f) sub obsequium fidei, testantur. Vt in Mose videmus (g), qui appropinquans, ut videret flammam ardentem de medio rubi, & admonitus à Deo ne appropiaret, quia locus ille sit sanctus; abscondit faciem suam, (arrige aures quicunq; essentiam Dei introspicere non vereris,) non enim audebat aspicere contra Deum. Et quærenti quodnam esset nomen, ut indicet illud filijs Israel, ad quos mittebatur, ut fidem verbis habeant, nullum aliud responsum dat Deus, nisi: Ero qui Ero, sic dices filijs Israel: Ero misit me ad vos. Vt indicet se curiosas quæstiones & speculationes de Deo ejusq; essentia, maximè aversari & seriò interdicere. Quare etiam Mosi, cupienti videre faciem ejus, respondit (h), bis repetens verba hæc: faciem meam videre non poteris, non.n. videbit me homo & vivet. Non itaq; vidit, sed tantũ audivit Dominũ loquentem (i), quilocutus est cũ eo, à facie ad faciem, hoc est coràm, familiariter, amicè, assumptâ, ut quidam volunt, formâ humanâ, non in gloriâ & essentiâ ejus, quæ ei

a) Ioh. 1. 18. 1 Ioh. 4. 12. 1 Tim. 6. 16.
b) 1 Cor. 2. 14. Matt. 16. 17.
c) Rom. 8. 7.
d) Rom. 3, 11. 2 Cor. 3. 4.
e) 1 Cor. 12. 3. Ioh. 16. 13.
f) 2 Cor. 10. 5.
g) Exod. 3. 6.
h) Exod. 33. 11. 18. 20. 23.
i) Num. 7. 89.

denegata fuit. Sic Elias (k), audiens sibilum auræ tenuis, quæ præsentiam Dei prædicebat, operuit vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio speluncæ, & sic audivit Dominum loquentem. Sic Paulus in ecstasi suæ conversionis, audit Christum sed non novit, inquiens (l): Domine quis es. Et responso accepto, non consuluit carnem & sanguinem, sed mandato Divino obœdiens fuit. Et de Abrahamo patre omnium credentium legimus (m), quod crediderit contra spem (non tantùm contra rationem) in spem. Quare etiam Christus in rebus fidei & spiritualibus, proponit ipsos parvulos nobis imitandos, inquiens (n): nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.

k) 3 Reg. 19. 13.

l) Act. 9. 6. Gal. 1. 16.

m) Rom. 4. 18.

n) Matt. 18. 3.

3. Hisce rationem unam atq; alteram subjunxisse sufficiat. 1. Impossibilitate rei refutantur, quæ tùm ex superiùs allegatis, tùm ex minori ad majus, inferri potest. Si enim illi etiam qui volunt esse Magistri Nostri, non percipiùt naturalia (o), multò minus cælestia & Divina quisquam. 2. Ab incommodo: Qui enim sua ratione & intellectu scrutari attentabunt majestatem Divinam, non prælucente fide, certissimè opprimentur à gloria (p). 3. A contemptu Spiritus Sancti: quantùm enim illi suæ tribuunt ac confidunt rationi, tantùm detrahunt Spiritus sancti operationi.

o) Ioh. 3. 12.

p) Prov. 25. 27.

4. Deniq; ex antiquitate solidè hic error refutatur. Irenæus enim inquit (q): Sine Deo discere Deum, impossibile est. Et Augustinus (r): Quando venerit cogitatio, & proposuerit, quid est Deus, & quæ est ratio Trinitatis? nobis sufficiat credere. Gregorius (s): Tunc verè aliquid de Deo cognoscimus, cum aliquid de illo cognosci non posse sentimus. Athanasius: ne dixeris de Deo qualiter, est enim supra omne quale, ne dixeris quomodo, est enim supra omnem modum divinus modus. Non etiam dixeris qua ratione, est enim supra omnem rationem divina ratio, sed crede in patrem non scrutando rem. Quin & hisce nostris Antagonistis Ethnici fuerunt saniores, sic enim Cicero (a): Mala & impia est consuetudo contra Deum disputandi, sive ex animo id fiat, sive simulatè. Et de quæstione, quid sit Deus, nihil

q) lib. 4. c. 10

r) Serm. 189.

s) lib mor. 5.

a) lib. 2. de nat. Deor.

certi.

certi affirmare posse Philosophiam, demonstrat Cicero (b) exemplo Simonidis, qui Hieroni interroganti quid esset Deus, sæpius duplicans numerum dierum, ut esset spatium deliberandi, tandem respondit: quantò diutius considero, tantò mihi videtur res obscurior.

b) lib. 1. de nat. Deor.

5. Concludimus ergò enunciato Christi (c), quo beatos pronunciat, qui non vident, & credunt: Calvinianos, qui ordinatum hunc Christi modum pervertunt, & nisi videant, credere nolunt, nihil videre, & si obstinatè ita perexerint, non sortem in beatitudine cum credentibus sempiterna, sed partem illorum fore cum incredulis in stagno, ardenti igne & sulphure.

c) Ioh. 20, 29

Caput Secundum.

De Attributis Dei.

Error Primus.

Quidam homines ita Deo sunt exosi, ut ab ipso Deo damnentur, ne ijs quidem exceptis, qui exstinguuntur, antequam actu peccent.

Beza in summa Christianismi, f. 195.

REFUTATIO.

Summa hæc est in justitiam Dei blasphemia, auribus Christianis nullo modo tolerabilis, cum tot ferè errores habeat, quot verba. Tradit n. 1. Deo quosdam homines esse exosos, sc. sine ullo vel incredulitatis vel impietatis respectu. 2. Deum quosdam (certos nimirum) damnare, nullam aliam ob causam, nisi quia ei sint exosi. 3. Deum damnare etiam, qui actualia peccata non perpetrarunt, atq; sic neq; propter peccatum originis, quia illud per se non esse culpabile, neq; damnationis pœnam inferre posse, ut suo loco videbimus, statuunt. 4. Infantes quosdam (præteritos sc. in decreto prædestinationis absolutæ) antequam actu peccent morientes, damnari. Quæ omnia ἑτεροδοξα Deum injustitiæ arguunt.

1. Quibus primò opponimus immota S. S. Scripturæ testimonia, de ingenti amore & misericordia Dei erga totum genus humanum (a), etiam tanta, ut non ullius hominis quantumvis peccatoris mortem velit,

a) Deut. 33 3 Ps. 86. 5. & 103. 8. Esa. 45. 15. Ier. 31. 20.

velit, sed potius ut convertatur & vivat (b), atq; sic etiam impios justificet (c): tùm neminem quoq; rejiciat ac damnet, nisi propter peccata, & finalem in ijs ac obduratam perseverantiam (d): Imò & infantes omnes, qui, antequam peccata mortalia scientes & volentes perpetrant, morte præoccupantur, salvet (e).

2. Deindè refutatur etiam hic blasphemus error, titulo & nomine Patris, qui passim in sacris literis tribuitur Deo, non tantùm relatè respectu filij sui, sed sæpius absolutè considerato erga homines (f), respectu creationis, conservationis, justificationis, omniumq; tum spiritualium, tùm corporalium bonorum, quibus genus humanum immeritum & ingratum, ex solo paterno affectu cumulat, undè extra omnem dubitationis aleam certo certius constat, nos Deo non exosos, sed supra modum charos esse, ita ut ejus etiam amor στοργὴ maternam longissimè superet (f). Quo titulo Patris longè augustissimo, Calviniani sacrilegè, ex diabolico affectu, Deum privare conantur, tantùm ut maximæ parti hominum, Deum non ut Patrem colendum, sed ut hostem truculentum aversandum esse, persuadeant.

3. Tùm & ipsa πρᾶξις de Deo contrarium testatur. Qui Mundum ita dilexit, ut filium suum unigenitũ dederit in mortem (g), & omnium hominum peccata in eũ projecerit, ne nos periremus, sed credentes vitam haberemus æternam; qui hanc suam gratiam & meritum Christi, omnibus hominibus annunciat (h), porrectis ulnis offert, offerendo invitat, invitando obsecrat, obsecrando instat, contemptores multa longanimitate tolerat, neq; statim in irâ suâ eos corripit, sed spatium convertendi se, satis longum ijs prorogat &c. Quis, nisi mente captus & planè à diabolo fascinatus, tàm bonum, tàm benignum, tàm misericordem Deum, homines odisse, eorum velle interitum, multosq; sine respectu finalis in peccatis perseverantiæ damnare, diceret?

4. Quin & hæc blasphemia, universa fidei capita labefactat, imò planè tollit. Si enim quidam homines ita Deo sint exosi, ut sine respectu impietatis damnentur, utiq; nullum meritum Christi, nulla prædicatio Evangelij, nulla fides, nullus baptismus neq; cæna Domini, illis proderit,

b) Ezech. 18. 32. & 33. 11. 1 Tim. 2, 4. 2 Pet. 3, 9.
c) Rom. 4, 5.
d) Ezech. 18. 24. Rom. 6. 23. c. 8. 13. 1 Cor. 6, 9. Gal. 5, 21.
e) Gen. 17, 7. Matt. 18. 14. Mar. 10, 14.
f) Esa. 49, 15. Ier. 31, 20. Ps. 103, 13. Luc. 6, 36.
f) Esa. 49, 15. Ier. 31. 20. Oseæ. 11, 8.
g) Ioh. 3, 16. 1 Ioh. 4, 9. Rom. 5, 8.
h) Matt. 28, 19. Mar. 16, 15, Act. 17, 30. Coloss. 1, 28. Esa. 65 2. Rom. 9. 22.

Deo, frustrà erit omnis pœnitentia, inanis peccatorum absolutio, vanæ omnes Evangelij promissiones. Taceo alia absurdiora, quæ sine hypocriseos & simulationis suspicione de Deo, admitti non possunt.

5. Concludimus ergò quod impossibile sit, Deo summè bono & misericordi homines quosdam ex mero beneplacito, sine ullo respectu, posse esse exosos, & fontem omnis bonitatis & misericordiæ, posse ex sese amaram injustitiæ & odij aquam producere.

Error Secundus.

Deus universa sua potentia efficere non potest, ut corpus humanum possit esse in pluribus locis, vel ubiq; in dispensatione cænæ Dominicæ. Nulla enim vi fieri potest, ut res creata sit ubiq;.

Martyr. in dialog. f. 6. Item cont. Gardinerũ object. 11. Danæus in Elench. hæret. f. 167.

REFUTATIO.

Hic judicet quisq;, qui sano est judicio, annon Calviniani ex Deo omnipotenti, semipotentem vel impotentem faciant. Et hujus blasphemiæ Calvinianos neq; pudere neq; tædere, vel inde patet, quod eam defendere mordicùs pergant, dicentes plura esse, quæ Deus non possit: cèu, mentiri, peccare, factum infectum reddere, suscitare virginem post ruinam, efficere ut triangulus sit quadrangulus, tria sint quatuor, &c. Arguta scilicet contra omnipotentiam Dei disputatio, quam Martyr hoc sarcasmo concludit: Vbi nunc est illa potentia Dei, quam tàm liberè, & citra omnem exceptionem crepatis? Quæ blasphemia, (ut ut Calviniani se excusent, distinctione voluntatis, & absolutæ omnipotentiæ Dei, quæ jamdudum ab eorum complicibus, Beza, Martyre & alijs explosa est) omnipotentiæ Divinæ detrahens, omnium βδελυγμάτων Calvinianorum basis est & scaturigo. Ex ignoratione enim virtutis Dei, omnis error, teste Christo [a], *promanat.*

a] Matt 22. 29.

1. Sed non eo modo de seipso Deus, neq; de Deo ipsi angeli & scriptura loquitur. Deus enim apparens Abrahæ, dicit ad eum [b]: *Ego Dominus OMNIPOTENS. Sic ad Jeremiam: Ecce ego Dominus Deus universæ carnis, nunquid mihi difficile erit omne verbum?*

b] Gen. 17, 1. Ier. 32, 27.

bum? Et apud Esaiam [c]: nunquid abbreviata est manus mea, ut non possim redimere? Eodem modo angelus ad Mariam ex ore Dei & Prophetæ [d] inquit: non est impossibile apud Deum omne verbum. Et Christus ipse ad discipulos [e]: apud Deum omnia possibilia sunt. Idem confirmat Apostolus [f]: Deus potens est omnia facere superabundanter, quàm petimus aut intelligimus.

2. Hisce dictis, quibus ad confirmandam Dei omnipotentiam nil clarius, nil solidius adferri potest, addi possunt opera Dei, majestatis & omnipotentiæ Divinæ plenissima, qualia sunt: creatio totius universi ex nihilo, ejusdemq; miranda conservatio [g]; miracula planè Divina, quibus passim Sacrosancta Scriptura stipata confirmatur [h]; naturæ rationalis & irrationalis, sentientis & vegetantis miraculosa propagatio; ipsiusq; Dei virtus, quam & quotidiè in nostra infirmitate, rebus planè desperatissimis perficit [i], & demum in resurrectione corporum perfectissimè consummabit. Hæc omnia opera, quæ ne cogitando, nedum recensendo, assequi possumus, tàm clarè & perspicuè Dei nobis commendant & confirmant omnipotentiam, ut qui vel tantillum de ea dubitet, in ipso meridiè palpare meritò dicatur.

3. Sed eandem nobiscum Calviniani, luce verbi convicti, se credere dicent omnipotentiam; Verùm hoc ijs credere, nimis blasphema eorum in omnipotentiam enunciata superius posita, & ijs plura similia [k], non concedunt. Quarè, præmissâ generali omnipotentiæ Dei probatione, restat ut eandem quoq; ab hac enormi blasphemia vindicemus. Id ut viâ fiat eò faciliori & breviori, controversiam totam, quam in ipsa συζητήσει plurib. referemus, hac quæstione complectemur: An Deus simpliciter sine ulla exceptione omnia possit? Ad quam respondemus per distinctionem, omnia; quæ nimirum nō Dei, etsi rei naturæ sint contraria. Calviniani utrumq; negant. Prius itaq; est extra controversiam, & ejus omnipotentiam, tantùm abest ut imminuat, ut quoq; eandem perficiat, propterea enim illa non potest. 1. quia est omnipotens, ut Augustinus inquit [l], sunt enim hæc

c] Esa. 50, 2.
d] Gen. 18, 14 Ier. 32. 17. 27
e] Matt. 19. 26.
f] Eph. 3. 20.
g] Gen. 1. Psal. 33. 6. & 148. 5. Ebr. 11. 3.
h] Gen. 7. 10. c. 11. 7. c. 19. 24. Exod. 4. 3. 4. 6. 7. c. 7. & seq. c. 14. 19. 21. c. 17. 6. Num. 11. 31. c. 16. 32. Ios. 3. 16. c. 6. 20. c. 10. 12. 3 Reg. 17. 14. 22. 4 Reg. 1. 10. 12. c. 2. 11. c. 4. 5. 6. 35 44. c. 7. 1. c. 19. 35. Dan. 3. 23. c. 6. 23. Matt. 8. 3. 13. 15. 32. c. 9. 6. 22. 25 33. &c.
i] 2 Cor. 12. 9. Ioh. 5. 25. c. 8. 51. c. 11. 25. 26 1 Cor. 15. 52. 53.
k] Oecolāp. in lib. de verbis Domini Beza Tom. 1. f. 152. cont. D. Iac. Andr. f. 35. cont. D. Pappum f. 115. in coll. Momp. f. 33.
l] De Civit. Dei lib. 5. c. 10.

non

non δωάμεως, verùm ἀδωαμίας. 2. quia illa omnia, nimirum aliquid pati, vel se perinde habere ad non esse quam ad esse, aut econtrà, non sunt activæ sed passivæ potentiæ, cujus Deus est expers.

4. Ad posterius verò, quod errorem concernit, contra Calvinianos constanter asseveramus, Deum omnia illa quæ naturæ repugnant, vel nutu, nedum vi sua, posse efficere. 1. Quia Dominus & creator est creaturæ, qui eam aliter, si voluisset, condere potuisset, quandò itaq; corpus physicum in uno tantùm loco est, non hoc habet à seipso sed à Deo, qui illud, ut in pluribus locis esset, creare potuisset, & propterea hunc ordinem, quando vult, etsi nobis videatur impossibile & ἄτοπον, mutare illi haud est difficile. 2. Quia est liberrimum agens, nec ita stoica necessitate causis secundis alligari potest nec debet. Non enim Deus est numen Parcarum carcere clausum, qualis putabatur Stoicus esse Deus. Sed illi omnis natura servit & obtemperat, tanquam primæ causæ, cui cedunt & obœdiunt omnes causæ Physicæ, quoties, quandò & quomodocunq; illis Deus uti vult, etiam supra præter & contra communem & naturalem rationem. 3. Id quod deniq; opera Dei quamplurima præter rerum seriem confirmant, ut: Statio & regressio solis [m], divisio maris rubri & Jordani [n], ignis Babylonicus non urens [o], virgo pariens [p], miraculosa ægrotorum cura, & similia.

5. Multò magis Christi corpus potest esse in dispensatione cœnæ Dominicæ, neq; hoc vel Deo impossibile, vel contra corporis Christi proprietatem est; illud quia αὐτὸς ἔφα, non itaq; apud Deum impossibile ullum verbum [p]: hoc, quia non est in locum, sed in λόγον assumptum, & cum eo personaliter unitum. Itaq; sequitur, cum modus imitetur naram sui principij, ut, qualis est unio, talis etiam sit modus ὑποστάσεως, ex ea unione carni proveniens, ut ex sequentibus disp. in loco de Persona Christi videbimus. Quibus addi potest; situm corporis localem, non esse de substantia, sed circumstantiâ & accidentali formâ corporis intelligendum, quâ mutatâ, non est necesse, statim ipsam substantiam tolli aut mutari.

m] Ios. 10, 13. 4. Reg. 20. 11
n] Ex. 14. 22. Ios. 3. 16.
o] Dan. 3. 23.
p] Esa. 7. 14. Luc. 1. 31.
q] Ier. 32. 27. Luc. 1. 37.

 6. Reli-

6. Reliqua de facto infecto, triangulo quadrangulo, uno tribus, &c. puerilia sunt & suavia cerebelli somnia. Quasi verò Deus non posset superabundanter, quàm intelligimus (p) facere; omnem enim locum, tempus & numerum, etiam operibus suis longè transcendit: itaq; nihil illi ratione temporis, vel factum est vel infectum, qui ἐν τῷ νῦν omnia præsentissimè intuetur, sic & de reliquis. Quæ etsi nobis, quomodo fieri possint, videantur incomprehensibilia, nùm propterea Deo hæc impossibilia esse statuendum? ne sutor ultra crepidam. Deindè quid aliud est, ut D. Lyserus & D. Schlusselburgius (q) annotant, quando Deus peccatoribus peccata remittit, meretrices in gratiam recipit, & sementem multiplicat, nisi quod factum infectum reddat, honorem virginalem restituat, & unum tria imò centum efficiat.

p) Eph. 3. 20.

q) In Calvinismo suo f. 45. In Theolog. Calvinist. lib. 1. art. 3.

7. Quin deniq; in hac blasphemia Sacramentarijs gentiles cedunt, quos verecundiùs & augustiùs de Dei omnipotentia sensisse, Cicero testis est, inquiens (r): nihil est quod Deus efficere non possit, & quidem sine labore ullo. Hic nihil excipit, at illi multum, pudeat itaq; Calvinianos, quod hac in parte ab Ethnicis vincantur.

r) lib. 3. de nat. Deor.

Error Tertius.

Deus non οὐσίᾳ sed ἐνεργείᾳ est hic in terris, quemadmodum Sol in cælo manens, suos radios in terram mittit.

Danæus de Elench. hæret. f. 119. Idem in lib. 1. Lombardi, dist. 14. f. 238. 239. 610. Zanchius de tribus Elohim. Beza tom. 1. f. 589.

REFUTATIO.

Non aliter de Deo, atq; de homine & corpore physico Calvinianos sentire & loqui hinc patet, undè magis probatur, quod nihil de Deo credant, nisi quod prius fuerit in intellectu, ut superius monuimus. Quid itaq; mirum, si idem de natura humana in Christo sentiant, eum οὐσιώδη præsentiam Deo non concedant, imò nihil magis de Deo credant, quam de Sole in cælis vident & experiuntur.

2. Etsi

1. Etsi verò in hoc quoq; somnio refutando, velle operam multam sumere, superfluum sit, ut cum Athanasio loquar, cùm eorum stultitia, manifestam sui damnationem præ se ferat; tamen opponimus illi dicta Sacrosanctæ Scripturæ superius (a) posita, quibus addi possunt & illa, quæ Dei sedem cælum, & scabellum pedum ejus terram faciunt (b); eumq; esse Deum è vicino, & non de longè (c): in quo vivamus moveamur & simus (d): qui propè sit invocantibus eum corde contrito (e).

2. Hanc Dei in allegatis dictis omnipræsentiam, non tantùm esse ἐνεργητικὴν sed & οὐσιώδη, probatur simplicissimâ Dei essentiâ, quâ spiritus est (f), & omnia permeat, continens cuncta, contentus à nullo, & propterea etiam ubiq; ὅλος ὁλικῶς, in toto & omnibus ac singulis totus est præsens, utpote in quo ab οὐσίᾳ ἡ ἐνέργεια separari non potest.

3. Quin & ipsa Essentiæ Divinæ Infinitas & Immensitas, omnipræsentiam necessariò confirmat. Si enim Deus essentiâ suâ infinitus & immensus, quod & ipsi Adversarij credunt, nullo modo fieri potest, ut etiam οὐσιωδῶς non sit ubiq;.

4. Quia etiam essentia Dei singulis rebus esse dat, potentia vires subministrat, & præsentia operationem, in & cum hominibus perficit, sequitur etiam necessariò, Deum proprietate suæ essentiæ, ut in seipso totus est, sine sui divisione, ubiq; præsentem esse & omnia replere.

5. Cujus Dei omnipræsentiæ quandam umbram in natura videmus; ut cum radij solares totum hemisphærium complent sua luce, & candela accensa revera omnes angulos domus, ad quos penetrat, illustrat: Sonus omnium præsentium aures afficit: visus in pluribus simul locis versari potest, &c. Si itaque naturæ & creaturæ concedimus multipræsentiam, cur non etiam multò magis Deo creatori, sua relinquenda esset omnipræsentia.

a) Cap. 1. Err. 3.
b) 1 Reg. 8. 27.
c) Esa. 66. 1.
d) Act. 17. 27.
e) Ps. 34. 19 & 145. 18. Esa. 57. 15. c. 66. 2.
f) Joh. 4. 24. 2 Cor. 3. 16.

Error Quartus.

D. Olearius in vorzeichniß Calvinischer Irrthum. art. 17.

Veritatem quoq; Dei, ex impossibilitate naturæ Sacramentarij metiuntur.

REFUTATIO.

Veritas & omnipotentia DEI, sunt duæ firmissimæ columnæ totius Christianæ religionis, quas quia Adversarij convellunt, eorum religionem vacillare & ruere certum est. Quomodò verò Calviniani veritatem Dei ex impossibilitate naturæ metiantur, ex loco de Persona Christi, & Cæna Dominica satis superq; constat, ubi plus naturæ corporis physici, quam verbis Christi tribuunt, Christi adeoq; ipsius Dei veritatem, ex naturæ impossibilitate negantes.

1. Sed refutantur testimonijs Sacrosanctæ Scripturæ, quæ Deum ejusq; sermonem, ipsam esse veritatem testantur, quale est illud Davidis & Apostoli (a): *Sit Deus verax, omnis autem homo mendax. Item: Ille fidelis permanet, negare seipsum non potest. Item Christi: Sermo tuus veritas est. Et: Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut pœniteat eum. Dixit ergò, & non faciet? locùtus est & non implebit? Et illud angeli imò ipsius Christi: non est impossibile apud Deum omne verbum.*

a) Ps. 116. 11. Rom. 3. 4. Ioh. 17, 17. Num. 23. 19. Matt. 19. 26. Luc. 1, 37.

2. Tùm si Philosopho credimus naturalia, undè & à quibusdam Præceptores veritatis nuncupantur; si Politico civilia, cur non etiam multò magis Deo crederemus Divina, etsi sint præternaturalia? Et si hominis testamentum (b) *confirmatum nemò abrogat, aut superordinat, quâ audaciâ Calviniani filij DEI testamentum in sua cœna non acceptant, sed veritatem Christi ex natura interpretantur?*

b) Gal. 3. 15.

3. Prætereà Deus, qui est sapientia summa & æterna, suæ creaturæ & naturæ limitatione & interpretatione non indiget. Non n. naturæ sed verbo suo alligari vult, in quo Divinas & singulares suas locutiones de arduis & & summis, naturam longè excedentibus mysterijs,

sterÿs, habet, quas, quia ratio neq; humana neq; ulla physica, quicquam de ÿs percipere aut dÿudicare potest, simplici fide amplecti potiùs, quàm delira ex natura sumpta phronesi reformare, ac depravare debemus.

4. Si enim non simpliciter verbo Dei veraci standum esset, sed illud ex ratione vel natura interpretari liceret, ut adversarÿ hanc sibi nefariè licentiam arrogant, quomodò deniq; mysteria & articuli fidei constarent? quid in articulo de Trinitate, Persona Christi, Sacramentis, justificatione, resurrectione corporum, statuendum? nonnè hæc mysteria, si ipsa ratio ex judicio naturæ ea metiri & definire vellet, prorsus everterentur? Quarè, cum quid miraris, (ut Hugonis verbis concludamus) & dixerit tibi fortè cogitatio tua, quomodo hoc esse possit, cogita facientem, (adde & dicentem) & desinet esse mirabile, vel saltem incredibile non erit.

DE CALVINISMO

DISPUTATIO ELENCTICA
TERTIA
Complectens Matæologiæ Calviniana
examen in loco
De

PERSONA CHRISTI.

Quam
Consensu & Approbatione Reverendæ facultatis Theologicæ
Doctore & Ductore S. S. Spiritu
Sub Præsidio
M. PETRI HINKELMANNI
privatim defendendam suscipiet
IOHANNES CVSELIVS Lub.
habebitur disputatio 5. Idus Aug.

ROSTOCHII
Litteris Reusnerianis, Anno 1609.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0069
DFG

ΣΤΝ ΘΕΩ.

DISPVTATIO ANTICALVINISTICA III.

DE PERSONA CHRISTI.

CONTINUATIO.

POcũ de Deo nunc excipit illud ὁμολογουμένως μέγα τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον de Persona Christi, q. est, ut Iustinus inquit, ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ κατάληψιν, ita ut Angeli in illud introspicere desiderent, undè & omnibus religiosè cavendum, ne quid in hoc tàm tremendo & venerando ἑνοπαρχώσεως, ἑνώσεως & κοινωνίας mysterio, ex rationis humanæ judicio, extra oraculorum divinorum prælucentem facem (a) statuant; ut videmus nostros Adversarios, scrutando majestatem CHristi, in hoc mysterium ἀνεξερεύνητον καὶ ἀνεξιχνίαστον, mille modis impingere: quare & eorum μαπυολογία in hoc loco tam est ampla, ut, quia unicâ disputatione absolvi illa non potuerit, in aliquot distributam eam examinare coacti fuerimus. Hac itaq; συζητήσει: Primò errores eorum de Incarnatione Christi, ejusq; duabus naturis videbimus. Secundò eos, quos circa personalem unionem duarum naturarum in Christo fovent, examini subjiciemus.

a) Psal. 119. 105.

CAPUT PRIMUM.

De Incarnatione Christi, ejusq; duabus Naturis.

Error Primus.

Filius Dei incarnatus est respectu ὑποστάσεως à patre & Spiritu S. distinctæ, non autem naturæ divinæ.

Sohnius in exeg. A. C. f. 192. Danæus in exam. Chemn. f. 8.

REFUTATIO.

Hic Error de ἑνοπαρχώσει & λόγε, basis est & fundamentum totius κενοσοφίας Calvinianæ in hoc loco. Si enim natura divina subtracta à persona & λόγε, ab ipsa quoq; incarnatione eximatur, utiq; extra naturam humanam, absq; ulla suarum divinarum proprietatum communicatione considerata, nihil cum ea commercij habebit, quod certè est Nestoriano more solvere Christum, ejusq; humanam naturam summâ af-

mâ afficere blasphemiâ. Etsi enim sola secunda Persona Trinitatis acceperit hominem in singularitatem personæ, ut concilium Toletanum loquitur, tamen non sequitur, solam ὑπόστασιν absq; divina natura relatè κατ' ἴδιον τρόπον ὑπάρξεως considerata, incarnatam esse.

a) Col. 2,9.

1. *Quia SS. literæ testantur* (a) *quod in eo* πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς κατοικῇ: *quod non tantùm de Persona, verùm etiam natura divina in persona* τοῦ λόγου *intelligendum esse, ex singulis istius dicti vocibus* ἀποδεικτικῶς *demonstrari potest, ita ut vel unicum hoc, ad destruendam calvinianam basin, satis abundè sufficiat. Quibus tamen addimus alia satis perspicua dicta* (b), *in quibus vocabulum* τοῦ λόγου *& filij, est concretum, quod absq; divina natura intelligi non potest.*

b) Ion. 1. 14. Gal. 4. 4. Heb. 2. 14. 16.

2. *Quare etiam* ὁ λόγος *assumptam humanam naturam, vocat suam carnem,* (c) *suum corpus, suam animam, manus & latus suum, &c. quia in ipsa conceptione, massam illam humanæ naturæ assumendo propriam sibi fecit, ita ut corpus illud non sit alterius, nisi filij Dei proprium corpus, non tantùm ratione sustentationis & gestationis, sed arctissimæ cum Deitate* τοῦ λόγου *unionis, & proprietatum divinarum communionis.*

c) Ioh. 6. 51. 53. Marc. 14. 8. Matt. 26. 39 Ioh. 20. 27.

3. *Præterea ipsa essentia seu natura divina in* ὑποστάσει τοῦ λόγου *relatè considerata, non est à suo* ὑφισταμένῳ *divisa, sed est quasi ex communi in singulare &* τόδε τι *certa sua proprietate contracta & individuata, unde incarnatâ* ὑποστάσει τοῦ λόγου, *simul etiam naturam divinam, sive essentiam* ἐν τῷ λόγῳ *incarnari necesse est. Nec id ad totam Trinitatem referri posse inde constat, quod hic naturam divinam non* ἁπλῶς, *quatenus communis ea est omnibus tribus personis, sed* εἰδικῶς, *& relatè in persona filij, singulari modo subsistentem, consideremus. Sic neq; confusio Eutichiana hinc sequitur, quia divina natura non* ἀμέσως *sed mediante* ὑποστάσει *incarnata creditur, unde & SS. scriptura semper concretivis vocabulis utitur, describens hanc* ἐνσάρκωσιν.

4. *Quæ vocabula cum de Naturis prædicentur, & naturæ de se invicem,*

invicem, & utraq; de Christo enuncietur (d) *passim in S. literis, incarnatio totius λόγου, etiam secundum suam divinam naturam, inde demonstratur.*

5. *Quemadmodùm etiam Orthodoxi Patres, hasce SS. scripturæ concretivas locutiones abstractivè explicarunt. Vt Damascenus:* (e) *Dicimus omnem & perfectam naturam Deitatis, in una ejus Hypostaseωn, filij scilicet incarnatam. Et Hilarius* (f)*: divina substantia assumpsit humanam substantiam. Et Epiphanius:* (g) *Humanitas conjuncta est Deitati. Sic Athanasius & Cyrillus dicunt* τὴν φύσιν τοῦ λόγου σεσαρκῶσθαι. *Leo inquit* (h)*: Salva proprietate utriusq; naturæ, & in unam coëunte personam, suscepta est à majestate humilitas, & virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, & ad resolvendum conditionis naturæ debitum, natura inviolabilis, naturæ est unita passibili.*

6. *Tandem* ἀκολουθία *hujus erroris, si filius Dei non etiã respectu divinæ suæ naturæ credatur incarnatus, notetur. Quod humana natura assumpta in* λόγον, *divinæ tantùm adsit per* παράστασιν, *sive* παράθεσιν, *quemadmodùm asser asseri conglutinatur, aut stella adhæret suo orbi. Quod duo sint Christi, unus Deus, alter purus homo. Quod filius Dei absq; & extra naturam divinam sit persona. Quod Persona* τοῦ λόγου *ab ejusdem essentia divellatur; imò natura divina ex incarnationis mysterio planè nobis eripiatur; unde & hypostatica unio, & eam subsecuta idiomatum realis communicatio evertitur, & planè omnis consolatio, quam ex carnis Christi nobis similis, arctissima in Persona filij Dei, cum natura ejus divina conjunctione & societate habemus, expirat.*

Error Secundus.

Si quis in dicto Iohan. 1. Verbum caro factum est, τῷ ῥητῷ pertinaciter insistere velit, in hæresin incidet, & Christi divinitatem negabit, necessariò itaq; ad tropum fugiendum, & cum Paulo ita hoc dictum explicandum: Filius Dei semen Abrahæ assumpsit.

d) Iere. 23. 5. c. 33. 15. Luc. 1. 32. Ioh. 1. 14. c. 5. 27. Rom. 1. 3. 1. Tim. 2. 16. 1. Cor. 15. 47. 2. Cor. 5. 19.
e) lib. 3. c. 6.
f) de Trin. l. 9
g) lib. 1. Tom. 3.
h) Epist. 10.

Rudolph. Gualt. post. in 1. Cor. 11. f. 399. D. Olearius in verzeichnis Calvinisch. Irrthumb.

Hæc est illa ingenua adversariorum de Incarnatione Christi, & subsequenti Personali unione, tùm & idiomatum communione, confessio, quod nimirùm non realiter & revera hæc omnia facta esse credant, sed tropicè intelligant, ut sic divinitati Christi detrahant. Quod etsi se facere videri nolint, cum scripturam per scripturam interdùm interpretentur, tamen eam ad suum sensum per tropicam & figuratam explicationem detorquent. Etsi verò à nostratibus (a), tum & plerisq; patribus, ut Theodoretus annotat, illud Iohan. ἐγένετο per alia dicta explicetur, tamen indè non sequitur id tropicè accipiendum, sed in vero & proprio suo sensu, (b) non ex physica, sed S. Codice desumpto, retinendum.

a) D. Chemnitius lib. de duab. nat. c. 9. f. 5. 26. D. Hutterus in A. C. disp. 7. th. 91

b) D. Gerhardus in F. C. disp. 12. thes. 2, 6.

1. Vt forma specifica incarnationis ab aliis modis præsentiæ Deitatis nobis describatur: Quod non sit aliqua sustentatio, quâ natura humana in Christo sustentetur & gestetur, quemadmodùm DEVS sustentat & conservat totum universum, ne redigatur in nihilum, quod fuit ante nihil. Neq; sit aliqua communis & vulgaris præsentia, quemadmodum Deus omnibus rebus creatis generaliter adest, cælumq; & terram implet. Neq; gratiosa tantùm inhabitatio, ut in piis Deus habitat, sed admirabilis & ineffabilis naturarum communicatio, qua hæc incarnatio ab aliis omnibus præsentiæ modis, toto genere discrepet.

2. Præterea & τὸ ἐγένετο hujus dicti, humanæ naturæ in Persona τοῦ λόγου cum divina, intimâ conjunctionem ab aliis omnibus conjunctionis speciebus longissimè excipit, innuens, eam non esse confusam, qua tertium quiddam constituatur, sed quod simplicia integra in sua natura ad unum ὑφισάμενα ἀσυγχύτως καὶ ἀναλλοιώτως concurrant; neq; esse naturalem, cum filius Dei ante incarnationem extiterit, & perfectionem suam obtinuerit: neq; accidentalem, vel ratione adjacentiæ vel continuitatis, quemadmodùm asser asseri conglutinatur; vel subjectivè, quatenus accidens cum Ente unum est subjecto; sed esse ὑπόστατον duarum naturarum in persona τοῦ λόγου θεϊκὴν χώρησιν & κοινωνίαν, ab aliis conjunctionibus toto cœlo discrepantem.

3. Tum

3. Tùm & hoc dictum nobis hanc naturarum in Christo unionem indistantem ac inseparabilem describit, undè omnium suavissima illa consolatio emergit, quod natura divina humanam sibi longè præsentissimam habeat, ut sine hac nullibi esse velit, eamq; deponere nunquam possit. Non enim naturam nostram, ut Angeli humanam formam, quam ad tempus assumpserunt, vel tanquam vestem assumpsit, ut eam aliquandò deponeret; sed tàm propriam sibi fecit, ut quam semel susceperit, desereret nunquam.

4. Neq; propterea, si sine tropo hoc dictum intelligatur, σύγχυσις quædam naturarum in Christo metuenda, quia modus physicus hic planè locum non habet, qui tamen etiam non semper substantiarum confusionem inducit, ut exemplum illud de formatione hominis luculenter testatur, ubi scriptura inquit,(b) quod homo, postquam inspirasset ei Deus spiraculum vitæ, factus sit in animam viventem, non quod caro conversa sit in animam viventem, sed ut notetur unio corporis & animæ arctissima in unum ὑφισάμενον. Eodem etiam modo verbum caro factum esse dicitur, non conversione aut confusione unius naturæ in alteram, sed unione longè arctissima, qua nihil conjunctius cogitari potest. b) Gen 2.7. 1.Cor.15 45.

5. Deniq; nec disparatorum prædicationem hic quis objicere potest. Cum enim secundum Logicorum regulam, disparata de se invicem affirmatè non prædicentur, sed tantùm negatè dividentur, sequetur verbum & carnem non absolutè, essentiali affirmatione, sed propter ταυτότητα personæ, personali assertione, ex unione personali, tanquam termino ad quem deducta, de se invicem prædicari. Quæ cum sit mirabiliter singularis, & singulariter mirabilis, ut Iustinus & Augustinus eam nominant, etiam ejusdem prædicationes Logicorum regulis comprehendi & dijudicari posse, nemo sanus affirmabit.

Error Tertius.

Calumniantur Calviniani, nostras Ecclesias statuere τὸν λόγον ante incarnationem, Personam ἰδιοσύστατον & perfectam non fuisse, sed assumptam humanitatem demum perfe- Lib. staffor. cont. Form. conc. f. 106.

perfectam totaliter personam fecisse.

REFUTATIO.

Manifestum & apertum, ut dicitur, mendacium responsione non est dignum. Contrarium enim ex Symbolis, & libris nostratium Theologorum probatur; quod ὁ λόγος in sui natura & subsistentia, ante incarnationem & assumptionem humanæ naturæ, persona αὐτοτελὴς καὶ ἰδιοσύστατος fuerit. Alia verò quæstio est, quando de λόγῳ incarnato, & Christo θεανθρώπῳ loquimur, qui per incarnationem facta est persona συνθετὸς, ut eam Nazianzenus nominat, ad cujus integritatem & perfectionem rectè respondetur, non tantùm divinam, sed & humanam pertinere naturam.

1. Quia sic nobis SS. literæ, utramq; naturam complectentes, Christum describunt (a). *Rectè itaq; cum SS. scriptura dicimus: Christum, utraq; natura constare, imò & perfici. Etsi enim ante incarnationem perfectus erat λόγος, atq; sic etiam Deus, tamen non perfectus erat Christus, quia humanam naturam non assumpserat, quæ superassumpta, ex simplici λόγῳ fecit Christum θεάνθρωπον.*

a) Luc. 1, 31. Ioh. 1. 14. Rom. 1. 3. Gal. 4. 4. 1. Tim. 3. 16. Eb. 2. 14. 16. 1. Pet. 4. 1.

2. Tum ratione officii ad sui perfectionem λόγος humanam requirebat naturam, ut qui jam Deus erat perfectus, in natura assumpta posset etiam mediator esse à parte hominum, patiendo, moriendo, sustinendo pœnam, quam nos nostris peccatis meriti eramus, ut sic à culpa & pœna peccati liberati per Christũ, cum Deo in gratiã rediremus. Perperam itaq; imò & malitiosè Adversarij, quod ad λόγον incarnatum, ratione officii ejus refertur, fingunt, nos de λόγῳ ante incarnationem intelligere.

Error Quartus.

Rudolph. Gualt. postilla.

Lutherani Christi divinitatem annihilant, & hujusmodi Christum fingunt, qui neque Deus, neque homo verus est.

REFUTATIO.

Et hic Adversarij Argo oculatiores, plus videntes foris, domi sunt talpis cæciores, & non vident manticæ quod in tergo est. Neq; est quod

est quod nos contra hanc calumniam excusemus multis verbis, cum rerum testimonia in omnium nostratium scriptis plurima adsint; quin potiùs hanc calumniam in eos ipsos retorquentes, per inversionem demonstrabimus; Adversarios, etsi verbis dissimulent, reipsa tamen (a) divinitatem Christi negare, neq; de humana Christi natura rectè sentire (b).

1. Quod divinitatem Christi non integram credant, probatur. 1. Depravatione omnium dictorum V. & N. T. de divinitate & aeterna generatione filij Dei, quae in commentariis praesertim Calvini invenitur, qua Arrianae impietati viam sternit, & tantùm non in Arrianum degenerat (c). 2. Exinanitione Christi, quam secundum totam personam, atq; sic etiam secundum divinitatem ejus factam esse docent (d). Cum verò ea abq; κενώσει fieri non possit (e); sequitur divinitatem eâdem evacuari atq; imminui. 3. Ἐξουσία officij, quam Christum secundum divinam quoq; naturam accepisse tradunt, cui & dominium super omnes creaturas addunt. Quin & majestatem divinam Christo in tempore datam, contra Patrum interpretationem, de divina Christi natura interpretantur (f). 4. Detractione divinae majestatis, humanae naturae communicatae. Quemadmodùm enim Veteres rectè ex communicatione Idiomatum ad naturam humanã, divinitatem filij demonstrarunt, ita econtrà ex denegata illa communicatione, divinitas enervatur.

2. De humana deindè natura Christi adversarios non rectè sentire, inde constat. 1. Quia eam tantùm gestari à persona & λόγῳ asserunt, sine Idiomatum reali communicatione. 2. Quin & singulares & proprias eidem tribuunt operationes, exclusa divinitate (g). 3. Vndè necessariò eam esse personam, cujus actiones sunt propriae, sequitur; quod est ipsissimum Nestorij dogma.

3. Sic itaq; hoc errore per jugulum Calvinianis retorso, ad majorem ejus refutationem, nostram de divina & humana Christi natura sententiam, in SS. scriptura fundatam, (h) & libris symbolicis & didacticis nostrarum Ecclesiarum explicatam subjungimus, quae haec est (i).

a) D. Polyc. Lyf. Calvinif. Conc. 9. Err. 2.
b) Heilb. Synop. Calv. f. 11.
c) D. Hun in praefat. in artic. de SS. Trinit. f. 10. & seq.
d) defens. Bremens. f. H. 2. Amæling. in Thes.
e) Phil. 2. 7.
f) D. Heilb. Synop. Cal. f. 8. D. Wigand. in Sacram. f. 246.
g) Admonit de lib. conc. f. 22. 23. confess. Heidel. f. 112. 113.
h) Joh. 1. 14. Gal. 4 4. 1. Tim. 2. 16. Ebr. 2. 14.

Symb. Apo. Augu. conf. art. 3 Catec. D. Luther. Form. Con. art. 8.

Credimus, docemus & confitemur, quod verbum caro factum sit, hoc est Filius Dei assumpserit humanam naturam, ut sint duæ naturæ in Christo, divina de substantia æterni patris ab æterno genita & humana ex substantia Mariæ virginis in unitatem personæ assumpta, ut sit unus Christus verè Deus, & verè homo, æterno Deo patri & nobis hominibus ὁμοούσιος. Pudeat itaq; Calvinianos sui tàm crassi commenti, quo nostram Ecclesiam præter jus & fas, gravare non verentur.

Caput Secundum.
De Personali Unione.
Error Primus.

Pet. Mart. in dial. f. 10. Danæus in Exam. lib. D. Chemni. de duab. nat. f. 83. 84.

Sufficit Deitatem quamvis immensam & infinitam, sua hypostasi fulcire ac sustentare humanitatem, ubicunq; illa fuerit. Humana Christi natura adjuncta, accurrit ad hypostasin verbi.

REFUTATIO.

Principalis & præcipua quæstio est in loco de Persona Christi, in cujus explicatione totius disputationis cardo & status positus est: De unione duarum naturarum in Christo, qualis ea sit? Calviniani respondent, ut ex errore patet, esse sustentationem & gestationem humanæ naturæ à τῷ λόγῳ, cui ea accurrat & adjungatur, ne, tanquam propriam subsistentiam non habens, redigatur in nihilum: Hæc Adversariis est specifica unionis personalis differentia.

a) Col. 2. 9.

1. *Sed refutantur vel unico divi Apostoli testimonio quo πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς Θεότητος σωματικῶς ἐν αὐτῷ κατοικεῖν affirmat* (a): *valdè graphicè unionem Personalem describens, non per sustentationem aut gestationem, sed totius plenitudinis divinitatis corporalem inhabitationem in corpore suo, tanquam in proprio suo domicilio, ita ut tota plenitudo Deitatis filij, cum assumpto corpore sit una Persona. Undè & Iohannes inquit* (b) *ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. Et Paulus γενόμενον ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα. Item: Misit Deus filium, γενόμενον ἐκ γυναικὸς. Quibus plura alia ex sacro Codice addi possunt* (c), *quæ*

b) Ioh. 1. 14. Rom. 1. 3. Gal. 4. 4.

c) Luc. 1. 31.

arctiss-

arctißimam naturarum in Christo unionem personalem demonstrant.

2. Deindè & hoc commentum Calvinisticum, quo unire per sustentare potißimum exponunt, SS. scripturæ enunciationes tollunt, quibus vel naturæ in Christo de se invicem prædicantur,(d) ut: Germen Davidis est Jehova. Filius hominis est filius Dei vivi. Deus manifestatus est in carne. Secundus homo est Dominus de cœlo, &c. vel quod naturæ humanæ proprium est, toti Personæ, quæ Deus & homo est inconcreto tribuitur, ut: (e) filius Dei natus ex semine David. Christum oportuit pati. Deus acquisivit Ecclesiam proprio sanguine. Dominus gloriæ crucifixus. Hæ & similes locutiones non solummodò humanam naturam sustentari à persona τ̃ λόγυ volunt, sed ejusdem arctißimam cum persona & natura divina unionem innuunt.

3. Præterea si hypostasis τ̃ λόγυ humanam naturam non aliter nisi sustentatione aβαpisset, sequeretur id non actu illo primo, quo in persona τ̃ λόγυ, τὸ εἶναι suum humana natura accepit, factum esse, sed actu secundo: sustentatio enim per ἐνέργειαν, tanquam actum secundum definitur, & constituit non unum personale, sed unum operans. At per naturam humanam ὑποστᾶσις τ̃ λόγυ non tantùm operatur, eam sustentando, sed cum ea unum ὑφιστάμενον σώματον facta est, eam in sua persona sibi appropriando.

4. Tum & sustentatio humanæ naturæ non potuit sola sufficere, ut justitiæ Dei infinitæ λύτρον sufficientißimum moriendo persolveret, sed opus habuit arctißima cũ λόγῳ unione, quæ per incarnationem ejusdẽ facta est. Quemadmodùm n. oculus δυνάμει ὀπτικῇ ipsius animæ, τ̃ συνδύασιν sibi communicatæ videt, ita etiam naturæ humanæ mors in Christo, infiniti valoris esse non potuit per sustentationem, nisi simul in λόγυ ineffabili modo assumpta, δυνάμει ζωοποιικῇ locupletata sit.

5. Vndè & Patres orthodoxi hanc unionem personalem vocant ἕνωσιν, ἐνανθρώπησιν, ἐνσωμάτωσιν, προσλῆψιν ἀνθρωπότητος εἰς θεότητα. (f) Et humanam naturam nominarunt ἴδιον καὶ προβολὴν τ̃ λόγυ. Et Damascenus inquit. (g) Confitemur unitas ad invicem

1. Tim. 3. 16. Col. 2. 9.

d) Ier. 23. 6. Matt. 16. 16. 1. Tim. 2. 16. 1. Cor. 15. 47.

e) Rom. 1. 3. Luc. 24. 26. Act. 20. 28. 1. Cor. 2. 8.

f) Athan. in Symb.

g) l. b. 3. cap. 3. 5. 7. 15.

naturas ἐν τῇ μιᾷ συνθέτῳ ὑποστάσει. Et; caro est assecuta ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ τὸ εἶναι. Item: Naturæ in Christo sine conversione περιχωροῦσιν ἐν ἀλλήλαις. Quas appellationes latina Ecclesia in explicatione hujus mysterij retinuit, unionem hanc nominans, incarnationem & corporationem. Item, Deum carne corporatum, & hominem Deo mixtum, &c (h). Vt indicent unionem factam esse ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως καὶ ἀδιαστάτως.

h) D. Chem. lib. de duab. nat. c. 9. f. 54 & seq.

6. Deniq; κακοδοξίας hujus Calvinianæ ἀκόλουθα notentur. Nestorianam hæresin sapit, Christum dividit, naturarum earumq; proprietatum κοινωνίαν negat. Sequeretur, universam creaturam, quam filius verbo virtutis suæ portare dicitur (i), propterea quoq; ei personaliter unitam esse: quemcunq; hominem, cum omnes à Deo sustententur, potuisse opus redemptionis perficere. Necesse igitur est, ut longè sublimior specifica differentia unionis Personalis statuatur, per quam ab aliis rebus omnibus longissimè distinguatur; nimirùm uniri ad constitutionem unius Personæ compositæ, & assumi in arctissimam περιχώρησιν καὶ κοινωνίαν divinæ naturæ ejusq; proprietatum.

i) Eb. 1. 3.

Error Secundus.

Λόγος ita totus est in carne, ut etiam totus sit extra carnem. Blasphemia est dicere, humanam Christi naturam eodem loco simul existere cum divina natura, cui hypostaticè unita est.

D. Pezelius in demonst. f. 36. Danæus in Exam. cont. D. Chemn. f. 66. 129.

REFVTATIO.

Hæc Geometrica Personalis unionis descriptio & imaginatio, ostendit Calvinianos nihil velle credere, nisi quod prius in intellectu fuerit, & quia illis impossibile videtur, finitum posse esse infiniti capax, variis iisq; crassis similibus (a) de radice, trunco & ramis, de planeta affixo suo orbi, de gemma annulo conjuncta, &c. hanc suam imaginationem Geometricè demonstrare annituntur.

a) Martyr. in dial. f. 11. 12.

1. Cui illud Apostoli jam antè allatum majestatis plenum testimonium, quo tota plenitudo Divinitatis in Christo corporaliter inhabitare dicitur, διαῤῥήδην repugnat; suppositum enim sive domicilium, in quo

in quo plenitudo divinitatis inhabitare dicitur, tantùm de naturâ humana, nisi Identicam prædicationem introducere velis, hic est accipiendum. Quam inhabitationem, quomodo facta sit, Johannes nobis describit, inquiens; Verbũ caro factum est. Quia itaq; totum verbum incarnatum est, ut superiori capite demonstravimus, utique, nullibi non incarnatum existere posse, sequitur. Huc faciunt & illa dicta, quæ totius Christi nobis in terris præsentiam describunt (b).

b) Matth. 18. 20. c. 28. 20. Ephes. 4. 10.

2. Deindè non considerant Adversarij, aliàs satis oculati, humanam naturam propria carere personalitate, sed communem habere, etsi non vi innatæ, attamen donatæ potentiæ, cum divina natura ὑπόστασιν: ubi itaq; ὑπόστασις subsistet, ibi & caro ei unita erit. Impossibile itaq; est τὸν λόγον extra carnem subsistere, imò dari posse.

3. Nec obstat συμβολικὴ & essentialis carnis proprietas, quâ natura humana in sua ὑσία terminata est & manet. Hæc enim longissimè à sua subsistentia discernitur, quæ non ex conditione carnis, sed ex unione ipsa & assumptione humanitatis in λόγον, definienda erit, quod sit modus ὑπάρξεως ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ illocalis, secundum quem ὁ λόγος carnem sibi ὑποστατικῶς conjunctam, non modò habeat præsentem, sed longè supra humanæ rationis captum præsentissimam.

4. Id enim si negabitur, utiq; necessum erit λόγον secundum suam ὑπόστασιν esse alicubi, ubi non sit caro, eoq; respectu non esse ἄνθρωπον, sed μόνον Θεὸν: undè sequetur, aliã esse ὑπόστασιν simplicem, aliam compositam, aliam incarnatam, aliam non incarnatam; quod quia propter ὑπόστασιν ἀμέρειστον est impossibile, insuper geminationem & divisionem personæ inducit.

5. Hisce plurima alia παραδόξα addi possunt. Nestorianum est; ἕνωσιν nõ ὁλικὴν ἀλλὰ μερικὴν, quin & ἐνδημίαν, cum totum λόγον extra carnem collocet, fingit. Carni seu humanæ naturæ localem subsistentiam affingit. Res alias creatas τῷ λόγῳ præsentiores, quam assumptam naturam facit, vel saltem nihil prærogativæ ei, præ illis concedit. Humanam naturam omni κοινωνίᾳ divinitatis exutam, pro nudo & solo nobis homine relinquit, imò & unionem personalẽ prorsus solvit.

6. Nullum

6. *Nullum denique Adversarij ex Patrum Orthodoxorum scriptis testimonium, quod λογον extra suam carnem esse affirmet, producere possunt, quin potius ad arctissimam ὑποστατικὴν ἕνωσιν describendam, liberius & minus accuratè locuti sunt, ut superiùs annotavimus (e). Ita ut eorum phrasibus, deinde Eutyches ad suam hæresin stabiliendam abusus sit, quas deindè posteriores explicuerunt contra eum, per vocabula ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως καὶ ἀναλοιώτως; quemadmodum & contra Nestorium vocibus ἀδιαιρέτως & χωρίστως, ἀδιαστάτως καὶ ἀδιαπαύστως usi sunt, ut nullam prorsus διάστασιν, neque loci ratione, neque ullo alio modo, inter naturas Hypostaticè unitas, dari posse, docerent. Ejusdem itaque Adversarios blasphemiæ, qua nos accusant, meritò damnamus, quod λόγον totum extra suam carnem assumptam statuunt, & humanam naturam divinæ, cui hypostaticè unita est, illocaliter non esse præsentem docent.*

e) cap. 2 Er. 2. th. 3.

Error Tertius.

Martyr contra Brent. Beza in volum. theol.

Filium hominis i.e. naturam humanam evectam esse ad infinitam potentiam, sapientiam, bonitatem & justitiam non facilè dabo: sed caro Christi in tantam excellentiã evecta est, quãta maxima creaturæ esse potest.

REFUTATIO.

Beza cum suis, Martyre est apertior, quia homini Christo ex unione personali nullam aliam excellentiam, quam quæ creaturæ aliàs extra unionem competit, concedit, atque sic se satis honoris Christo exhibuisse putat. Sed non quid hic & ille hæreticus Christo largiatur, vel quantum secundum creaturæ mensuram ipsi relinquatur, attendendum, verùm quod SS. Scriptura de homine Christo nobis credendum proponit, firma fide amplecti decet.

1. *In illa enim habemus longè augustissima de homine Christo elogia: ut, cum, ex suffragio Angeli (a) illud quod natum ex virgine Maria sanctum, imò & filius Dei vocatur; & ipse Christus ex Prophetia Davidis sibi, (secundum nimirùm humanam naturam) datam esse omnem potestatem in cælo & in terra asserit. Et Paulus inquit, in*

a) Luc. 1. 31. Psal. 8. 8. Matt. 28. 18. Ephes. 1. 22. Col. 2. 3. 9. Ebr. 1. 4.

quit, in Christo omnes thesauros scientiæ absconditos esse, & totam plenitudinem Deitatis inhabitare. Sic Epistola ad Ebræos, Christum tantò meliorem factum Angelis affirmat, quantò præstantius nomen præ illis hæreditariò accepit. Hisce & similibus SS. scripturæ de Christo Elogiis, hunc errorem solidissimè refutari, quis non videt.

2. Quin & adversarij ipsi manifestam implicant ἀντίφασιν, dum filium Dei incarnatum esse, respectu hypostaseos affirmant: interim tamen naturâ humanam ad infinitam potentiâ evectam esse concedere nolunt. Non enim credo negabunt, ὑπόστασιν τ̃ λόγ̃ esse præditam infinita potentia, aliis q̃ divinis attributis, quî igitur fieri posset, quod humana natura assumpta ἐν ὑποστάσει, non diceretur quoq; ad infinitam evecta potentiam. Hæc sunt tàm perspicua, ut Calvinus, veritate ipsa convictus, sic scribat (b): Christum ergò, ut Deus est & homo, unitis, licet non confusis naturis constans, Dominum nostrum verumq; Dei filium esse constituimus, etiam secundum humanitatẽ. b) instit. lib. 2. cap. 14. § 4.

3. Præterea si natura humana per hypostaticam unionem in tantam tantùm excellentiam, evecta esset, quanta maxima creaturæ esse possit, ut volunt adversarij, sequeretur eam excellentiam esse creatam, nam increata, ex opinione Calviniana in creaturam, qualis est humana natura, non cadit. Sed undè illam creatam excellentiam natura humana haberet? non à seipsa, quia evecta ad eam dicitur. Num itaq; ab hypostasi? ἀθεόλογον τ̃ ἄτοπον. Ratio est? quia hypostasis seipsam totam, per incarnationem, naturæ assumptæ communicavit, inhabitando in illa. Assumptione itaq; in ὑπόστασιν τ̃ λόγ̃, humanam naturam ad infinitam potentiâ, aliaq; divina ἰδιώματα χαρακτηριστικὰ evectam esse, ἀποδεικτικῶς demonstratur.

4. Aliàs sequeretur: Humanam naturam non assumptam esse in λόγον, sed in locum: eamq; propriam suam personalitatem, à quæ actiones illæ finitæ & creatæ procederent, habere. Ipsam ὑπόστασιν τ̃ λόγ̃ non habere infinitam potentiâ, vel naturam humanam ad eam evectam non esse; neq; prædicationes proprietatum divinarum con-

rum concretivas, de filio hominis aut homine Christo, ne quidem ad Personam, ut eas admittunt Calviniani (sed quomodò mox videbimus) quicquam habere valoris, cum ad eam sublimitatem nunquam ex opinione illorum, evectus sit. Hisce plura addere, cum inde fœditas erroris satis superq; constet, supersedeo, ne charta absurdatibus compleatur.

Error Quartus.

Danæus cont. disp. D. Andreæ f. 5. 6. oper. Danæ f. 1334. 1335.

Non Dei filius, Deus & homo est; Sed idem qui Dei filius est, & homo est.

REFUTATIO.

Hic adversarij magis se produnt, & prioris erroris, ἀπολογίαν ponunt, quomodo nimirùm natura humana, assumpta quamvis in ὑπόστασιν & λόγε, non tamen evecta sit ad infinitam potentiam; quia ὁ λόγος non quâ Deus, sed quâ persona, sine ulla sui ἀνυποστασία, naturæ humanæ subsistentiam largitus sit; quod inde patet, quia filium Dei, totum λόγον, non simul Deum & hominem esse concedunt, sed eundem (Personam scilicet) qui Dei filius sit, etiam hominem esse statuunt. Etsi itaq; filium Dei, esse Deum, facilè concedant, tamen nolunt, filium Dei esse hominem, & reciprocè, filium hominis seu hominem Christum, esse Deum: Quare sic, si aptè error ponatur, sonat. Non Dei filius homo est; nec homo, qui Christus dicitur, filius Dei est. Vel sic ἀναλύσει; filius Dei est homo, secundum humanitatem: Homo est Deus, secundum divinitatem.

a) Ioh. 1. 14. c. 5. 27. Rom. 1. 3. 1 Tim. 2. 16. b) 2. Sam. 7. 19. Matth. 3. 17. c. 16. 16. Luc. 1. 32. Ioh. 6. 69. 1. Cor. 15 47.

1. Sed quid est, si hoc non est, SS. scripturæ in os contradicere, quæ expressè filium Dei hominem nominat (a), & hominem Christum Deum (b). In quibus dictis SS. scripturæ, non Personam, sed alterutram Christi naturam in concreto intelligi, ex contextu, sine omni controversia, patet.

2. Quin & hic Calviniani fidem suam Apostolicam & catholicam negant: Apostolicam, quæ habet, filium Dei natum esse ex Maria virgine, i. e. verè hominem esse. Nicenum Symbolum, quod inquit: filius Dei unigenitus, consubstantialis patri, incarnatus est de

Spiritu

Spiritu Sancto, ex Maria virgine: & homo factus est. Athanasinum: Est ergo fides recta, ut credamus & confiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus Dei filius, Deus & homo est. Perfectus Deus, perfectus homo, qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus; Vnus autem non conversione humanitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.

3. Prætereà cum ipsa ὑπόστασις τοῦ λόγου cum natura sua divina ejusq; proprietatibus, sit simplicissimum ταυτὸ quid, utiq; assumendo humanam naturam, eam sibi per ἰδιοποίιαν ita appropriavit, ut non modò suæ ὑποστάσεως, verùm etiam ἰδιομάτων divinorum, κοινωνὸν reddiderit: undè ἀποδεικτικῶς sequitur, non posse hominem Christum, nisi de toto λόγῳ ὁλικῶς incarnato prædicari, ita ut idem filius Dei, qui ante incarnationem & unionem fuit solus Deus, jam post eam συνθετὸς Persona facta, sit Deus & homo.

4. Quod verò ad ἀνάλυσιν illam Calvinianam attinet, constat illam esse formalem, secundum ipsas essentias & naturas, prolatam, quæ in unione personali, quando concretum unius naturæ de alterius concreto prædicatur, locum non habet. Propositiones itaq; illæ, quia sunt personales, etiam secundum modum ὑπάρξεως, resolvendæ erunt, hoc modo. Filius Dei est homo, quia verbum caro factum est, filius Dei incarnatus est, & incarnatione sibi univit, uniendo ita appropriavit naturam humanam, ut jam cum ea sit unum ὑφιστάμενον & Persona συνθετὸς. Sic homo est Deus, personaliter seu unione personali, quia humana natura, quæ respectu sui est ἀνυπόστατος, per assumptionem in unitatem personæ filij Dei, facta est ἐνυπόστατος ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ.

Error Quintus.

Subjectum homo, quod Deus, creator, omnipotens ubiq; esse dicitur, non supponit (ut in scholis loquuntur) pro natura humana, quamvis unita, sed pro Hypostasi filii Dei. Ortho. conf. f. 122.

Hic contortus Calvinianorum dissensus, superiorem errorem explicat, quomodo propositiones omnes concretivæ, etsi abstractè efferantur, tamen non secundum illam naturam de qua prædicantur, sed secundum τὸ ὑποκείμενον sint intelligendæ.

1. Cui παραδόξῳ dissensui opponimus ipsam SS. Scripturam, quæ concretivas propositiones abstractivè effert, ut hanc: Homo est Deus, Paulus (a) reddidit: Homo factus est in spiritum vivificantem. Et Christus ipse, cum de se dixisset: (b) Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi, ita abstractivè se explicat: Et panis quem ego dabo, caro mea est &c. Sic quando Iohannes inquit (c): Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: Id alibi sic effert: Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omnibus peccatis. Et Baptista: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Eadem collatio dictorum in istis propositionibus, in quibus de Deo homo prædicatur (d), institui potest &c. De quibus etsi hic potissimùm non agatur, tamen inde apparet, quomodo termini & voces illæ concretivæ, non semper personam, sed alterutram sæpè naturam designent.

a) 1. Cor. 15. 45

b) Ioh. 6. 51.

c) 1. Ioh. 2. 2. 1. Ioh. 1. 7. Ioh. 1. 29.

d) Ioh. 1. 14. 1. Cor. 15. 45. Eb. 2. 16.

2. Undè & Symbolum Athanasii pro synonymis utitur vocibus concretivis & abstractivis. Tum & Ortdodoxorum Patrum laudabilis chorus, pleno ore, figmento huic Calviniano contradicens, unà cum scriptura, voces illas, (Homo & Deus) per alias abstractivas est interpretatus (e).

e) Leo. Epi. 10. Theoph. ex Chryso. in cap. 28. Matth. Nazianzenus. Athanasius de natura hum.

3. Cum deniq; ipsa prædicatio imitetur naturam unionis, sequetur, ut qualis sit unio, tales etiam inde deducantur prædicationes. Jam verò ipsa unio Personalis duarũ naturarum in Christo, non est χελικὴ aut tropica, sed verissima atq; realissima, quamvis mirabiliter singularis, & singulariter mirabilis, ita ut Paulus eam nominet ὁμολογουμένως μέγα μυστήριον. Ergò sequitur ipsas prædicationes nõ ita χελικῶς & τροπικῶς intelligi aut explicari debere, sed esse singulares & μονοτρόπους, quales illæ ad Personam non sunt. Manet itaq; prædicationes de

homine

homine Christo, non tantùm secundum Personam, sed etiam naturam esse intelligendas.

Error Sextus.

Enunciationes de humana Christi natura sunt tantùm Dialecticæ & verbales, non autem reales.

Danæus in Anti. Osian. p. 98. Admonit. Neost. f. 70.

REFUTATIO.

Quomodò Adversarij per gradationẽ ab uno in aliũ priori pejorẽ & graviorem errorem prolabantur, hinc luce meridiana clariùs patet, ita ut tantùm non omnia de Christo negent. Hoc etenim vult Error, non revera, quæ de Christo homine prædicantur, sic evenisse, sed esse tantùm verba, quibus rei veritas non subsit. O os blasphemum, helleboro magis & anathematismo, quàm refutatione, dignum.

1. Summam n. hic error in verbum Dei, per quod Spiritus ipse sanctus nobis loquitur, blasphemiam continet, arguens eum mendacij, quia verbis tantùm multa de Christo glorietur, quæ tamen in rei veritate non ita se habeant. Insuper omnem consolationem perturbatis conscientiis eripit, omnem certitudinem fidei labefactat, & omnia de salute nostra fundamenta evertit & convellit.

2. Quin & hæc vox blasphema, ipso Arrio & Turcico Alcorano inusitata, iisq; pejor, ipsam incarnationem, unionem & communionem in Christo, totumq; opus redemptionis, adeoq; salutem ipsam, morte Christi partam, negat, vel per ἀνάδοσιν τ ὀνομάτων multa de iis omnibus, sed irrito effectu, deprædicat & commemorat.

Error Septimus.

Ruditatis & absurditatis Calviniani nostros insimulant, quod unionem Personalem per κοινωνίαν describant.

REFUTATIO.

At ipsi nimium rudes & absurdi sunt, dum hoc nobis objiciunt.

1. Errant enim ignorantes scripturam, quæ semper cum incarnatione & unione, communicationem proprietatum conjungit: ut cum

Iohannes

a) Ioh. 1.14. *Johannes inquit (a): Verbum caro factum est, quibus verbis incarnationem & unionem describit, statim addit, gloriæ manifestatæ communicationem, inquiens: & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à patre, plenum gratia & veritatis. Sic Angelus conceptionem Mariæ annuncians (b): Ecce concipies in utero & paries filium: Statim addit, hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur, communicationem majestatis designans. Similia loca ex sacro Codice petantur. (c)*

b) Luc. 1.

c) Esa. 7. 9. Ioh 3. 35. Coloss. 2. 9.

2. Quin & aliàs, nihil nisi Philosophiam & rationem crepantes, hic quasi sui obliti, suam in Philosophia nimiam sapientiam, hac reprehendendi ἀκαιρείᾳ commaculant. Nihil enim in Philosophia decantatius, quàm rem, alioquin à priori in sua causa obscuram & incognitam, per consequens & effecta sua describere, ut sic à notioribus ad minus notiora fiat progressus. Quidni itaq; in hoc arduo mysterio, quod aliàs percipere non possumus, idipsum quoq; nobis liceat.

3. Quare & piæ atq; orthodoxæ antiquitati semper est usitatissimum, mysterium unionis ex idiomatum communicatione explicare & describere, quia nimirùm orthodoxi illi Patres probe intellexerunt, unionẽ personalem absq; idiomatum communicatione salvam esse, imò ne cogitari quidem posse. De qua, proxima σὺν Θεῷ συζητήσει, agemus.

DE CALVINISMO

DISPUTATIO ELENCTICA
QVARTA
Complectens Matæologiæ Calviniana
examen, in loco
De

COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

Quam

Consensu & Approbatione Reverendæ facultatis Theologicæ
Doctore & Ductore S. S. Spiritu
Sub Præsidio
M. PETRI HINKELMANNI.
privatim defendendam suscipiet
IODOCUS RUPENIUS Hano. Sax.
habebitur disputatio 6. Idus Novemb.

ROSTOCHII
Litteris Reusnerianis, Anno 1609.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0089
DFG

ΣΥΝ ΘΕΩ.

DISPVTATIO ANTICALVINISTICA IV.

DE COMMVNICATIONE IDIOMATVM.

CONTINUATIO.

UNionem personalem sequitur ratione ordinis, idiomatum κοινωνία, quæ ipsi unioni respondet, ut qualis sit unio, talis etiam sit idiomatum communicatio, quare hæc per illam explicatur, quemadmodum per hanc illa describitur. Vnde nulla divinatione opus habebimus, qualis Calvinianorum hoc in loco sit opinio, cum ex priori συζητήσει constet, quàm frigidè & jejunè de unione personali sentiant. Maxima verò hic errorum in adversarijs se offert fœcunditas, quæ tamen ad hæc duo commodè referri potest. Primò, Qualis sit facta Communicatio. Secundò, Quid sit Communicatum & quomodo.

CAPUT PRIMUM.

De Communicatione in genere.

Error Primus.

Communicatio Idiomatum per Allæosin est intelligenda, quando unius naturæ proprium de altera prædicatur, cui tamen non competit.

Cualt. postilla Hom. de incarnat. f. 25.

REFUTATIO.

Hæc Cinglij pernitiosissima Allæosis, quam D. Lutherus larvam Diaboli & neptem rationis, in majori suâ confessione appellat, ab omnibus Cinglocalvinianis mordicus retinetur, urgetur & defenditur, quâ totam doctrinam de Communicatione Idiomatum omnibus viribus & artibus labefactare conantur. Est enim illa fundamentum totius doctrinæ Calvinianæ de communicatione idiomatum, quo hanc superstruunt. Sub hac enim larva Protei isti Sacramentarij in mille figuras sese convertentes, mutato

nonnihil habitu, subinde in scenam redeunt. Quod dum probè observatur, & adversariorum in hac doctrina sophistica melius animadverti, & everso hoc fundamento, facilius refutari potest.

1. Respondemus itaq; ad hanc Allæosin & commutationem Calvinianam, eam ut temerariam & blasphemam, manifestè pugnare cum verbo Dei, quod longè aliter nos de communicatione erudiens, humanas proprietates, quæ sunt, nasci, pati, crucifigi, mori, &c. non per illam commutationem, sed revera de ipso filio Dei, cui tanquam Personæ, illæ obtigerunt, prædicat (a). Tum & divina attributa, ut sunt omnipotentia, omnipræsentia, omniscientia, vis vivificandi, &c. Christo, imò & naturæ in Christo humanæ, ut in capite secundo videbimus, non κενωτικῶς, sed realiter & verè communicata esse, graviter subindè inculcat (b).

2. Neq; in hisce dictis Allæosis & elusio illa Cingliana locum habet; ista omnia in persona, secundum eam tantum naturam, cujus propria sunt, accipi debere, & nomina tantùm permutari. Quia enim filius Dei in suam ὑπόστασιν naturam humanam verè assumpsit, ejusq; proprietates humanas sibi appropriavit, revera quoq; passus & mortuus est, in propria hac sua carne: sequitur etiam, illam passionem & mortem, non tantum humanæ naturæ in Christo, sed & ipsi filio Dei, non verbaliter tantum sed realiter competere, non minùs ac si in sua divinitate passus esset, (quod tamen fieri non potuit) quia secundum propriam suam carnem hanc passionem sustinuit. Sic non tantùm personæ in concreto, sed & ipsi humanæ naturæ, divina idiomata tribuuntur; ergo necesse quoq; est, ut ei revera competant, non quidem per se, & in se, extra unionem illam personalem, sed quia in unione personali illa omnia habet & accepit, ita ut natura divina in, cum, & per naturam humanam vivificet, judicet & regnet, & natura humana revera, ex vi unionis personalis & communicatæ majestatis sit omnipotens, omniscia, omnipræsens, &c.

3. Præterea hæc Allæosis Calviniana, similitudine illa SS. Scripturæ

a) Rom. 1, 3. c. 8, 32. 34. Luc. 1, 31. Gal. 4. 4. Act. 20, 28. 1. Cor. 2, 8. 1 Pet. 4, 1.
b) Matth. 18, 20. c. 28, 18. Ioh. 6, 51. Luc. 1, 31. Psal. 8. 8. Ephes. 1, 22. Colloss. 2, 3. 9 1. Ioh. 1, 7.

pturæ refutatur, quâ, quemadmodum pueri communicant carni & sanguini, Christus similiter ÿsdem participasse (c) dicitur. Iam verò non per Allæosin quandam, vel alio quocunq; modo, nisi reali, pueris carnem & sanguinem competere, extra omnem dubitationis aleam positum est: Quomodo itaq; etiã filio Dei, qui similiter ÿsdem participavit, secundum accommodationem SS. Scripturæ, eodem mõdo ea non competerent? Id itaq; si verum de carne, ut est, utiq; & de ejusdem proprietatibus, quibus ea constat, negari non debet. Eadem est ratio, ex μετοχῆς καὶ κοινωνίας reciprocatione, characteristicarum proprietatum divinæ naturæ. 4. Tùm quõq; hanc perversam Allæosin jamdudum explosit D. Lutherus in majori suâ, de Cœna confessione (d), quemadmodum illius verba in declaratione form. concord. ponuntur, in hanc sententiam. I. Cave tibi, cave, inquam, tibi ab ista Allæosi, est enim larva quædam Diaboli, quæ tandem talem Christum fingit, secundum cujus rationes, ego certè nolim esse Christianus. II. Hoc enim illa vult: quod Christus nihil amplius sit aut efficiat suâ passione & vitâ, quàm alius quispiam sanctus. Si enim persuaderi mihi patiar, ut credam solam humanam naturam pro me passam esse, profectò Christus mihi non magni pretÿ salvator erit, sed ipse tandem salvatore eget. III. Si verò ratio reclamare voluerit, dicens: Divinitas neq; pati neq; mori potest: Tu respondebis: Verum id quidem est, nihilominus tamen, quia Divinitas & humanitas in Christo unam personam constituunt; Scriptura propter hypostaticam illam unionem, etiam Divinitati illa omnia tribuit, quæ humanitati accidunt; & vicißim humanitati, quæ divinitatis sunt. IV. Hæc enim persona (monstrato Christo) patitur, moritur; hæc autem persona est verus Deus: Rectè itaq; dicitur, filius Dei patitur. Etsi enim una ipsius pars (ut sic loquar) Divinitas videlicet, non patiatur, tamen ea persona quæ Deus est, patitur in altera sui parte, nimirum in sua humanitate. V. Si constabit Allæosis, ut eam Cinglius proponit, in Chri-

c) Ebr. 2, 14.

d) Tom. 2. Witeberg. fol. 188.

in Christo duas personas esse necesse erit, divinam videlicet, & humanam: quandoquidem Cinglius dicta Scripturæ de passione tantum ad humanitatem inflectit, eaq; per omnia à Divinitate separat. Vbi enim opera divelluntur & separantur, ibi etiam personam ipsam dividi necesse est: Cum omnia opera omnesq; actiones, non naturis sed personæ tribuantur. Persona enim ipsa est, quæ omnia illa agit & patitur: hoc quidem secundum hanc naturam: illud verò secundum alteram naturam. Hactenus Lutherus. Cujus verba propria huc ponere placuit, quia ex validissimis inconcussæ veritatis fundamentis, Allæosin illam Cinglij, Ecclesiæ pestem perniciosissimam, solidissimè profligant & confundunt.

5. Quibus addimus, ad majorem ejus confusionem, unum atq; alterum orthodoxæ antiquitatis testimonium. Damascenus (e) *enim inquit* οἰκειοῦται ὁ τὰ ἀνθρώπινα ὁ λόγος. *Et Athanasius* (f): *Deus infirmitatem hominis, quam assumpsit, Deitati suæ imputavit. Et: Clavos aliquo modo verbum ipsum sustinuit. Sic Basilius* (g): *Humana Domini caro ipsa particeps facta est Deitatis. Theodoretus* (h): *Corpus Domini glorificatum, non mutatum est in aliam naturam, sed manst corpus, divinâ tamen gloriâ repletum.*

e) de orthodoxa fide lib. 3. c. 3.
f) de Deitate Trinitatis dial. 3. Ad Epictetum.
g) In Sanctam Trin.
h) Dialogo 2. Admonit. Neost f. 250 Beza in primâ resp. ad acta Mompel f. 19. 87. 107. 123.

Error Secundus.

Communicatio Idiomatum est realis respectu Personæ, sive à Deitate, sive ab humanitate sua denominatæ, quia unus & idem Christus, Deus & homo est; Sed verbalis, respectu naturarum.

REFUTATIO.

Videri quidem volunt adversarij, idq; convicti claritate verbi, aliquid in Idiomatum Communicatione statuere, sed id aliquid nihil est, dum per modum loquendi, sine rei ipsius veritate, suum blasphemum errorem excusare & palliare conantur.

1. Vix enim hac majorem Calviniani Blasphemiam in S. S. Scripturam

pturam evomunt, dum eam in omnibus de Christo, tàm secundum divinam, quàm humanam naturam, enunciationibus, quas in refutatione superioris erroris produximus, verba nobis dare, quibus rei veritas non subsit, blasphemè sentiunt. Quid verò est, si hoc non Anathematis magis fulmine, quam ulteriori refutatione dignum.

2. Sed hic sibi maximam à nobis fieri injuriam quiritabunt, cum non merè verbalem Communicationem idiomatum, nisi ad naturam, respectu verò personæ realem dicant. Sed quicquid dicant, & glorientur de reali Communicatione Sacramentariÿ, revera magno fastu & crepitu, spumas solummodo oris sui venditant, interim omnes suas vires eò dirigunt, ut obtineant, Communicationem Idiomatum, tantùm, & ne vix quidem, ut mox audiemus, in verbis consistere. Si enim realem Communicationem, ut volunt, ad Personam concedunt, (quod tamen non est, ut sequenti errore videbimus) quomodo & quare eandem ad naturas, utpote quæ cum Persona τῶν τὶ quiddam sunt, non concedere velint, non video.

3. Num propterea, quod naturæ humanæ divina idiomata non competant? quia hoc scilicet non intelligunt: benè. Respondeant ergò quæso, quomodo eidem divina competat ἐνώσεως, in quam assumpta est? quomodo inhabitatio corporalis totius plenitudinis Divinatis? Quam tàm clarè S. S. Scriptura ponit, ut eam si negent, solem negent in meridie lucere. Num verò hanc intelligunt? Ratio silet, mens non comprehendit. Ergò & in Communicatione idiomatum, quæ illam necessariò sequitur, imò undiquaq; hic, ut & in alÿs fidei articulis, ratio omnis (a) sub obsequium fidei captivanda esset.

a) 2. Cor. 10, 5.

4. Quam fidem unà cum S. S. Scriptura, totius orthodoxæ antiquitatis unanimis consensus confirmat, Communicatam Majestatem in Christo, non tantùm Personæ, verùm etiam naturæ assumptæ tribuens. Ephesinum enim Concilium vocat Carnem Christi

Christi vivificam. Athanasius Augustinus & alÿ, Naturam humanam ad dextram Dei exaltatam accepisse potestatem omnis Carnis, factam esse omnipotentem, omniscíam; affirmant. Et
b) lib. 3. c. 7. Damascenus inquit (b): Quod λόγος propriam suam gloriam, potentiam ac Majestatem Carni assumptæ Communicârit. Quid ad hæc Calviniani? verba sunt. O os blasphemum.

5. Ergò (attende ἀπολογίαν hujus erroris) verba sunt; quod verbum Caro factum est (c): quod illud sanctum, natum ex Maria virgine, filius Dei vocetur: Quod semen mulieris contereret caput serpentis: Quod sanguis I. C. emundet nos ab omnibus peccatis: Quod data sit Christo omnis potestas in cœlo & in terra: Quod ille sit panis vivus, hoc est, ut Christus ipse explicat, Carnem habeat vivificam, quam qui mãducaverit, vivat in æternum, &c. Sibi retineant hujusmodi verbalem Mediatorem & Redemptorem Calviniani, & tota illorum redemptio erit verbalis.

c) Ioh. 1. 14. Luc, 1. 31. Gen. 3. 15. 1 Ioh. 1. 7. Matt. 28. 18. Ioh. 6. 51.

Error Tertius.

Pet. Martyr. in Dialog. f. 30.

Has Communicationes verbales esse affirmo: Deus sanguine suo mundavit Ecclesiam; Dominus gloriæ Crucifixus & mortuus; filius hominis de cœlo descendit: quod proprietates reipsa, utriq; naturæ congruere nequeant.

REFUTATIO.

Colligere non tantùm hinc, sed & apertè videre licet ἀλληλογίαν Calvinianam. Cum enim antea Communicationem respectu naturarum esse tantùm verbalem asseruerint, hic concretivas, respectu etiam Personæ, verbales pleno ore affirmare non erubescunt. Atq; sic ingenuè ipsi fatentur, se non tantùm Communicationem proprietatum ad naturam humanam in tertio genere, verùm etiam ad Personam in primo & secundo negare. Sed hasce blasphemias ex S. S. Scriptura refutare nõ possumus cõtra eos, quia eam verbotenus tantùm hoc loco accipiunt, cujus manifestæ depravationis aliquando rationem exiget ille, qui hæc verba vitæ æternæ ha-

næ habuit, & locutus est. Ergò rationibus pugnandum erit.

1. Primò itaq; Grammatica, hanc verbalem Calvinianorum Communicationem non admittit. Dicta enim S. S. Scripturæ, quæ de Communicatione Idiomatum in Christo facta, loquuntur, hujusmodi vocabulis eandem nobis describunt, quæ non nisi de reali & τῷ ὄντι Communicatione intellligi possunt: qualia sunt κοινωνεῖν, μετέχειν, δι-δόναι, κατοικεῖν (a) &c.

2. Deindè & regulæ Logicorum illæ: Dici de aliquo requirit inesse: Cui tribuitur Concretum in eo rem esse necesse est, quæ effertur, voce Abstracti: Effectus efficientis potentiam in efficiente præsupponit: Illæ inquam Regulæ hanc verbalem, quam sibi somniant, Communicationem refutant. Etsi verò prædicationes de Christo, ad hasce regulas absolutè referri non possint, tamen contra Adversarios, verbo Dei licentiosè, petulanter & malitiosè abutentes, eas huc adferre possumus. Cum enim ipsa Divina Majestas in Christo, non tantùm de Concreto, sed & Abstracto naturæ humanæ ratione unionis, quod adversarij negare non possunt, prædicetur; sequetur etiam, quod eidem revera, etsi non ἀσιωδῶς ἐπεσιωδῶς aut ὑποκειμένως; tamen ὑποστατικῶς καὶ σωδύασιν ἐν συγκρίσει insit, vel eam habeat.

3. Quin & demonstratione physica, quamvis & inde hæc cælestis cognitio non dependeat, contra tamen hæc crassa Calvinianorum somnia de verbali tantum Communicatione, uti possumus. Si enim ferrum urere dicatur, & ignis secare, non quasi verbaliter, sed quia revera & realiter δυναμις καυστικὴ ferro, & ἰατρικὴ igni Communicata sit. Si quoq; manus hominis contrectare, sentire dicatur, quia verè illam vim ab anima Communicatam habet: Quidni etiam Majestas divina, cum prædicetur de natura humana, cui insuper personaliter unita est, eidem realiter communicata credatur.

a) Ebr. 2. 14. Matt. 28. 18. Colos. 2. 9.

Error Quartus.

Cyngl. in Exeg. tom. 2. fol. 350. Beza part. 1. respons. ad Collog. Mompelg.

Filius Dei revera non est passus sed tantùm natura humana. Quando itaq; scribitur: Dominus gloriæ Crucifixus est, per Allæosin intelligendum est, ut idē significet, ac

humanitas est crucifixa. Sic Deus est passus, idem est, ac caro Deitati unita est passa.

REFUTATIO.

Prioris est hic error explicatio, quâ prædicatum, Personæ, vel concreto alterius naturæ, etsi de eo dicatur, tribui nolunt, sed tantum ei naturæ, cujus est proprium, sine Personæ, vel alterius naturæ proprietatum Communicatione: ita ut Humana Christi natura sola patiatur, crucifigatur & moriatur. Quam analysin, Beza ipse subdolam vocat (a) interpretationem.

a) part. 1. resp. ad Col. Mompel. f. 121.

1. Et rectè, est n. crassa atq; detestabilis manifestorũ atq; clarissimorũ dictorum S. S. Script. depravatio, quæ expresse habent: (b) *Filium Dei genitum ex semine David: Deum suo sanguine redemisse Ecclesiam: Dominum gloriæ Crucifixum: Filium Dei passum esse carne. Hæc tam sunt perspicua & aperta, ut nullâ sophisticâ eludi possint, neq; ullâ cerebelli Calviniani censurâ indigeant.*

b) Rom. 1. 3. Act. 20. 28. 1. Cor. 2. 8. 1. Pet. 4. 1.

2. Deinde hæc fucata & subdola ἀλλοίωσις Cingliana, suopte se indicio insciticæ accusat, tribuens actiones & passiones solis naturis, cum tamen sint suppositi seu Personæ. Propriè enim Persona ipsa & non natura, homo & non anima; quod ipsum & Aristoteli, Scaligero, & alijs ex Philosophia notum est, agit & patitur. Mirum itaq; est Calvinianos, qui Roscij in Philosophia videri volunt, hoc ungue se scabere.

3. Quin & ipsam unionem personalem si norint, utiq; hujus eos tàm crassi erroris pudere meritò deberet. Humanitatem, inquiunt, esse passam, eamq; ut alibi loquuntur, solam. Num itaq; humanitatem à Persona segregant? ut quemadmodum nullam proprietatum Communionem admittunt, ita neq; Personæ? ἀθεόλογον hoc & Nestorianum, imò & absurdum. Cum enim humanitas sit ἀνυπόστατος, absq; etiam & extra Personam subsistere non potest, nedum operari.

4. Si verò humanitatem patientem ἐν τῷ λόγῳ subsistere concedunt, ἀλόγως ipsam Personam à passione excludunt, à qua excludi nec potest, nec debet. Etsi enim divinam naturam passioni fuisse obnoxi-

obnoxiam, nemo affirmet, cum non sit obscurum, hanc proprietatem tantùm humanæ esse naturæ, tamen cum in passione & morte Christi, divina natura, quæ in se est impassibilis & immortalis, tàm præsenter affuerit humanæ naturæ patienti & morienti, ita ut ne tuno quidem Personæ unitas fuerit soluta; sequitur etiam, quod propter personalem illam familiaritatem carnis, verè etiam dicatur, (a) ipse Dominus gloriæ Crucifixus, & filius Dei passus, non quidem in natura divina, cujus impassibilitatem servavit, sed carne.

a) 1. Cor. 2. 1. Pet. 4. 1.

5. Tùm etsi pati & mori sint proprietates humanæ naturæ, tamen pati & mori pro totius mundi peccatis, & eâ passione & morte æternam mortem abolere & expiare, non solius humanæ naturæ est, aliàs enim homines, absq; hoc Mediatore pœnam suis peccatis meritam, sustinere potuissent; sed requiritur insuper, si infiniti valoris esse debeat, infinita etiam & divina virtus & efficacia, quam S. S. Scriptura expressis & perspicuis verbis humanæ naturæ tribuit, inquiens (b) sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. Deus suo sanguine redemit Ecclesiam. Reconciliati sumus Deo per mortem filij ipsius.

b) 1. Ioh. 1. 7. Act. 20. 28. Rom. 5. 10.

6. Quas loquendi formulas Orthodoxa Antiquitas retinuit, innuens non solam humanitatem passam esse. Vt memorabilis Athanasii sententia habet (c): Num igitur λόγος non est passus? Respondeo ἀ φυσικῶς! omnino tamen passus est, quia univit sibi corpus, quod pati poterat, ut passio sit οἰκονομίας, non naturæ ἀ λόγε. Passus enim est λόγος non φύσει, ἀλλα τῆς ἑνώσεως οἰκονομία. Item: Clavos aliquo modo verbum ipsum sustinuit. Sic: Quod humanum patiebatur corpus, hæc eadem verbum, quod corpori conjunctum erat, ad se referebat. Sic Cyrillus: (d) Patitur Deus corpore patiente, eò quod ipsius sit proprium, quâtum v. pertinet ad divinitatis naturam, manet impassibilis. Sic: Communicavit quidem passioni unigenitus, quantum pertinet ad familiaritatem corporis sui, mansit autem passionis expers, ut Deus: Item: affirmamus propter familiaritatem quidem carnis eum infirmitates fuisse perpessum, servasse v. suæ naturæ impassibilitatem.

c) Dialog. 4. de Trinit. ad Epictetum.

d) de Incarn. c. 26. 27. 28.

7. Et memorabilis est D. Luth. sententia, vel sola ad hunc errorem refellendum sufficiens, quæ ex eo libello quem de Conciliis & Ecclesia scripsit (e) in declaratione Form. Conc. allegatur: Sciendum, inquit, id nobis Christianis est, nisi Deus in altera lance sit, & pondere vincat, nos lance nostra deorsum (ad interitum) ferri. Hoc sic accipi volo: nisi hæc vera sint: Deus mortuus est pro nobis: & si solus homo pro nobis mortuus est: tum profectò prorsus actum fuerit de nobis. At verò si Dei Mors, &, quod Deus ipse mortuus est, in altera lance ponitur: tum ille deorsum fertur, nos verò instar vacuæ & levioris lancis sursum tendimus. Sed ille deinde rursus vel sursum tendere, vel è lance exilire potest. Non autem poterat in lancem descendere & considere, nisi nostri similis, hoc est, homo fieret: ut verè & rectè de ipsius passione dici posset: Deus mortuus est, Dei passio, Dei sanguis, Dei mors. Non enim in sua natura Deus mori potest. Postquam autem Deus & homo unitus est in una persona, rectè & verè dicitur: Deus mortuus est, quando, videlicet, ille homo moritur, qui cum Deo unum quiddam, seu una persona est.

e) Tom. 7. Witteb. f. 530.

8. Quod verò ad particulas distinctivas attinet, quibus tum S. S. Scriptura tùm Doctores Orthodoxi de passione Christi loquentes, utuntur, non faciunt id sensu Calvinistico, quasi ὑς τὸν λόγον à passione excludant, sed ut indicent 1. originem, à qua passio illa oriatur, & unde filius Dei hoc habeat, quod patiatur, nimirum non à seipso, sed ab assumpta carne. 2. Quod passio conditione naturæ, carni πρώτως & per se competat, δευτέρως v. καὶ ἐπομβλῶς propter ταυτότητα Personæ, Deo approprietur. 3. Atq; sic propterea non ad solam humanitatem, passionem esse referendam, quod & omissione interdum illarum particularum docere voluerunt.

9. Calviniani verò, quia contra S. S. Scripturam & Orthodoxam Antiquitatem, solam humanitatem & carnem Deitati in Christo unitam, passam & mortuam esse somniant, etiam sequitur: Deos ψιλον ἄνθρωπον pro mediatore habere, quod ἀθεολογον καὶ ἀδυνατον: Unionem solvere, & duas in Christo Personas fingere, cum humanitati suas peculiares,

culiares, tàm actiones quàm passiones adjudicent, quod Nestorianum, impio ejus enunciato, ut ovum ovo, æque simile: Noli gloriari Judæe non enim Deum, sed hominem crucifixisti. Deniq; nullum esse discrimen inter Christi & Martyrum passionem.

Error Quintus.

Naturis singulis in Persona Christi, realiter Communicari proprietates essentiales alterius naturæ, negamus & pernegamus.

REFUTATIO.

Non tàm forti & iterata negatione opus fuisset, facilè enim hoc illis credimus, quod nullam Idiomatum Communicationem credant. Etsi verò alij non sint tàm aperti, sed insidiosè verbis id, quod sentiunt, dissimulent; tamen ex hac confessione judicium illud D. Lutheri de Calvinianis, ratum esse constat, ubi inquit: Etsi Cingliani plurimum gloriantur, quod hunc articulum de Persona Christi credant, ac multa hac de re garriant, tu tamen noli verbis eorum fidem habere. Revera enim mentiuntur, quæcunq; de his rebus effutiunt.

Admonit. Neostad. f. 66.

Polanus disp. de unione personæ th. 55.

1. Mentiantur itaq; sibi, nobis verò tàm apertè & perspicuè S. S. Scriptura Communicationem idiomatum commendat, tribuens divina, quæ Deo ἀσιωδῶς competunt, (a) homini Christo; & quæ sunt hominis, filio Dei in concreto (b), non secundum verba, sed secundum rem, differente quamvis rei modo: ut nobis religio sit aliud de Christo credere aut statuere; & ipsi etiam adversarij luce verbi convicti, nobiscum interdum loquantur, quicquid interim sentiant.

a) Matt. 28. 18. Joh. 6. 51. Coloss. 2. 3. 9.

b) Joh. 1. 29. Rom. 1. 3. Luc. 1. 31. Act. 20. 28. 1 Cor. 2. 8. 1. Pet. 4. 1.

2. Hîc verò si ratio nostra sileat, & mens hæret, quid refert? Est n. hoc & manet Mysterium magnum, quod non fieret, si ratione illud comprehendere possemus; ut facere videri volunt Calviniani, filio Dei in Christo divina, & homini tantùm humana tribuentes; sed confunduntur illo dicto Pauli (c) quo illud, ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον pronunciat, quod non sic censurâ vermiculi terrei constringi potest, ut non sublimius quid in se contineat, quàm à ratione sibi concedatur. Captivare itaq; rationem decet eum, qui rectè in hoc mysterio versari vult.

c) 1. Tim. 3. 16.

5. *Id enim nisi fiat, ut in Communicatione Idiomatum à Calvinianis non fit, quomodo ipsam personalem unionem concedere possint, non video, quæ æquè est contra & supra omnem rationem, quam nec mente intelligimus, nec sermone eloqui possumus, sed silentio & firma fide suscipimus. Verùm illi, qualem somniant unionem factam, per sustentationem & gestationem, ut superiori monuimus disp. ejusmodi & idiomatum Communicationem concedunt. Quam nos ἐξ ἀσυγχύτου ἑνώσεως φυσικῆς καὶ ὑποστατικῆς, ut eam Cyrillus nominat, non nisi realem & verissimam credere possumus.*

d) 2. Pet. 1. 4.

4. *Aliàs enim omnium piorum, qui dicuntur fieri* (d) κοινωνοὶ θείας φύσεως, *conditio, si non meliori, saltem eodem loco, quo Christi, esset, & sic omnes pij sibiipsis essent Christi, & illo non indigerent. Quin & sic Christus, ipsi cederet naturæ, in qua qualitatum Communicatio cum realis demonstretur; ut animæ & corporis, radij solaris & ipsius solis, ferri & ignis; etiam illis similibus veteres* (e), *ad declarandam quodammodo idiomatum in Christo Communicationem, usi sunt.*

e) Athan. Dialog. 5. de Trinit. Cyrill. de Incarn. unigeniti c. 8. Damasc. lib. 3. cap. 15.

5. *Et quarè quæso naturam humanam filius Dei assumpsit, nisi ut conjunctis & Communicatis utriusq; naturæ proprietatibus; opus redemptionis perficeret? Sed & quomodo eam in singularitatem suæ Personæ susciperet, non quoq; divinorum suorum idiomatum quæ cum ea τωτὸ quid sunt, participem reddidisset? Nec est quod inde nos Euthychianismi insimulent, vel exæquationem nos statuere fingant: non enim naturam humanam hæc divina idiomata ὑποκειμένως καὶ ὑποστατικῶς habere, sed ὑποστατικῶς ad eorum possessionem & usum evectam esse, S. S. literis edocti, docemus. Nec obstat natura proprij, quod communicari posse, salva sui perfectione, illis similibus ex natura petitis, probatur.*

Caput Secundum.

De Tertio Genere Communicationis.

Error Primus.

Beza Coll. Mompelg. f. 152. 206.

Humanitas Christi donata est quidem magna gloria, supra omnes angelos & beatos homines; sed non eâ gloriâ,

riâ, quæ Divinitatis propria est. Caro Christi hyperphysicis, sed non antiphysicis dotibus locupletata est.

REFUTATIO.

Summam continet hic error totius matæologiæ Calvinianæ in tertio genere Communicationis, quod omnino rejiciunt, negantes veram & realem Majestatis Communicationem, & pro ea intermediam quandam, ut aliquid dixisse videantur, concedentes. Quem errorem mutatis subindè verbis iteratum, invenire licet in eorum scriptis, ita tamen ut quosdam ex eorum complicibus, veritate & perspicuitate verbi convictos, invenias, diversum statuere.

Repetit. Orthod. doctr. th. 71. Operum Shonii. tom. 2. art. 3. de persona & officio Christi.

1. *Contrarium enim nos edocent sacræ literæ, nusquam non inculcantes, Majestatem & gloriam eam, quæ filij Dei propria est, etiam homini Christo imò & humanæ in Christo naturæ esse Communicatam; ut cum filius hominis gloria & honore coronatus, & constitutus dicitur, super opera manuum Dei, sub cujus pedibus omnia subjecta sint* (a). *Sic Christus ipse sibi omnem potestatem datam esse affirmat in cœlo & in terra. Et Paulus inquit: in Christo omnes thesauros scientiæ & sapientiæ absconditos esse, inq; eo inhabitare omnem plenitudinem Deitatis corporaliter. Et: ascendit super omnes cœlos, ut omnia impleret. Item: Deus exaltavit Christum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu flectatur omne genu. Quis in hisce, & alijs, (b) dictis, nisi planè occæcatus & mente captus, non videt & intelligit, mentionem fieri Majestatis & gloriæ divinæ Christo collatæ.*

a) Pſ. 8. 6. Eph. 1. 22. Matt. 28. 18. Coloſ. 2. 3. Eph. 4. 10. Phil. 2. 10.

b) Gen. 5. 12. Pſal. 68.

2. *Quemadmodum itaq; hic gloriam, quæ divinitatis est propria, intelligi extra aleam dubitationis positum, ita & negari non potest, eam donationem & collationem non secundum divinam, sed humanã in Christo naturã accipiendã. 1. Quia divina natura, naturâ habuit, ergò dono accipere non potuit, & fuit in ea genita, ergò non collata. 2. Ab æterno habuit, ergò in tempore demum particeps fieri non potuit. 3. Id quod & regula illa D. Athanasii, ab Orthodoxa Antiquitate magno consensu approbata, & sæpius mutatis verbis repetita,*

petita, (c) comprobat: Quicquid Christo datum est in tempore, id secundum humanitatem datum est, non secundum divinitatem.

3. Vnde & Iohannes in initio sui Euangelij (d) & Epistolæ inquit: & vidimus gloriam ejus, gloriam velut unigeniti à patre. Quod vidimus oculis nostris quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ. Iam verò majestas & gloria illa Dei, humanis mortalibus oculis, quos habuerunt Apostoli, in hac vita non cerni, neq; palpari in filio Dei potuit, nisi in assumpta carne visibili & palpabili sese manifestasset. Revera itaq; Majestas Divina carni communicata, atq; ita per consortium humanitatis, ut Chrysostomus loquitur, visa & contrectata fuit, quam aliàs neutiquam Apostoli vidissent aut contrectassent.

4. Sunt præterea multæ rationes, quæ ex S. S. Scriptura per bonã consequentiã deductæ, huc adferri possunt, quas ut uno fasciculo cõplectamur, huic Syllogismo includimus. Cuicunq; tribuitur officiũ mediationis, opus redemptionis cultus adorationis, vis emũdationis à pectatis, honos exaltationis ad dextram Dei, potestas exercendi judiciũ, aliaq; plura his similia, de quibus in ipsa συζητήσει disserendi ansa præbebitur; ei gloriam & majestatem divinam tribui necesse est: hæc enim omnia potestatem & efficaciam Dei propriam arguere, & effecta infinitæ virtutis producere, extra controversiam est: Atqui hæc omnia Christo homini sive secundum humanitatem ex unione hypostatica tribui, S. S. Scriptura testatur (e): Ergò humanæ quoq; Christi naturæ, verè divina & infinita gloria & majestas tribuenda erit.

5. Quod ipsum & ex unione hypostatica, ad quam meritò semper tanquam ad causam & fundamentum Communicationis Idiomatum recurrimus, solidissimè demonstrari potest. Cum enim ipsa humana natura in λόγον assumpta sit, quod & adversarij negare non possunt, sequitur humanam cum divina natura eandem & communem habere ὑπόστασιν, ita ut τῦ λόγε, ὑποστάσεως, quæ ante incarnationem solius divinæ erat, post eam, humanæ quoq; naturæ facta sit ὑποστάσεως, revera ei Communicata. Quî itaq; fieri posset, ut communicatâ ὑποστάσει τῦ λόγε

c) Leo Epist. 95 Cyrill. lib. 2. ad regin.
d) Ioh. 1. 14. 1. Ioh. 1. 1.
e) 1 Cor. 2. 5. Phil. 2. 9. 10. 1 Ioh. 1. 7. Ps. 8. 8. Eph. 1. 22. c. 4. 10. Esa. 9. 7. Ier. 23. 5. c. 33. 14. Ioh. 5. 22.

λόγου, non simul quoq; ipsa majestas τοῦ λόγου, quia cum ὑποστάσει ταυτὸ quiddam est, Communicetur. Non n. illa, unio nimirum personalis, absq; reali ἰδιομάτων κοινωνίᾳ esse, imò ne cogitari quidem potest.

6. Nō v. propterea necesse est, ut adversarij objiciunt, humanā naturā sic Divina Majestate locupletatā fieri Deum, aut duos Deos, vel geminā cōstitui in Christo Majestatē. 1. Quia una eademq; nihilominus est & manet in Christo majestas, quam natura Divina habet οὐσιωδῶς, humana ὑποστατικῶς; illa innatam, hæc communicatam. 2. Quæ Communicatio seu duplex respectus, non statim facit majestatem duplicem: discernendum n. est inter rem & rei modum. 3. Qui modus rei, rem ipsam, nisi essentialis sit, non variat vel immutat. Iam v. ipsa Communicatio majestatis non statuitur à nobis, ut norunt ipsi adversarij, essentialis, quæ vel dividat vel confundat proprietates, sed Hypostatica & personalis, quæ salvis essentijs, ipsum subsistere, usurpare, operari & ἐνεργεῖν, commune facit. 4. Neque propterea, Communicatâ majestate, etsi omnia in Deo sint essentialia, ipsam quoq; naturam οὐσιωδῶς Communicari; probatur vel creatione Protoplastorum, quibus Deus ad imaginem suam formatis, suam sapientiam & justitiam communicavit, quæ dona in illis fuerunt finita, nedum ut particulam suæ essentiæ illis communicasset.

7. Tum & ijsdem rationibus demonstratur, non eam Majestatem, quæ divinitatis proprium est, propter communicationem reddi etiam proprium Humanitatis, vel hanc in Divinitatem converti, aut ab ea absorberi. Quibus addimus simile de ferro ignito, cui ignis suam vim urendi & lucendi communicat, quæ tamen nihilominus manet proprietas ignis, neq; propterea ex communicatâ vi urendi & lucendi, ferrum sua natura urere & lucere, multò minus in ignem mutari dicitur. Quo simili veteres ad declarandam hanc communicationem usi sunt. Vt Basilius (f): Quomodo Deitas est in carne? sicut ignis in ferro, non transitivè, sed communicativè. Non n. excurrit ignis ad ferrum, sed manens in suo loco, communicat ferro ignito propriam suam facultatem.

f) in sanctā Christi nativit.

8. Sic & variis quoq; vocabulis & phrasibus hanc Majestatis communicationem describunt, & nobis commendant. Vt quando Basilius eam vocat, μετάδοσιν. Gregor. Nyss. μετάληψιν. Nazianzenus προσληψιν εἰς Θεὸν. Epiphanius σῶμα ἔνθεον. Hilarius, Ambrosius, Damascenus, ἀποθέωσιν, θεοποίησιν, λόγωσιν. Alij ὑπερύψωσιν, προσθήκην μεγάλην, μετοχὴν θείας δυνάμεως, δύναμιν θείαν ἐν τῇ φύσει ἀνθρωπίνῃ, ὑπὲρ κατὰ τὸν λόγον τῆς φύσεως, ἀλλ' ὑπὲρ τὴν φύσιν. Athanasius (g): Cum Petrus dicit: Iesum factum Dominum & Christum à Deo, nõ de Divinitate ejus loquitur, sed de Humanitate. Iustinus (h): Corpus Christi post unionem Deificatum est, non mutatione in divinitatem, sed corpus manens propter unionem verbi incorruptum & immortale evasit. Corpus manet corpus, non n. est Deus. Per gratiam a. particeps factum est divinæ dignitatis seu majestatis, non autem naturæ Divinæ. Cyrillus (i): Accepisse gloriam, potestatem & regnum super omnia, referendum est ad conditionem humanitatis. Basilius (k): Deitas est in carne Christi, sicut ignis est in ferro, ita ut sicut ignis ferro communicat propriam suam facultatem, & illud quod particeps sui facit, totum seipso implet: Sic sanè etiam humana Domini caro, ipsa particeps facta est Deitatis, non suam propriam tradidit Deitati imbecillitatem. Theodoretus (l): Corpus Domini glorificatum non mutatum est in aliam naturam, sed mansit corpus divina tamen gloria repletum. Idem: λόγος homo factus est, non particulatim gratiam contulit assumptæ naturæ, sed totam plenitudinem divinitatis complacuit in ipso habitare. Damascenus (m): Divina natura proprias glorificationes (ἀξιώματα) carni communicat, manet verò passionum carnis expers. Caro Domini locupletata est divinis operationibus propter arctissimam ad verbum unionem.

g) de humanitate contra Apollinarium.
h) in expositione fidei
i) lib. 2. ad Reginas.
k) In Sanctã Nativitatem.
l) Dialog 2. in capite de Antichristo
m) lib. 3. c. 7. 14. & 17.

Communis opinio.

Error Secundus.

Aut omnia Idiomata, aut nulla sunt Communicata; sed non omnia: Ergo nulla.

RFFUTATIO.

Nos quidem nulli litem de quæstione, an omnia Idiomata sint Cõmunicata moveremus; sed quia adversarij argutias suas patefacto verbo opponen-

opponentes, quod tam clarè idiomatum & majestatis communicationem nobis describit, ut nil clariùs dici possit; nihilominus tamen ex hoc arenoso fundamento; quia quædam idiomata non sint communicata, nullarum propterea communicationem admittere volunt, ne sibi nimium hic sapere persuadeant, illis respondere nos decet.

1. Primum itaq; argutias illas ψιλοδωνύμους γνώσεως, ut Paulus eas nominat, gladio spiritus, qui est verbum Dei, retundimus, quod Majestatis in Christo communicationem evidenter asserit, ita ut de communicata omnipræsentia, omnipotentia, omniscientia, vi vivificandi, ne tantillum dubitare possimus; omnem n. plenitudinem Deitatis in Christo corporaliter inhabitare, & omnes thesauros sapientiæ & scientiæ in eo absconditos, & omnem potestatem in cœlo & in terra Christo homini datam esse, tradit; nihil non communicatum in Christo relinquens.

2. Cum n. ipsa idiomata τωτὸ quiddam cum Persona sint, tum etiam æternitas, infinitas, cum reliquis attributis divinis indissolubili nexu cohæreant; potentia namq; Divina, quæ operationes suas per Humanã naturam exerit, est æterna, immensa & infinita: fieri utiq; non potuit, quin data Hypostasi τῦ λόγυ, simul essentialia divino attributa, quæ ad unum omnia τῇ ὐσίᾳ conveniunt, & cum Hypostasi τῷ εἶναι idem sunt, communicata fuerint.

3. Et id impossibile non esse, probatur illocalitate, naturæ humanæ communicata, dum in λόγον assumpta est. Æquè. n. illocalitas est naturæ humanæ contraria; si eam in essentialibus proprietatibus carnis consideres, atq; infinitas. Nihilominus tamen illa humanæ naturæ fuit communicata, dum hæc in ὑπόστασιν τῦ λόγυ assumpta est, nisi ex τῷ λόγῳ, locum, & humanam naturam ἰδιοσύστατον facere velis. Quemmadmodum itaq; natura humana illocalis; non quidem ratione τῆς ὐσίας dici potest; ita & eodem modo infinitam & immensam dicere possumus.

4. Hæc si abstrusa sunt rationi, cogitemus in hisce mysteriis non de modo quærendum ex ratione, sed potius eam sub obsequium fidei esse capti-

captivandam. Vt tamen aliquid curiosis respondeamus; dicimus. 1. alia attributa, respectu naturæ humanæ esse ἀεργὰ, aliâ ἐνεργὰ; utraq; v. ad plenitudinem Deitatis, quæ Christo inhabitare dicitur, pertinere. Itaq; æternitas & immensitas Deitatis τοῦ λόγου, personaliter quidē inhabitant in assumpta Christi natura, sed non peculiares pro se ἐνεργείας in illa, & per illam exerunt. Reliqua verò Deitatis verbi attributa, ita in ea inhabitant, ut simul sint ἐνεργητικὰ. 2. Diversitas est in modo communicationis: illa enim τοῦ λόγου attributa, quæ ἄνευ ἀντιφάσεως de humanitate prædicari possunt, propinquiori quadam ratione & ἀμέσως, reliqua verò, quæ non nisi ἀντιφατικῶς de ea dicerentur, ἐμμέσως, per ὑπόστασιν humanæ naturæ sunt communicata. Quarè verè dicere possum, Humanam naturam omnipotentiâ æternâ, infinitâ, immensâ, præditam & donatam esse.

5. Et hic diversus communicationis modus probatur 1. Inhabitatione Dei gratuita in sanctis, in quibus, etsi in sua essentia sit ἀμέριστος, non tamen similiter omnia, nec in ijsdem, omnibus temporibus eadem operatur; ut hunc omnipotentiâ suâ servat, alium ex sapientia discrimen subire permittit, huic ex misericordiâ parcit, alium ex justitiâ punit, &c. Nec tamen aliud quid est in Deo omnipotentia, aliud sapientia. Si quæras, quomodo hoc cum individua essentiæ divinæ simplicitate, cujus credentes redduntur participes (a), subsistere possit? Respondet paulus (b): Distribuit Deus, prout vult. Deinde respondemus, essentiam Divinam in sese consideratam, esse ἀμέριστον: sed quando ad creaturas refertur, atq; sic relatè ad extra consideratur, ibi distinctio quædam in attributis statuenda est, ne promiscuè quid vis, de quibusvis dicatur. 2. Animâ hominis; quæ etsi ipsa ἀμέριστος, non habens partem extra partem, sit in toto corpore tota, & qualibet parte tota, potentias tamen suas diversimodè corpori communicat, ut oculus videat, auris audiat, cor intelligat.

a) 2. Pet. 1.
b) 1. Cor. 10.

6. Quarè falsum esse illud Calvinianorum enunciatum sequitur: aut omnia, aut nulla idiomata communicantur. Nondum n. probârunt, quæ de uno idiomate dicuntur, ea statim de reliquis quoq; statuenda.

enda. Contrarium enim ex superioribus facilè colligitur: ut cum quædam Dei attributa, ceù potentia, scientia, bonitas, justitia, &c. hominibus communicantur, non tamen propterea sequitur, eos omnium attributorum Dei, ut omnipotentiæ, omnipræsentiæ, infinitatis participes fieri? Sic anima in homine, corpori non communicat suam simplicitatem spiritus, interim tamen reliquæ facultates ei non denegantur. Et quamvis pes non videat, aut audiat, tamen vim sentiendi participat. Eodem modo ignis calorem ferro communicat, sibi levitatem sursum tendendi, & subtilitatem perspectivam reservans; nec ideò vera & realis communicatio ignis ad ferrum infringitur. Concludimus ergò ἐνεργητικοῖς ἰδιώμασι & λόγῳ *humanæ naturæ communicatis, non necesse esse, aut omnia communicari, aut propterea denegari.*

Error Tertius.

Christum simul in multis locis esse posse, tam facilè credo, quam credo S. Annam habuisse quinq; capita, & innocentem infantem habuisse barbam duodecim cubitorum prolixam. Non est Christi corpus magis in pluribus locis, quam corpora nostra. Christus ubiq; esse dicitur per communicationem idiomatum, id est, secundum naturam divinam, non autem secundum humanam.

Carolstad. in dialog. de cœna. Cinglius in prima resp. Cont. Eccium. Vrsinus in Disp. de Persona Christi Vol. Theol. f. 668.

REFUTATIO.

Generali illo Adversariorum, de Majestate communicata, errore, sat sufficientibus rationibus demolito, facilior erit transitus ad specialiora, in quib. de omnipræsentia, tanquam maximo ab illis & nefario, sed irrito ausu & molimine, semper infestata, initium facimus. Non verò tantùm eam negant, & homini Christo præ reliquis hominibus nihil concedunt, verùm & scopticè admodum ejusdem omnipræsentiæ illudunt.

1. *Quam tamen tàm clarè & perspicuè nobis S.S. Scriptura describit, ut quia eam videre & acceptare nolint, inde constet, magis malitiâ & contradicendi libidine, quam inscitiâ adversarios laborare. Inter alia verò, vel illa duo Matthæi dicta* (a) *omnipræsentiam Christi ad*

a) Matt. 18. 20. c. 28. 20.

oculum demonstrant: quando Christus in medio duorum vel trium, qui in nomine suo congregati fuerint, adfuturum, imò nobiscum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi mansurum, promittit. Et hac nõ tantùm de natura Divina vel Persona, ut interpretantur illi, sed de toto Christo, imò de Humana quoq; natura intelligi, vel unicum illud Psalmi, à D. Paulo allegatum, satis superq; convincit (b); quod omnia sub pedibus ejus (notans humanam naturam) subjecta esse testatur. His addi possunt reliqua (c).

b) Ps. 8. 7. 1. Cor. 15. 27. Ebr. 2. 8.
c) Eph. 4. 1. Coloss. 3. 11. Apocal. 1. 13

2. Similia sunt alia quamplurima dicta S. S. Scripturæ (d); quæ in Christo omnem plenitudinem Deitatis inhabitare corporaliter: eum omnia in omnibus adimplere: omnia in manibus suis habere, & cooperari Apostolis affirmant, ex quibus per bonam consequentiam nullo negotio ejus omnipræsentia demonstratur.

d) Colloss. 2. 9. Eph. 1. 22. Ioh. 13. 3. Mar. 16. 20.

3. Sic & ex incarnatione. Verbum enim seu λόγον carnem factum esse, id est, totaliter esse incarnatum, ita ut tota plenitudo Deitatis corporaliter in ea habitet, oraculis S. S. Scripturæ edocemur. Hinc orthodoxi Patres λόγον carne vestitum & circumamictũ esse, carnem χωρῆσαι capere & comprehendere λόγον, & λόγον substantialiter in ea requiescere, & humanitatem δοχεῖον καὶ περιβολὴν, receptaculum & amiculum verbi dixerunt. Si itaq; ex sententia adversariorum, corpus Christi nihilominus in multis locis simul esse negaretur, utiq; sequeretur: vel λόγον hac inhabitatione, & totali immanentia verbi, in assumpta carne, reddi finitum; vel infinitum alicubi, & quidem in omnibus locis, excepto illo unico, in quo natura humana esset, sine ea vel extra eam subsistere. Prius utrinq; conceditur. Posterioris verò impossibilitatem contra adversarios probamus. 1. Quia divinitas Christi est ἀμέριστος, & partem extra partem non habet, sed est ὅλως ὅλον; Ergo aut est totus in carne, aut si ullibi extra eam esse dicatur, tota sua Hypostasi, omniq; plenitudine Deitatis id fieri necessum esset. 2. λόγος ubiq; extra naturam humanam existens, ἀνοχικὸς diceretur, ubi enim λόγος non est intra humanam suam naturam, quod ipsum incarnatio ejus requirit, ibi nõ est ἐνοχικὸς, sed ἀνοχικὸς & quidẽ totus.

3. Quia

3. *Quia ipsa incarnatio λόγȣ tota consistit & absolvitur, in illa ἐξαιρέτῳ καὶ μονοτρόπῳ inhabitatione & immanentia totius plenitudinis Deitatis in carne; certum est ibi eam annihilari & conjunctionem inseparabilem, quicquid ogganniant adversarij, dissolvi, ubicunq; ὁ λόγος non inhabitare & immanere in carne, sed extra eam consistere fingatur. Ergo ἀποδεικτικῶς concludimus, λόγον hac sua totali inhabitatione & immanentia in carne, eandem infinitæ suæ ὑποστάσεως, majestatisq; suæ, atq; adeò omnipræsentiæ quoq; realissimâ κοινωνίᾳ participem reddidisse.*

4. *Neq; propterea infinita atq; immensa redditur natura humana, non.n. in locum naturaliter, sed in λόγον personaliter assumpta est. Accurratâ itaq; diligentiâ erit distinguendum inter duplicem naturæ humanæ existendi modum; localem, tum ex essentiali proprietate carnis συστατικῇ, tum ex accidentali forinsecùs ambientis loci conditione promanantem: Et personalem, ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ natum, non ex conditione carnis, sed ex unione ipsa, & assumptione humanitatis in Deum. Etsi itaq priori modo, ratione naturæ & essentiæ sit, maneatq; caro Christi in creata localitate, posteriori tamen modo, ratione Divinæ ὑπάρξεως, & existentiæ Personalis, in increata illocalitate, quã habet ipsa æterna τȣ̃ λόγȣ ὑπόστασις, atq; sic non in hoc, sed in alio quasi mundo, ut Divus Lutherus scribit, existit.*

5. *Tùm & articulus sessionis ad dextram Dei, immotum est fundamentum, non tantùm omnipræsentiæ hominis Christi, verùm etiam totius doctrinæ de reali communicatione idiomatum. Collocatio n. in throno Dei ad dextram ejus, describit nobis præsentiam talem, quâ Christi glorificata humanitas, activè cõtinet, & in manibꝰ habet omnes creaturas non vicissim continetur à creatura, ut in ea lateat inclusa. Quarè nõ tantùm ut Deus, sed etiam ut homo, omnibus creaturis adest, implens omnia, dominans ac regnans, nõ operatione tantũ, sed & præsentiâ, eâq; non locali, sed juxta modum dextræ Dei, planè illocali.*

6. *Id quod & ex collatione, ex ipsa natura sumpta magis constabit. Sol enim illustrans totum hemisphærium mundi, illi quidem suo corpore, nisi*

re, nisi aspectu, non adest, interim tamen radij illius, rebus omnibus sibi objectis, revera adsunt. Sonus unicus campanæ vel clangor tubæ, quin & vox hominis, multorum millium hominum aures, ad quas pertingit, implere potest. Hæc si naturalia concedimus naturæ, quidni Christo, homini Deificato, ut Patres eum nominant, crederemus divina: ut, cum in natura, admittamus multipræsentiam, Christi humanæ naturæ non tribuamus omnipræsentiam.

7. Deniq; notentur ἀθεόλογα, si Christo homini omnipræsentia denegetur. Λόγ& alicubi ἀσαρκ& diceretur. Non totus λόγ& incarnatus esset. Humana natura ascendens & descendens, nunc suprà, nunc infrà, unita esset λόγῳ; si non unio tota dissolveretur. Et λόγ& ex illa locali ascensione & descensione naturæ humanæ, nunc hic nunc illic incarnaretur, quin & incarnatio tota expiraret. Præsentiores sibi nos haberet ὁ λόγ&, quatenus nobis adest, quam assumptam suam naturam, quæ à nobis, ex somnio Calviniſtico, tam longè distat, ut supremum cælum ab infima terra.

Error Quartus.

Danæus in Exa. cont. D. Chemn. f. 398.

Per dictum Christi Matth. 28. Omnis potestas mihi data est, &c. intelligitur potentia finita, & per se creata, non autem æterna. Hæc. n. respectu etiam unionis Personalis, Humanæ naturæ minimè competit.

REFUTATIO.

Ingens hæc est Calvinianorum audacia, detrahendi honori & majestati Christi, & depravandi S. S. Scripturam; inspirata ab eo, qui sonabat illud Elohim in Paradiso. Eodem enim illos spiritu regi, vel ex depravatione hujus tàm perspicui dicti satis superq; patet, ne Christo honorem omnipotentiæ, hoc dicto ei datum, concedant.

a) Dan. 7. 13 14. Matt. 11. 26. Luc. 1. 33. Psl. 8. Item 110. 1. Act. 10. 38. Eph. 1. 20. Phil. 3. 21. Coloss. 2 9.

1. Nos verò econtrà, omissis reliquis S. S. Scripturæ locis (a), quibus omnipotentia hominis Christi, satis apertè demonstratur, ex hoc solummodo dicto Matthæi, contra adversarios eandem obtinemus. Neq; est, quod hoc loco varias easq; subdolas textui ipsi contrarias eorum explicationes recenseamus; quin potius videbimus, quomodo singulæ

hujus

hujus dicti voculæ, vim demonstrandi id, quod ab adversa parte in dubium vocatur, habeant. Primò itaq; particula universalis Omnis, *nihil excipiens, particularem potestatis decisionem non admittit, sed potius omnium rerum, etiam interprete ipso Beza, potestatem complectitur. Pro qua universali, velle particularem substituere; manifesta esset textus corruptio.*

2. Deinde vocabulum ἐξουσίας, particulæ universali additum, ex natura Etymi, omnium rerum licentiam jus & authoritatem Christo concedit. Neq; hîc vana adversariorum distinctio inter ἐξουσίαν & δύναμιν valet. 1. Quia S.S. Scriptura hanc ἐξουσίαν alibi (b) *per δύναμιν explicat. 2. Quin & ita eam describit, ut non nisi de illa, quæ Deitatis propria est, intelligi possit. Nominat enim eam, ἐξουσίαν πάσης σαρκὸς* (c). *Ὑπερέχω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας, καὶ δυνάμεως, καὶ κυριότητος, καὶ παντὸς ὀνόματος, cui omnia subjecta sint. 3. Quin & alibi hujusmodi effecta ei tribuuntur, quæ δύναμιν, eamq; Divinam satis declarant, ut: remittere peccata* (d): *exercere judicium: dare vitam æternam. 4. Tùm & S. S. Scriptura* (e), *& Græci Scriptores, his vocibus sine discrimine utuntur, & utrumq; vocabulum sæpè conjungunt. 5. Deniq; ἄτοπον esset καὶ ἀθεόλογον, Patrem, qui omnia Christo in manus tradidit, dedisse ἐξουσίαν δυνάμει vacuam.*

3. Quod porrò hæc potestas Data *dicitur, inde evinci potest, eam non de habituali aut aliqua creata, finita aut temporali potentia accipi posse, siquidem illius sibi ingenitæ donatione opus non habuisset. Si itaq; data est, divinam eam esse necesse est. Quarè sequitur ex illa donatione, Christum secundum Humanitatem verè factum esse omnipotentem, & propterea etiam divina agere & operari; ad quid enim aliàs illi omnis potestas in cœlo & in terra data esset.*

4. Prætereà quandò Christus inquit: mihi *data est omnis potestas, non hoc pronomen, de Persona simpliciter, multò minus de natura Divina intelligendum esse, probatione apud bonos & rectè judicantes non indiget. Dissentientium rationes, si quas habebunt, hîc studio brevitatis omissas, in ipsa futura συζητήσει τῷ Θεῷ refutabimus. Relinquitur*

b) Act. 10. 38. Luc. 22. 69. Apoc. 4. 11. c. 5. 12.
c) Ioh. 17. 2. Eph. 1. 21. 22
d) Matt. 9. 6 Ioh. 5. 27.
e) Luc. 9. 1. 1. Cor. 15. 24. Eph. 1. 21. Apoc. 12. 10.

tur itaq; , ea omnia quæ data dicuntur Christo in tempore, secundum regulam illam B. Athanasii, ab orthodoxa antiquitate receptam, de natura humana intelligi debere. Id quod & quidam ex adversariis (f) concedunt.

f) Beza Respons. ad acta Mompel. par. 1. f. 137. 144. 145. 146. 148 Danæus in exa. Chemnit. f. 361. Genev. Anno 81.

5. Deniq; descriptio addita: In cœlo & in terra, quasi digitum in Divinam omnipotentiam intendit, quæ aliis in locis S. S. Script. (g), hisce vocibus quasi describitur. Quâ descriptione & declaratione cum nihil sit clarius & dilucidius, ita ut nullâ sophisticâ eludi possit vel meritò debeat, & tamen Calviniani (h) propterea eam additam scribant, ut eâ, quasi certis limitibus, potentia Christi describatur, inde apparet, illos jamdudum fines verecundiæ, in depravatione etiam perspicuorum S. S. Scripturæ locorum, transiisse, & hoc unicum agere, ut veritatem de gloria Christi subruant & evertant, cujus blasphemiæ simul & sacrilegij vindictam suo tempore exercebit is, qui gravissimè omnem sibi potestatem in cœlo & in terra datam esse affirmat.

g) Ps. 103. 19. Matt. 11. 25.

h) Dan. exa. cont. D. Chem. f. 363.

6. Suffragio quoq; suo veteres hujus dicti τὸ ἐγγὺς, & hanc ejus fidei analogam explicationem comprobant, Ut Athanasius (i): Deus non est mutatus in humanam carnem vel substantiam, sed in seipso, quam assumpsit, glorificabat naturam, ut humana, infirma & mortalis caro atq; natura, divinam profecerit in gloriam, ita ut omnem potestatem in cœlo & in terra habeat, quam antequam à verbo assumeretur, non habebat. Theophilactus (k): Ego prius damnata natura, nunc absq; naturarum confusione, accepi omnem potestatem.

i) De Arriana & Cathol. confess.

k) in 28. ca. Matth.

7. Hisce rationes aliæ addi possunt, quæ demonstratione certissima evincunt, humanæ quoq; naturæ omnipotentiam, ratione unionis personalis, omnibus modis competere. Quia ipsa natura humana, cum propria personalitate careat, & ἀνυπόστατος non sit, suum habet subsistere in Persona τοῦ λόγου, quod subsistere cum non sit humanum aut finitum, sed Divinum & infinitum, quod suo complexu ipsam omnipotentiam ita concernit, ut cum ea sit ταυτὸ quid simplicissimum: fieri propterea nullo modo potest, ut illi omnipotentia derogari possit, quin simul eidem & ὑποστάσει verbi, & ipsum suum subsistere penitus subtrahatur.

8. Sic

8. *Sic quoq; si assumptæ carni omnipotentia verbi denegatur, omnes illæ de Christo enunciationes falsæ erunt, quibus dicitur* (l) *illud sanctum ex virgine natum, filius Dei: germen Davidis ipse Jehovah: filius hominis, filius Dei: verbum caro factum: Christus, Dominus noster & Deus noster: secundus homo, ipse Dominus de cælo, &c. Tum & hisce similes SS. Scripturæ prædicationes, quibus Christo, quâ homo, majestas divina tribuitur.*

l) Luc. 1. 35. Ier. 23. 5. 6. Matt. 16. 16. Ioh. 1. 14. c. 20. 28. 1 Cor. 15. 47.

9. *Præsertim autem ipsum opus mediationis & redemptionis, Christum hominem omnipotentiâ Divinâ carere non permittit. Qualis enim aliàs, ille unicus mediator Dei & hominum,* (m) *homo Jesus Christus, mediator esset? Vel quomodo illius sanguis pro nobis effundi in remissionem peccatorum, vel emundare nos ab omni peccato posset, utpote soliùs nudi hominis, cui præter humanas actiones, nihil quicquam tribuatur? Etsi itaque effundere sanguinem sit naturalis humanæ naturæ proprietas, nõ tamen ad officium Mediatoris sufficit, nisi etiam effundatur sanguis in remissionem peccatorum, & emundet nos ab omnibus peccatis; quod non humanarum est virium, sed Divinæ virtutis ac operationis.*

m) 1 Tim. 2. 5. Matt 26. 28. 1 Ioh. 1. 8.

10. *Vndè & Orthodoxi Patres testantur,* (n) *naturam humanam Divinis ditatam dotibus: verbum Divinam virtutem, mortali corpori subministrasse. Et Athanasius inquit* (o) *Placuit* τῷ λόγῳ *unito humanitati, per eam, in ea, & cum ea, propriam suam Divinam potentiam operando exercere. Item: Diabolus non credidit, carnem Christi verbi virtute roboratam. Sic Eusebius Emissenus* (p)*: Nos etiam secundum humanitatem, omni virtute & gratiâ plenum esse Christum confitemur. Cyrillus* (q)*: Non carni ut caro est, operationis Divinæ virtutem, sed naturæ verbi asscribimus. Item: Sicut ignis appositus vási æneo, imprimit ei propriæ caliditatis effectum: Sic omnipotens Dei verbum, cum univit sibi veraciter assumptum templum ex virgine animatum & intellectu præditum, particeps suæ potestatis, ejus effectum inseruit.*

n) Damasc. lib. 3. de orthod. fidei cap. 17. Euseb. lib. 4. demõstr. Evang. c. 13.

o) Dialogo 5. de Trinit. De passione in Oliveto.

p) In homilia quadam post Dominicam passionis.

q) lib. 11. cap. 29.

11. *Deniq; hæc ἄτοπα, si nihil præter humana, naturæ humanæ tribuant adversarij, vitare non poterunt. Non subsistet in Persona*

ὁ λόγος *sed* ἰδιοσύστατος *erit natura humana. Duas habebit potentias Christus, alteram finitam alterâ infinitâ. Divisè agent naturæ. Secundum humanâ Christus nõ poterit noster esse Mediator & Redemptor. Nihil accessionis humanæ naturæ, ut ex unione, ita & exaltatione ad dextram Dei factum. In Christi carne & sanguine remissionem peccatorum, justitiam & vitam æternam quærere non poterimus.*

Error Quartus.

Operum Sohn. tom. 2. art. 3. de Persona & offic. Christi. f. 281.

Etsi scientia (animæ Christi) omnium angelorum & hominum scientiam longè superat, & nostri respectu infinita est, quia nobis incomprehensibilis; tamen non æquat scientiam Divinam, seu scientiam Deitatis. Nam Divina scientia est increata: hæc verò animæ Christi scientia, illuminato intellectu animæ, & notitiis à Deitate Personaliter inhabitante, accensis, veluti creatur.

REFUTATIO.

Intermediam quoq; tantùm inter Dei & angelorum atq; hominum scientiam, Christo homini concedunt, quam quidem respectu nostri infinitam esse volunt, interim tamen creatam nominant. Nos verò etsi Christum creata & habituali scientiâ præditum esse, libenter largiamur, attamen insuper omniscientiam, quæ Divinitatis est, ex Personali unione eum habuisse, firmiter credimus.

1. *Idq; edocti oraculis S. S. Scripturæ, quæ in Christo* omnes thesauros *Sapientiæ & Scientiæ absconditos asserit* (a), *propterea quod tota plenitudo Deitatis in eo corporaliter inhabitet; quibus verbis ipsa natura humana, quæ fuit domicilium Divinitatis, intellligitur. Super quam & Esaias, (præmissa illius descriptione, quod sit virga egrediens de radice jesse, & virgultum de radice ejus adscendens) requiescere, inquit, spiritum Domini, spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilij & fortitudinis, spiritum scientiæ & timoris Domini. Vndè & S. S. Spiritus non ad mensuram ei datus dicitur; sed quod Deus Christum unxerit oleo lætitiæ præ consortibus suis* (b). *Quare non tantùm Divina natura in Christo, verum ipse Jesus totus etiam*

a) Coloss 2. 3. 9. c. 1. 19. Esa. 11. 1. 2. Ps. 45. 8. Ioh. 2. 25. 26

b) Ps. 45. 8. Ioh. 2. 25.

etiam secundum naturam humanam, novit omnes, neq; opus ei fuit, ut quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim, inquit Johannes, sciebat, quid esset in homine.

2. Deindè si omnipræsentia Christo homini tribuenda est, ut superius demonstravimus, quomodo ille præsens nescire & non videre dicatur, quid sit & fiat; quod ne quidem de homine verùm esse posse, nemo est qui non videt. Eadem est ratio omnipotentiæ, quæ simul hanc omniscientiam includit.

3. Tùm etiam ejus evidentissima probatio, ex judiciaria potestate Christo commissa, ut eam in novissimo die exequatur (b), sumi potest. In illo enim extremo judicio, eum (quatenus ut filius hominis est constitutus judex) patefacturum S.S. Scriptura (c) asserit, abscondita tenebrarum & consilia cordium. Hoc verò fieri minimè posse, nisi ipse omnia sciverit & καρδιογνώστης fuerit, omnes rectè sentientes facilè vident. Videre enim & scire occulta tenebrarum, patefacere consilia cordium, & de ijs judicare, non finitæ & creatæ, qualis humana, sed infinitæ est & Divinæ, qualis est & λόγε, scientiæ. Cum verò hæc de Christo, quatenus est filius hominis & futurus judex, prædicetur, utiq; & reali illi communicatione eandem competere sequitur.

b) Ioh. 5. 22. 27. Matt 25. 13.
c) 1 Cor. 4. 5.

4. Aliàs enim neq; ei cultus adorationis tribui posset. Si enim Humana Christi natura insscia esset & ignara gemituum & desideriorum cordis, & latentis in corde fidei, ex qua proficisci debet precatio, neq; eam sciret vel audiret; utiq; similis esset Baalitarum Deo, (d) & statuis idololatricis, quas S.S. Scriptura ita describit: quod habeant aures, sed non audiant, oculos & non videant. Quod absit, ut de auribus & oculis nostri Mediatoris, ad quem meritò nostra invocatio, ut disp. 6. videbimus, dirigitur, cogitemus vel statuamus.

d) 2 Reg 18. 27.

5. Quin imò, si aures & oculos hominum considéremus, possunt illi multorum objectorum simul capaces esse: ut, cum oculus uno intuitu simul in multarum rerum aspectu versatur, & visui uni & simplici multa simul objiciuntur, quæ omnia homo uno intuitu videre & cogno-

cognoscere potest. Sic auris unico auditu plures easq; diversas & discrepantes vel voces vel sonos percipit. Animus hominis, ejusq; cogitationes ex phantasia ipsi judicio objectæ, simul in multis ideis mente perceptis, versari possunt. Imò & memoria, tanquam rasa tabula semper existens, quò plura ei inscribuntur, eò plura commendari sibi satagit, undè & homines multarum rerum scientiam sibi studio & industria comparare possunt. Sed quid hoc; multiscientiam hominibus ut concedamus necesse est, & omniscientia Christo homini personaliter Divinitati & λόγῳ unito, non tribueretur? Blasphemum hoc & sacrilegum.

c) Luc. 2. 40. Matt 16.13. Marc. 8.5. Ioh. 6. 6. Mar. 13. 33.

6. Quod verò ad illa dicta, (c) quæ Christum sapientia crevisse, discipulos aliquoties de rebus quibusdam interrogasse, diem judicij ignorasse, &c. perhibent, attinet, non illa ut videntur, & adversarij certò sibi persuadent, omniscientiam Christi hominis oppugnant. Si enim de omniscientia communicata accipias, respondemus; Christum nescivisse quædam. 1. quoad actum scientiæ non primum, cujus particeps inde ab utero materno fuit, sed secundum seu usum, quatenus non semper exeruit. 2. in statu Exinanitionis, qui, veluti nubecula, inter omniscientiam communicatam & ejus usum fuit interpositus. 3. non ratione infirmitatis, sed voluntatis & officij. 4. Quia illam omniscientiam non ex se, sed communicatam habebat, cujus quidem beneficio unionis, particeps facta erat, sed nondum plenaria usurpatio & fruitio data, nisi quod interdū quidā radij affulgebant illi. Itaq; natura humana quoad actū illum secundū seu usum, nihil scivit, nisi quod πεφωτωσ ipse λόγος scire eam voluit. Si verò ignorationem hanc intelligas de congenita Christi sapientia, quæ illi fuit habitualis, & secundum quam verè crevit, respondemus: Christum verè nescivisse quædam, si non quoad habitum scientiæ seu actum primum, certè quoad actum secundum seu usum, quam sæpius status ταπεινώσεως, & alia objecta gravamina impediebant, ut multorum non statim, quando opus fuerit, potuerit recordari.

7. Quam ignorationem Christi, Orthodoxi Patres illustribus sententijs

tentiis explicuerunt. Vt, quod crevisse dicitur Christus, ad id Cyrillus ità respondet: Quia magis eum homines indies admirabantur, illorum potius de Christo opinio, quàm illius perfecta crescebat gratia. De interrogatione Christi, inquit Chrysostomus: Non vult ipse Christus se injicere, sed omnia ab alijs discere, & rogatus facere, ut ab omni suspitione eribiat signum. Augustinus: Non locum sepulti (Lazari) ignoravit, sed fidem populi approbare voluit. Item: Quæ nobis occulta sunt, de ijs quæritur. Secreti signum est, interrogatio Domini, quasi nescientis, cum ipsi nesciamus. Item: In omnibus, quæ Deus ignorare se loquitur, ignoratione non detinetur, sed aut tempus est non loquendi, aut dispensatio nõ agendi. Ignorationem extremi diei sic explicat Theophilactus: volens Dominus discipulos impedire ab interrogatione diei & horæ, dixit: Nemo scit, nisi pater. Si enim dixisset, scio, sed nolo vobis revelare, contristasset eos. Nunc verò sapienter agit, & excludit eos ab interrogatione. Hilarius respondet: non fuit ignorationis infirmitas, sed tacendi dispensatio. Sic Cyrillus: Diem & horam adventus sui in quantum κένωσις & sapientia Dei est, non ignorat: sed ne dolorem teneris discipulis faceret, desiderantibus illud scire, verè se, dixit, ut hominem ignorare. Et paulò pòst: Deus vocabat Adam: Adam, Adam ubi es? Et ad Cain; ubi est Abel frater tuus? Hic si hæretici ignorantem Deum ignorasse affirmabunt, manifesta impietate tenebuntur: sin autem dispensationis modo quodam sic interrogasse Deum dicent, cur mirantur, si filius Dei, per quem etiam tunc facta interrogatio est, utiliter dispensans, ignorare se dicit horam illam, ut homo, quamvis universa sciat, ut sapientia patris? Et rursum: Si antecedentes dies ante ultimum diem scit, non potest cercè illum ignorare. Simile enim erit, si quis diceret, ignorari ab eo denarium numerum, qui novem optimè novit. Nam qui novem novit, unitatem novit, quarè decem etiam optimè novit. Christus autem antecedentia ultimum diem signa prædixit (f): Quomodo igitur ignoravit posse illa, futurum finem.

f) Matt. 24. 5. 6. 15. 32. Luc. 21. 25.

Error

Error Quintus.

Cinglius. Corpori & sanguini Christi Divina vis vivificandi & à peccatis purgandi, minimè competit.

REFUTATIO.

Mendacium hoc affectatum & crassum, quod tàm imperiosè & tanto supercilio ebuccinat iste, διαρρήδην S. S. Scripturæ repugnat; unde liquido constat, illud non ex insciitia sed malitiosa contradicendi Christo, ejusq; gloriæ detrahendi libidine & licentia prolatum esse. Id quod, recentiores, qui sunt, sentiunt, & propterea cum S. S. Scripturâ, ut solent, se loqui simulantes, dicunt carnem Christi nominari vivificam, ratione. 1. meriti & λύτρου vitæ. 2. Canalis ἀγωγοῦ, ferentis, ut ducatur & fluat vita, in se tanquam instrumento, ad fideles. 3. Honoris & tituli vivificationis, qui carni Christi propter personalem unionem tribuatur, perinde ac verba honoris, nominamus titulos sine re. Atq; sic illi videri quidem volunt assertores vivificationis carnis Christi; sed revera ὕπουλον quid sub sinu fovent: varijs. n. anfractibus acti, huc tanquam ad scopulum naufragij collidunt, affirmantes; non ratione alicujus efficaciæ, actionis aut cooperationis carnem Christi personaliter τῷ λόγῳ unitam, vivificam esse. Atq; sic, quicquid interim dicant, & quomodocunq; miros cuniculos agant, cum patre suo Cinglio idem sentiunt.

1. Sed tàm perspicuè clarè & luculenter Christus de carne sua loquitur, quod sit vivifica (a): *& Iohannes de sanguine Christi, quod nos emundet ab omnibus peccatis: ut impossibile sit quemquam, nisi mente captum & planè occæcatum & obduratum, huic lucis veritati vel contradicere, vel eam in alienum sensum flectere posse. Quia verò nihilominus adversarij, non tantùm S. S. Scripturam mordent suis somnijs, eam in alienum sensum detorquendo, verùm etiam eidem licentiosè & malitiosè contradicunt, rejiciendo eam & spumas oris sui substituendo: etiam in petra veritatis dentes elident, & contradictionis suæ pœnam certissimè expectabunt.*

a) Ioh. 6. 51. 1 Ioh. 1. 8.

2. Ne a. hic nimium prolixi simus, συνήθειαν subjungemus præcipua effecta,

effecta, quæ Christo in S. S. Scriptura tribuuntur, ex quibus per bonam consequentiam, carnem seu corpus ejus esse vivificum demonstratur (b) 1. Quia habet potestatem ponendi & resumendi vitam. 2. Promerendi vitam æternam. 3. Ægrotos miraculosè sanandi. 4. Mortuos in vitam revocandi. 5. Habet verba vitæ æternæ. 6. Imò & vita æterna dicitur. In hisce omnibus regula illa Logicorum superius allegata valet: Effectus efficientis potentiam efficiendi, in efficiente præsupponit. Esse verò hæc effecta naturæ etiam humanæ, tùm ipsa σωτήρια textus evidenter ostendit, tùm & assensu orthodoxorum veteris Ecclesiæ idipsum probari potest.

b) Ioh. 10. 17 18. v. 9. 11. 28. Matt. 8. 3. 15. c. 9. 21. 25. 29. Luc. 7. 14. Ioh. 11. 43. c. 6. 68. 1 Ioh. 5. 21.

3. Cyrillus enim inquit (c): In exuscitandis mortuis, non solùm verbo atq; imperio, ut Deus utebatur; verùm etiam carnem suam, quasi cooperatricem nonnunquam adhibuit, ut reipsa ostenderet, carnem quoq; suam, quoniam sibi conjuncta est, vivificam esse, atq; fideles doceret, suum non alterius corpus esse. Item: Verbum communes facit, tanquam cum carne sua, divinæ majestatis suæ operationes, ut possit etiam vivificare mortuos, & sanare infirmos. Sic idem: Proprium est corpus ejus verbi, quod omnia vivificat. Quoniam autem est corpus vitæ, vivificum est. Nam per hoc mortalibus nostris corporibus largitur vitam, & mortis imperium evacuat. Item: Non verbo solum semper, verùm etiam tactu mortuos excitabat, ut ostenderet, corpus quoq; suum vivificare posse: quod si solo tactu suo corpora redintegrantur, quomodo non vivemus, qui carnem illam & gestamus & manducamus? Reformabit enim omninò ad immortalitatem suam participes sui. Sic: Vivificat corpus Christi, & ad incorruptionem sui participatione redimit. Non enim alterius cujusdam, sed ipsius vitæ corpus est, virtutem incarnati verbi retinens, & plenum potestate illius, quo universa & vivunt & sunt. Hisce alia aliorum addi possunt testimonia. Eusebius (d) verbum, inquit, divinam virtutem, mortali subministrabat. Origenes (e): ad omnes sanctos calor aliquis λόγε putandus est pervenisse: In Christi autem anima, ipse ignis Divinus substantialiter requie-

c) lib. 4. in Ioh. cap. 13. Lib. de Incar. unigen. cap. 7. In defensione Anathematismi 11. contra Theodoretum. Lib. 3. In Ioh. cap. 37.

d) lib. 4. de monst. Evangel. c. 13.

e) de principiis lib. 2. cap. 6.

visse credendus est, ex quo ad cæteros calor aliquis venerit.

4. Et notatu dignum est illud simile ex naturalibus sumptum, quo Cyrillus (f) communicatam Christo homini vivificandi vim, probat, inquiens: Si mel, cum naturaliter dulce sit, ea dulcia facit, quibus immiscetur: nonne stultum erit vivificam verbi naturam, putare non dedisse homini, in quo habitat, vivificandi virtutem? Huic addi potest illud de anima & corpore humano sumptum. Si enim animam vivificatam finitam & humanam, omnes suas facultates corpori suo, cum quo personaliter, quamvis dissolubiliter, unita est, communicare videmus: multò magis ipsam vitam vivificantem, infinitam & Divinam, corpori seu carni suæ, quam assumpsit & deponet nunquam, sed personaliter & indissolubiliter sibi univit, vim & virtutem vivificandi communicasse, credendum est.

f) lib 4. in Ioh. c. 33.

5. Nec derogat quicquam huic vitæ Christi vivificæ, mors Christi. 1. Per hanc enim tantùm corpus Christi vitâ naturali, quam καθ' ἑαυτὸν ἀπλῶς habuit, privatum fuit, non verò vivifica illa & Divina ζωογόνος facultas sublata, quam κατ' ἄλλο ἐνεργειλικῶς sibi communicatam retinuit. 2. Sed non exeruit, cum illius usu, in statu exinanitionis suæ imæ se abdicaverit, ut pati posset, minimè verò deposuit. 3. Quod & indè satis manifesto constat, quod morte sua mortem superavit, & in victoriam absorpsit (g).

g) Oseæ 13. 14. 1 Cor. 15. 54.

Error Sextus.

Quando Joh. 6. dicitur, caro Christi est vivifica, & 1. Joh. 1. Sanguis Christi emundat nos, &c. id de Divinitate Christi per Allæosin est intelligendum. Humana Christi natura dicitur omnipotens, quia est instrumentum omnipotentis naturæ, perinde, ut si quis calamum, quo scribimus, intelligentem esse dicat, quia homo, qui calamo, ut instrumento utitur, sit intelligens.

Cingl. in Exeg. tom. 2. f. 350. Simonius cont. D. Schegkiũ. Oecolamp. in lib. de verb. Dom. hoc est corpus meum.

Pater

Pater filio omnem communicavit honorem, quem & caro ejus, ut purpura regia suscepit.

REFUTATIO,

Hic Error triplex, modum communicatæ majestatis Calvinianum describit, qui si modò obiter attendatur, nullus esse deprehenditur, quarè illum unâ fideliâ dealbari posse judicavimus.

1. Quod itaq; ad primum membrum, quod Allæosin etiam in tertio hoc genere, ut in prioribus duobus, adhibet; respondemus, eam jamdudum esse explosam, & iisdem, quas superius posuimus, rationibus etiam hîc profligari posse. Et contra eam realis majestatis communicatio sarta tecta, illo divino Apostoli enunciato, jam sæpius, sed non nimium allegato, quo affirmatur, ἐν αὐτῷ κατοικεῖν πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς: fundata, inconcussa stat manetq;, & portæ inferorum adversus eam non prævalebunt. Cui succenturiat ipsa unio hypostatica, quæ si salva esse & manere debeat, omninò idiomatum & Divinæ majestatis identitatem, salvâ tamen naturarum differentiâ, constituit, ita ut Divina, de natura quoq; humana in Christo revera prædicentur.

2. Quod secundo erroris membro, naturam humanam dicunt instrumentum omnipotentis naturæ, id sanum est & orthodoxum; sed quod propterea tantùm (quam particulam excludendi ritè ex eorum mente addi posse, inferiora ostendunt) dicatur omnipotens, quia sit instrumentum omnipotentis naturæ, idq; ἄλογον καὶ ἄεργον, id sanè ut falsum & heterodoxum rejicimus. Non enim natura humana in Christo propterea tantùm dicitur omnipotens, quia est instrumentum divinæ naturæ, sed quia eidem personaliter unita, omnipotentiæ divinæ particeps revera facta est. Quarè minimè est instrumentum exanime, instar calami aut baculi Mosis, nec brutum seu ἄλογον, sicut asina Bileam loquens, nec ociosum seu ἄεργον, ut quando aqua per canalem fluit; sed organum ἐνεργητικὸν, συνεργὸν καὶ ὄχημα, idoneum, cooperans & efficax, non tantùm secundum gratuita & habitualia

bitualia dona subjectivè sibi inhærentia, & omnium creaturarum potentiam, & actionum vim superantia, sed secundum omnipotentiæ majestatem divinam atq; infinitam, sibi ex Personali ἕνωσις realiter communicatam.

3. Restat ultimum erroris membrum, quod si nominari audis, ipsum loco refutationis erit, suâ enim ipsius blasphemiâ & turpitudine confunditur, ita ut nulla sui parte, apud Neotericos in gente Calviniana, hæreat, nisi quod sensum retineant, sed alio fucatum nitore venditent. Quibus respondemus verbis Maximi (a): Ex hoc errore constabit Calvinianos dementi Nestorio assentiri, dividenti ac distrahenti duas Christi Domini naturas, in unam ὑπόστασιν seu Personam concurrentes: aut eos esse impij Apollinaris discipulos; Christi corpus, animæ ac mentis expers asserentis.

a) In panoplia Euthymij.

DE CALVINISMO

DISPUTATIO ELENCTICA
QVINTA
Complectens Mataeologia Calviniana
examen, in loco
De

STATU EXINANITIONIS ET EXALTATIONIS.

Quam

Consensu & Approbatione Reverendæ facultatis Theologicæ
Doctore & Ductore S. S. Spiritu
Sub Præsidio
M. PETRI HINKELMANNI.
privatim defendendam suscipiet
IOACHIMUS PRÆTORIUS Neobrand.
habebitur disputatio 4. Non. Decemb.

ROSTOCHII
Litteris Reusnerianis, Anno 1609.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0125
DFG

ΣΤΝ ΘΕΩ.

DISPVTATIO ANTICALVINISTICA V.

DE STATU EXINANITIONIS ET EXALTATIONIS.

CONTINUATIO.

LOcum de communicatione Idiomatum, superiori συζητήσει fusius tractavimus, tùm propter errorum ibidem fœcunditatem, tùm quia illum locum Calviniani ceu arcem quandam & propugnaculum sibi usurpant, ex quo multos suos errores tueri conantur. Cui jam brevius, doctrinam de statu Exinanitionis & Exaltationis Christi, traditam in S.S. Scriptura, & ab Orthodoxis explicatam, defendemus contra heterodoxiam Adversariorum. 1. in statu Exinanitionis. 2. In statu Exaltationis.

CAPUT PRIMUM.

De statu Exinanitionis.

Error Primus.

Exinanitio ut & Exaltatio est totius Personæ, intelligenda secundum utramq; naturam. Amelingus in thes. Cōmunis opinio.

REFVTATIO.

Quod Exinanitio & Exaltatio ab Adversariis Personæ tribuitur, idipsum, quia est actionis & passionis, improbare non possumus, sed quod utrumq; statum, secundum utramq; naturam intelligi volunt, illud ut heterodoxum acceptare non possumus.

1. *S.S. Scriptura enim tàm Exinanitionem quàm Exaltationem, Christo secundum humanam naturā tribuit, ad cuius rei apodicticam probationem, vel unicum, illudq; illustre dictum Pauli sufficere potest;* (a) *Christus Iesus, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus* a) Phil. 2. 6.

eratus est, esse æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo: Humiliavit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit eum, & dedit ei nomen, quod est super omne nomen. Hæc de humana naturæ intelligi, probatione non indiget. Sic etiam exinanitionem, secundum eandem innuit, quando dicit, Deum misisse (b) filium suum in similitudine carnis peccati, eumq; undiquaq; nobis similem, peccato excepto, fuisse. Tũ & de exaltatione loquens Scriptura, digitũ quasi in humanam naturam intendit: Vocat enim illud sanctum natum ex Maria, filium Dei (c). Et Apostoli vidisse gloriam unigeniti à patre dicuntur. Sic Christus sibi datam omnem potestatem in cælo & in terra dicit. Et Petrus: Dominum & Christum fecit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis. Hæc & similia de Christo enunciata, secundum Humanæ naturæ conditionem accipi, textus ipse abundè satis docet, ut in ipsa συζητήσει ad oculum demonstrabitur.

b) Rom. 8. 3.

c) Luc. 1. 35. Joh. 1. 14. Matt. 28. 18. Act. 2. 36.

2. Accedit proprietas naturarum; Divinæ, quæ nullam Exinanitionem, ut nec exaltationem nisi eidem accessionem & diminutionem ἀθεολόγως affingere velis, admittit. Non enim exinaniri, ut nec exaltari potuit ὁ λόγος, utpotè in summo & excellenti gradu altissimus. Quando verò quidam ex Patribus λόγον se exinanivisse scribunt, id de Incarnatione, & officio redemptionis, quod suscepit, acceptum volunt, illudq; ἀνθρωποπαθῶς, non secundum effectum sed affectum, exinanitionem vocant. Humanæ deindè naturæ: quæ exaltari potuit, assumpta in Deum, & propterea etiam vicissim exinanivit seipsam, servili formâ assumptâ, & habitu inventus homo, cum Deo æqualis in majestate esse potuisset.

3. Vndè & Symbolum Apostolorum omnes partes, utriusq; status, ut quod natus, passus, mortuus; resurrexit, ascendit & sedet à dextris patris; tribuit Christo, non secundum Divinam, sed humanam eius naturam.

4. Secundum quam ei Exinanitio necessariò tribuenda fuit, ut pati & mori

& mori posset: aliàs enim duplici jure, & passionis & mortis expers fuisset, tùm quia sine labe originali conceptus atq; natus, tùm quia personaliter naturæ divinæ unitus erat. Quia verò in carne sua & pati & mori debuit, debuit quoq; & voluit semetipsum, secundum eam in forma Dei existentem, humiliare, suo juri cedere & majestate sua sese abdicare, & fieri obediens usq; ad mortem. Quarè etiam illum ipsum ita Exinanitum secundum eandem naturam Deus exaltavit, & dedit illi nomen, quod est supra omne nomen. Secundum verò Divinam naturam neq; Exinanitio, neq; Exaltatio ei profuit, nec tribui potuit.

5. Quia utraq; in Christo facta traditur in tempore. De Divinitate autem dici non potest, quod quicquam in tempore acceperit, cum omnia ab æterno habuerit. De humana itaq; natura, omnia illa data in tempore, secundum Antiquitatis regulam, intelligenda sunt.

6. Vndè & Patres orthodoxi Exinanitionem & Exaltationem Christi, secundum ejus humanam naturam describunt, ut Augustinus (d): In qua forma crucifixus est, ipsi donatum est nomen, quod est super omne nomen. Homini ergò ista donavit, non Deo. Illud quod natum est ex semine David, ita homo natum est, ut esset & Dominus David. Quia igitur carnem accepit Christus, in carne mortuus est, resurrexit, ascendit, sedet ad dextram Dei, in eadem ipsa carne sic honorata, sic glorificata, sic in cœlestem habitum commutata. Secundũ hanc n: dispensationẽ transitus Christi, etiã illud ab Apostolo dicitur: Exaltavit illũ, & donavit illi nom n, quod est supra õne nomẽ, Christo secundũ humanitatẽ mortuo, Christo secundũ carnẽ resurgenti, ascendenti, donavit nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur. Idem: Caro de virgine creata, ac à morte in æternam vitam super cælos levata & exaltata, potentius fortasse opus est, quam mundus. Et Athanasius (e): Corpus est, cui dicit Dominus, sede à dextris meis. Item: Non altissimus, sed caro altissimi exaltata est. Sic Gregorius Nyssenus (f): Quis exaltatus est, humilisne an altissimus, quid autem humile, nisi humanum, & quid aliud, præter Divi-

d) Cont. Maximinũ. In Psalm. 109. Epist. 3.

e) apud Theodoretum Dial. 2. Lib. de suscepta huma:

f) Contra Eunomium

nitatem,

nitatem, altißimum? sed Deus exaltari non indiget, cum sit altißimus, humanitatem ergò exaltatam, Petrus intelligit (g). Cyrillus (h): Accepisse gloriam, Potestatem & regnum super omnia; referendum est ad conditiones humanitatis. Leo (i): Dicant adversarij veritatis, quando omnipotens pater, vel secundum quam naturam, filium suum super omnia evexerit; vel cui substantiæ omnia subjecerit. Deitati enim ut creatori, semper subjecta fuerunt. Huic si addita potestas, si exaltata sublimitas; minor erat provehente, nec habebat divitias eius naturæ, cuius indiguit largitate. Sed talia sentientem, in societatem suam Arius rapit.

g) Act. 2. 33.
h) lib. 2. ad Reginas.
i) Epist. 22.

7. Quare testimonio Patrum, ex hoc errore Arianismi convincuntur. Insuper etiam eum plura absurda comitantur. Divinam enim naturam mutationi obnoxiam facit. Eandem posse exinaniri & exaltari apertè, sed blasphemè & ἀθεολόγως, tradit: neq; fuisse passionis & mortis (quæ ἄκρως exinanitionis concernunt) expertem: imò & gloriâ suâ fuisse evacuatam, aliàs enim exaltari non potuisset. Quæ ἀθεόλογα καὶ ἄτοπα quidam ex iis prævidentes, nobiscum veritate convicti loquuntur; ut Oecolampadius: Cælis sublimior factus est, secundum humanam naturam: nam secundum Divinam naturam exaltari non potuit. Et Beza orthodoxè inquit: Dominum & Christum Deus ipsum fecit, secundum carnem, quatenus mortuus & sepultus resurrexit, & ad cælos ascendit. Et faciendi verbum, non ad ἕξιν, sed ad statum & dignitatem summam, in quam est Christus evectus, refertur.

Error Secundus.

Außführlicher Bericht Heidelberg. f. 133.

Quod Christus supernaturali modo natus, & per clausa matris viscera inviolata transierit, nusquam habetur in sacris literis.

REFUTATIO.

Quia Calviniani Christum, tanquam signum, cui semper contradicant, sibi propositum habent, utiq; & gnaviter in id incumbentes, nullam, ne minimam quidem de Christo partem, intactam relinquunt, sed e-

sed omnes, à primo momento conceptionis & nativitatis, usq; ad summum exaltationis gradum, examinare, & ad rationis captum reformare satagunt, ut in uno atq; altero, non enim omnes recitare nostri est propositii; errore videbimus. In hoc itaque, Christi nativitatem infestantes, eam præter rerum seriem factam esse, non credere possunt, quia in sacris literis ita descripta non sit, neq; ex ea probari possit.

1. *Sed nos contrarium, quod possit, & expressè in ea descripta sit, affirmamus. Sic enim Esaias* (a): *Ecce virgo concipiet & pariet filium. Quo dicto tàm partus, quàm ipsa conceptio virgini tribuitur illæsæ; quod certè fieri non posset, si ruptis & læsis virginalibus claustris, partus factus esse putetur. Quarè & quidam non inconcinnè Illud Ezechielis* (b); *Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israël ingressus est: ad Christi nativitatem accommodant.*

a) Esa. 7. Ier.

b) cap. 44. 2.

2. *Quam & ipse angelus Spiritui Sancto & adumbrationi virtutis altissimi ascribit, inquiens* (c): *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Et: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, filius Dei vocabitur, si itaq; conceptio, quia SS. ascribitur, præternaturalis dicitur; etiam eandem ob causam ipsa nativitas, non secundum, sed præter naturæ ordinem, facta creditur.*

c) Matth. 1. 20. 21. Luc. 1. 35.

3. *Sic quoq; partus præternaturalis, ex conceptione demonstratur. Qualis enim conceptio, talis quoq; necessum est, ut subsecutus sit partus: At conceptionem à Spiritu Sancto præter naturam factam, ipsi adversarij fateri coguntur: Ergò & nativitatem præter rerum seriem factam esse, ratione consequentiæ sequitur.*

4. *Id quod & ex lege primogenituræ & oblationis evinci potest. Illa enim obligabat omne masculinum adaperiens vulvã, ut vel Domino consecraretur, aut pecuniâ redimeretur, atq; sic legi subjectum esset. Si itaq; & eodem modo Christus natus esset; sequeretur ex vigore legis, eum quoq; legi subjectum, atq; propterea eius obedientiam non spon-*

spontaneam, sed debitam, atq; ad expianda peccata insufficientem fuisse; id quod de Christo affirmare ἀθεόλογον, & in eius perfectissimã obedientiam atq; λύτρον sufficientissimum, quo satisfecit patri suo cœlesti, omnibus modis blasphemum esset. Manet itaq;, Christum non eodem modo, quo reliqui homines, sed præternaturali, natum esse.

5. Vndè & in Symbolo nostro Apostolico confitemur, nos credere in Iesum Christum natum ex muliere. Hic si est articulus fidei, quem credere tenemur, utiq; vi ἀποδείξεως sequitur, illud ipsum, quod credimus, non naturali modo factum esse, alias enim id non crederemus, sed naturaliter factum intelligeremus. Non enim nativitas Christi solùm de tempore, secundum quod etiam naturalia facta esse credimus, sed multò magis de modo, in Symbolo Apostolico accipienda est.

6. Qui modus cum sit θαύμας⊙, quemadmodùm omnia in Christo sunt; undè & nomen illud ei tribuitur, quod puer ille natus vocetur Admirabilis (d). Et Paulus ὁμολογουμένως magnum nominat mysterium, quod Deus manifestatus sit in carne: fieri certè non potest, quin hæc nativitas quoq; pro mysterio sit acceptanda, & præternaturalis credenda.

d) Esa. 9, 6. 1. Tim. 3. 16

7. Quemadmodùm & testimoniis Patrum eam confirmare possemus, si hic ea cumulare animus esset. Vnicum saltem illudq; admodùm memorabile Augustini lubet recitare (e): Virtus Divina (inquit) per inviolatæ matris virginea viscera, membra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia, membra juvenis introduxit. Hic si ratio quæritur, non erit mirabile, si exemplum petitur, non erit singulare: demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur, investigare non posse. In talibus rebus, tota ratio facti, est potentia facientis. Cui subjungi possent Hymni veteres Latini, in nostram vernaculam translati.

e) Epist. 3.

Error Tertius.

Admonit. Neostad. cont. lib. Concord.

Christus crevit sapientiâ, defatigatus est, esurivit, mortuus est, &c. Ergò Majestatem non habuit.

REFUTATIO.

Ad infringendam & abnegandam Christi Majestatem, adversarij actioni-

actionibus Christi naturalibus, in statu Exinanitionis abutuntur, ut ita ex S. S. Scriptura, suorum somniorum fundamenta habere videantur.

1. Sed respondemus; quod illa dicta, quæ ab illis allegantur, de infirmitate, quam suscepit Christus; sapientiâ, quâ crevit: quod defatigatus, passus & mortuus est: loquantur: 1. De statu Exinanitionis. 2. Donis finitis. 3. Usurpatione & manifestatione Majestatis Christi. Non itaq; hoc volunt, quod adversarij inde concludunt, quasi Christus tum suam Majestatem verè non habuerit: sed quod tempore exinanitionis eam occultatam non plenè usurpaverit. a) Esa. 53. 4. Luc. 2. 40. 52. Ioh. 4. 6.

2. Idq; ratione suæ Personæ; ut se verum hominem esse, & nostram naturam verè assumpsisse, nobisq; per omnia, peccato excepto, similem declararet, emittens interdum suæ Majestatis radios (b), ut se eundem, qui ab æterno fuerit, mansisse demonstraret. b) Ioh. 1. 14.

3. Tum ratione quoq; officij, in statu Exinanitionis, se usu Majestatis, præcipuè in perficiendo opere redemptionis, abdicavit, ut pati & mori pro totius mundi peccatis posset. Si enim Christus suam Majestatem, ut potuisset, exerere voluisset, impossibile certè, illum vel pati vel mori potuisse, fuisset. Non itaq; quod in S. S. Scriptura de Christo, secundum suum officium dicitur, ἀπλῶς ad naturas, earumq; mutuam περιχώρησιν est accommodandum.

4. Quarè in allegatis & similibus dictis, accuratâ diligentiâ est distinguendum, inter 1. conditionem naturæ, donaq; finita & naturalia in Christo, & ipsam unionem Majestatisq; communionem. 2. Actum primum & secundum, seu δύναμιν καὶ ἐνέργειαν. 3. Habere & usurpare. 4. Potentiam & voluntatem. Hæc in Christo simul diverso respectu considerari posse, & propterea nullam aliam ἀντίφασιν hîc esse, nisi φαινομένην, probatione, cum per se hoc constet, non indiget.

Error Quartus.

Christi caro ad efficienda miracula, non plus contulit, quàm caro Apostolorum ad edita ab ipsis miracula, aut virga Mosis ad edenda miracula profuit. Neost. cont. lib. Concor. Dan. Ex2. cont. D. Chemnit. c. 4. f. 118.

REFUTATIO.

Sunt hi, aliis crassiores, qui quidem nobiscum loquuntur dicentes: λόγον *cum carne, & in carne edidisse miracula: verùm haud nobiscum sed cum illis crassis suis sectariis sentiunt, dum ita se explicant;* λόγον *unitum naturæ humanæ edidisse miracula, sine ulla cum ea suæ virtutis & ἐνεργείας operatricis reali communicatione, atq; ita nihil ultrà, carni cum hisce tribuunt, quam Apostolis, imò & virgæ Mosis. A quibus tamen dissentire videtur Calvinus (a), inter Prophetarum, Apostolorum & Christi miracula, discrimen admittens.*

a) Instit. lib. 1. c. 13. §. 13.

1. *Sed nos contrà docemus & credimus,* τὸν λόγον *quidem vim edendi prodigia* πρώτως, *principaliter & originaliter habere, naturæ v. assũptæ* δευτέρως & ἐπομένως, *ex unione hypostatica propter realem cõmunicationem, quoq; eandem competere. Et hanc nostram Orthodoxam sententiam contra Adversarios probamus testimoniis S. S. Scripturæ. Christus enim ipse in curatione Hæmorrhõusæ, dicit se sensisse in Sacrosancto suo corpore, virtutem ex se prodiisse (a). Quemadmodùm & Lucas inquit: quod virtus de Christo exiverit, & sanaverit omnes. Et Petrus inquit, Christum unctum Spiritu Sancto & virtute, pertransisse benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo. Quæ unctio non nisi de Humana Domini carne intelligi potest, ut sic virtute edendi prodigia ornata, miraculosè curare posset. Vnde tangendo, loquendo (b), sanasse dicitur, ut digito quasi Humana natura notetur.*

a) Mar. 5. 34. Luc. 8. 41. c. 6. 19. Act. 10. 38.

b) Matt. 8. 3. 13. c. 9. 6 21. 25. 28. Mar. 1. 31. 41. c. 2. 11. c. 3. 5. c. 6. 56. c. 7. 33. c. 8. 23. Luc. 4. 35. 39 c. 7. 13. Ioh. 5. 8. c. 9. 6. c. 11. 43.

2. *Deindè & ex aliis S. S. Script. dictis per bonam consequentiam evinci potest, Christo secundum suam carnem, Divinam virtutem patrandi actiones miraculosas, negari non posse. Quorsum enim illi aliàs (secundum humanam naturam, ut super. disput. demonstratum) omnis potestas data, omnia sub pedibus subjecta essent, (c) & Dominus super omnia constitutus diceretur, si nihil ad miracula producenda, nisi naturales suas adferret actiones. Quare vi* ἀποδείξεως *sequitur, humanam naturam, præter illas suas proprietates, ex donata etiam & communicata sibi per unionem hypostaticam potestate, in miraculis efficacem fuisse.*

c) Matt. 28. 18. Psf. 8. 10. Ephes. 1. 22. Act. 2. 36.

3. *Tùm*

3. Tùm si Christo homini id quòd majus est tribuitur, nimirùm (d) remittere peccata, emundare ab omni peccato, liberare à maledictione legis, ab æterna morte, redimere Ecclesiam suam, conterere caput serpentis, aliaq; his similia bona & beneficia spiritualia, quemadmodùm ex Sacro Codice abundè satis probari potest, ut super. disput. demonstratum: Certè etiam illud quod minus est & facilius; ut miracula edere, quibus corporalia tantum hominibus bona fuere collata; eidem negari nec potest nec debet. Quemadmodùm Christus ipse hac formâ argumentandi, contra blasphemias Pharisæorum & Scribarum utitur, inquiens (e): Quid est facilius dicere; dimittuntur tibi peccata tua: an dicere, surge & ambula?

4. Quod verò Christum cum Apostolis, imò & virgâ Aaronis comparant, ingenti absurditate & summâ non caret blasphemiâ. Et ne dicamus de virgâ Aaronis, qua comparatione nõ tantùm Turcis peiores evadunt, sed in vivos quoq; degenerant Lucianos: certè Apostolos cum Christo comparari minimè posse, probamus hisce rationibus. (f). 1. Christus dicit se habere potestatem, ut remittendi peccata, sic & miraculosè sanandi, ita ut virtus aliqua è corpore suo exiverit: Sed Apostoli in nomine Iesu (g), miracula ediderunt. 2. Christus sanavit oppressos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo (h), Personaliter nimirùm unitus, & corporaliter in natura humana habitans: Apostolis verò cooperatus est Dominus, sermonem confirmans sequentibus signis. 3. Per miracula Christus manifestauit gloriam suam (i): At Apostoli non ad suã propriam declarandã, sed Christi gloriã, sermonemq; de crucifixo Christo confirmandum, prodigia fecisse memorantur (k).

5. His addimus testimonia Patrum. Athanasius (l): Deus λόγος unitus homini edit miracula, & operatur non seorsim aut separatim à natura humana assumpta, sed pro sua bonitate placuit ipsi, per assumptam humanitatem, in ea & cum ea, propriam suam Divinam potentiam, θείαν δύναμιν ἐνεργεῖν. Cyrillus: sicut ignis appositus vasi æneo, imprimit ei propriæ caliditatis effectum, sic omnipotens Dei verbum, cum univit sibi veraciter assumptum templum ex virgine, animatum

d) Matt. 9. 6. 1. Ioh. 1. 7. Gal. 4. 4. Act. 20. 28. Gen. 3. 15.

e) Matt. 9. 5.

f) Matt. 9. 6. Mar. 5. 30.

g) Act. 3. 6. c. 9. 34.

h) Act. 10. 38 Coloss. 2. 9. Mar. 16. 20. Act. 3. 12.

i) Ioh. 2. 11.

k) Act. 4. 21. 22. c. 14. 10. 15.

l) Dialogo 5. cont. Apollinaristas.

matum & intellectu præditum, particeps suæ potestatis, eius effectum inseruit. Item (m): *Communes facit, tanquam cum sua carne Divina, suæ Majestatis operationes, ut possit etiam vivificare mortuos, sanare infirmos. Sic: Christus in carne sua, planè Divinissimam operandi virtutem habere, cernitur. Tacto siquidem loculo mortuorum, viduæ filium suscitavit, & cum inspuisset, luto inunctis cæcis visum restituit. Theophylactus* (n): *Sancta eius caro divinam habet virtutem, ut purificet & vivificet, utpotè quæ sit caro Dei.*

m) De Incarnatione unigeniti. In Cap. 6. Esaiæ.

n) In Cap. 5. Lucæ.

Caput Secundum.

De statu Exaltationis.

Error Primus.

(*a*) Quid significat descensus Christi ad inferos? 1. Summos cruciatus, quos Christus perpessus est in anima sua, quales damnati experiuntur, partim in hac, partim in altera vita. 2. Ignominiam maximam & extremam, quà est affectus Christus in toto âctu passionis. 3. Vim & virtutem mortis Christi, quâ profuit etiam inferis, id est, mortuis in fide (*b*) 4. Sepulturam Christi (*c*).

a) Vrsini Catech. par. 2. quæst. 44.
b) Cingl. lib. Epist. Epist. 3. f. 1226. Bul. in Cap. 2 Act.
c) Beza in Cap. 2. Act. Bucerus in 27. c. Matt.

RFFUTATIO.

Diffiteri haud possumus semper in Ecclesia de hoc articulo varias, easq́ discrepantes extitisse opiniones, neq́ orthodoxorum etiam unam atq́ eandem fuisse sententiam, quibusdam eum planè silentio involventibus. Qua diversitate recensenda, cum in alijs methodicis libellis ea pertractetur, hic supersedentes, ad Errorem hunc breviter respondemus; descensum Christi ad inferos, ut in Symbolo Apostolorum ponitur, non de cruciatibus & ignominia Christi summa & extrema, neq́ de virtute tantum mortis Christi, multò minus de sepultura: sed simpliciter κατὰ τὸ ῥητὸν *esse intelligendum.*

1. *Quia ita nobis in S. S. Scriptura describitur, ab Apostolo Paulo his verbis:* (d) *Quod ascendit, quid est, nisi quia & descendit in inferiores partes terræ? Quem locum etsi quidam de incarnatione Christi, alij de eiusdem sepultura interpretentur, de descensu tamen Christi ad inferos intelligi præcipuè debere, ex textu probatur. Præterquam*

d) Eph. 4. 9. Oseæ. 13. 14. 1. Cor. 15. 55. Ion. 2. 1. Matt. 16. 4. Iudic. 16. 3. 2. Sam. 23. 20.

terquam enim quod Apostolus hic, non de Christo incarnando, sed jam incarnato loquatur, insuper ipsa ἀντίθεσις locorum ἄνω καὶ κάτω, qui diametraliter sibi opponi debent, demonstrat ex natura contrariorum, maximè de descensu Christi ad inferos, quia hic locus, & non uterus virginis aut sepultura, dextræ Dei remotione summa subjicitur, hæc verba accipienda esse. Sic & clarissimum testimonium de Christi descensu extat apud Prophetam Oseam: De manu mortis liberabo eos, ero mors tua, ô mors: ero lues tua, ô inferne. Id quod & Paulus de triumpho & victoria, quam Christus ab inferno reportavit, interpretatur. Sic & typum Jonæ quidam ex Patribus ad descensum Christi accommodant, quemadmodum & Samsonis, portas urbis Gazæ confringentis. Quibus ex S. Codice plura addi possunt. (e)

e) Ebr. 2. 14. Psal. 16. 10. Act. 2. 27.

2. Deinde & Symbola; Apostolicum & Athanasianum, descensum Christi expressè habent, in quibus τὸ ἐκτὸν, absq; tropologica, metaphorica aut exegetica expositione, à verbis Symbolorum maximè aliena, retinendum, sine ulla ulteriori, de πῶς ἀπιστίας ἐλέγχῳ, indagatione; id quod & ἀναλογία reliquorum articulorum requirit.

3. Tum etiam tripartitum regnum, super cælestes, terrestres & inferos, Christo delatum (f), postulabat, ut non tantùm Christus in cælo omnipræsenti à dextris Dei gubernatione; neq; tantum in terra, prædicatione & miraculis; verùm etiam descendens in infernum, furijs infernalibus suam ostentaret omnipotentiam, atq; sic universas ac singulas regni sui regiones ac partes obiret ac frequentaret. (e)

f) Phil. 2. 9.

e) Vrsini Catech. part. 2. quæst. 44.

4. Quem literalem & simplicem de descensu Christi sensum Orthodoxi patres retinuerunt. Vt Ignatius (g) Χριστὸς ὁ κύριος κατῆλθεν εἰς ᾅδου μόνος, ἀνῆλθε δὲ μετὰ πολλῶν. Eusebius: Christus portas tenebrarum infernales à seculo clausas perrupit. Theophylactus: Quo Christus descendit? ad inferos. Ambrosius: Hic ergò, descendens è cælis in terram, homo factus est, post mortuus, descendit ad inferos. Sic & Lutherus: (h) Antequam Christus resurrexit, & in cælum ascendit, & cum adhuc in sepulchro jaceret, etiam ad inferos descendit, ut & nos, qui debebamus in inferno captivi jacere, inde liberaret.

g) In Epist. ad Trallianos. lib. 4. Demonstrat. Euangel.

h) in concione in arce Torgensi habita Anno 34.

Ego hunc articulum nolo argutè & scrupulosè disputare, quomodo id factum sit, & quid significet descendere ad inferos: sed retinebo simplicissimam sententiam, sicut τὸ ἐντὸν verborum sonat.

Martyr. L. C. class. 1. loc. 12. §. 14. Gualt. postill. hom. de Incarnatione. f. 31. In festo Pasch. f. 11. Vrsinus in compend. doct Christ. f. 605.

Error Secundus.

Christi corpus è sepulchro clauso egressum, non est necessarium creditu, sed licet existimare lapidem fuisse revolutum, (alii addunt ab angelo) antequam egrederetur. Falsum est, quod transierit per januas clausas, cum ei cedere potuerint: Item, quod transierit per ostium sepulchri, cum id dicatur ab angelo apertum.

REFUTATIO.

Nimis hoc crassum est, non tàm ex insciti â, sed Christo eiusq; honori detrahendi malitiosa libidine profectum, quare refutatione, cùm suapte crassitie sit abominabile, vix indiget. Præsertim cùm & ipse Calvinus (a) *ita loqui non ausus sit, inquiens: Sicut aqua, non secus ac solidum pavimentum Christo iter præbuit super lacum ambulanti; ita nihil mirum; si ad ejus occursum se flexit lapidis durities: Etsi probabilius sit, ejus imperio amotum esse lapidem; & mox transitu dato, in suum locum redijsse. Nec januis clausis intrare, tantundem valet, ac penetrare per solidam materiam: sed sibi aditum patefacere divina virtute; ut repentè steterit inter suos discipulos, planè admirabili modo, cum obseratæ essent fores.*

a) Instit. lib. 4. Cap. 17. §. 29.

1. *Respondemus itaq; ad errorem, magnam esse licentiam vel potius malitiam, velle affirmare, angelum propterea de cælo descendisse, ut Christo ad resurrectionem sepulchrum aperiret: cum propterea hoc factum S. S. scriptura affirmet,* (a) *ut revoluto lapide, Christi resurrectionem antea factam patefaceret, de ea prædicaret, & vacuum sepulchrum mulieribus monstraret. Sic & Euangelistæ non dicunt, Christum per januas apertas ingressum esse ad Apostolos, sed τ θυρῶν κεκλεισμένων venisse, & stetisse in medio illorum. Vbi omnes circumstantiæ innuunt Christo januã clausam per viã fuisse, propterea discipulos, inquit Johannes, perterritos fuisse, & existimasse se spiritum vi-*

a) Mat. 28. 5. Luc. 14 26. Ioh. 20. 19.

tum videre, quod non feciſſet, ſi Chriſtus conſueto more, apertis januis ad eos introïſſet.

2. Rationes deindè has συλλήβδην ſubiungimus. 1. Quia virtute Dei ſurrexit: (b) Ergo angeli ope non indiguit. 2. Inferni clauſtra penetrans, exſpoliavit principatus & poteſtates, fortem armatum debellavit, mortis ſtimulum confregit ille, & à lapide obſignato detineretur, & clauſis foribus ab ingreſſu impediretur? 3. Sic certè non omnis illi poteſtas data, nec omnia ſub pedibus eius ſubjecta dici poſſent, (d) ſed potius ille lapidi & januæ ſubjectus fuiſſet. 4. Atq; ſic non habuiſſet ſepulchrum glorioſum: ſed vilius illorum, quorum monumenta in morte Chriſti, ipſa ſe aperuiſſe S. S. Scriptura affirmat. (e) Neq; clarificato corpore, quia fores clauſæ non potuerunt ei eſſe pervia, reſurrexiſſet, 5. Potuit ergò ille, qui antea ſe occultavit, tranſiens per medium illorum; (f) & poſt reſurrectionem ἀφαντος factus eſt: etiam permeare lapidem obſignatum, & januam occluſam.

3. Et notatu digna eſt illa à quibusdam Patribus annotata ratio, à Chriſti nativitate petita. Vt cum Juſtinus inquit: Angelus revolvit lapidem, non ut egreſſuro Domino viam pandat, ſed ut egreſſus ejus jam facti, hominibus præſtet indicium. Qui enim mortalis clauſo virginis utero potuit naſcendo ingredi mundum, ipſe factus immortalis clauſo ſepulchro potuit reſurgendo exire de mundo? Auguſtinus: (g) Quid mirum, ſi Dominus ad diſcipulos glorificatum corpus clauſtris ſtupentibus intromiſit, qui illæſo materni pudoris ſignaculo januam mundi huius intravit? Cuius ortum naturæ neſciunt, non dubites, ſi potentiam exercere videas triumphantem, quem tam ſtupenda perſpicis egiſſe naſcentem.

4. Quibus Orthodoxi reliqui conſentiũt Patres. Sic enim Gregorius Nyſſenus inquit (h): Miſſus eſt angelus, qui cum lapidem revolviſſet, reperit reſurrexiſſe Dominum è ſepulchro, quod ſigillis munitũ fuerat, & præſidio militũ cuſtodiebatur, ſicut Deũ decebat, clauſo relicto; ſicut clauſis quoq; januis penetrans in domicilium ad diſcipulos acceſſit. Et Cyrillus (i): clauſis foribus repente Dominus, omnipotentiâ ſuâ, naturâ

b) Act. 2. 24. 32. c. 3. 15. c. 10. 40. c. 13. 30.
c) Col. 2. 15. Luc. 11. 22. 1. Cor. 15. 54.
d) Mat. 28. 18. Pſalm. 8. 7.
e) Matt. 27. 52.
f) Ioh. 8. 59. Luc. 24. 31.
g) Serm. 156.
h) oratione 2. de reſurrect. Chriſti.
i) lib. 22. in Ioh. Cap 53

naturâ rerum superatâ, ingressus ad discipulos est. Hilarius (k): Noli negare, quod clausa domo in medio discipulorum steterit, eò quod per intelligentiæ infirmitatem, consistentis non consequaris introitum. Ipsi omnia sunt pervia. Augustinus (l): Non moveat nos, quod clausis ostiis, subitò Dominũ apparuisse discipulis, scriptũ est, ut propterea negemus, illud fuisse corpus humanum, quia contra naturam hujus corporis, videmus illud per clausa ostia intrare. Omnia enim possibilia sunt Deo. Nam & ambulare super aquas, contra naturam hujus corporis esse manifestum est: & tamen non solum ipse Dominus ante passionem ambulavit, sed etiam Petrum ambulare fecit. Hieronymus (m); Quomodo clausis ingressus est januis, contra naturam solidorum corporum? etiam ante resurrectionem contra naturam graviorum corporum super mare ambulavit.

k) De Trinit. lib. 3.

l) De Christiano Cap. 24.

m) ad Pamachium.

Error Tertius.

Ex ascensionis mysterio, Christi humanam naturam, non nisi uno in loco simul esse cognoscite. Si cælos ascendit, in terris corporaliter esse non potest: cælo enim continetur, quo semel receptus est, donec ad judicium redeat.

Cinglius cõtra Struf. Calvin. Inst. lib. 4. c. 17. §. 12. 29. Beza in cap 3. Act. Aret. Probl. part. 1. loc. 21.

REFUTATIO.

Non tantùm Adversarios, Christi corpus per resurrectionem gloriosum redditum, sed etiam per ascensionem supra cælos omnes collocatum, communis naturæ legibus subjicere, ex hoc & sequenti errore patet. Non verò copiosè de Christi omnipræsentia hîc disseremus, satis enim de ea in superiori disputatione: sed illud erroris membrum, quod caput rei attingit, paucis videbimus: An Christus per ascensionem in cælum, ita in eo contineatur, ut nobis suo corpore ante extremum judicium adesse non possit? Calviniani affirmativam ex depravatione dicti Act. 3. 21. ὃν δεῖ δέχεσθαι, defendere & obtinere conantur. Nos verò negativam ex illo, & aliis dictis demonstrabimus.

1. Quod itaq; ad dictum Actorum attinet; respondemus. 1. illud verbum δέχεσθαι esse mediæ vocis, & nunc Activè nunc Passivè accipi, quarè

quarè eius redditio & explicatio debet esse analoga fidei & reliquis dictis, quæ, ut mox videbimus, passivam significationem minimè admittunt. 2. Quemadmodùm & aliis in locis non Passivè, sed Activè accipitur, ut 2. Cor. 6. 1. Συνεργοῦντες δὲ καὶ παρακαλοῦμεν μὴ εἰς κενὸν τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ δέξασθαι ὑμᾶς. Et cap. 8. 4. μετὰ πολλῆς παρακλήσεως δεόμενοι ἡμῶν, τὴν χάριν καὶ τὴν κοινωνίαν τῆς διακονίας τῆς εἰς τοὺς ἁγίους δέξασθαι ἡμᾶς. 3. Deniq; præter Bezam nemo, ut D. Chemnitius annotat(a), ex Sacramentariis, hunc locum Petri ita contorquere & invertere ausus fuit; etiam ipso Calvino eum in suspenso relinquente, & illis etiam, qui aliàs Bezæ sententiam in omnibus amplectuntur, huius depravationis patrocinium suscipere non audentibus.

a) In Epist. sua de cæna ad D. Kirchnerum scripta. Cap. 3.

2. Tùm & analogia reliquorum dictorum scripturæ, hujusmodi ascensionem, quâ Christus à cælo capiatur eiq; includatur, non admittit: sed potius Christum cælos penetrasse (b): excelsiorem cælis factum: & super omnes cælos ascendisse affirmat, ut omnia impleret, dona sua distribueret, imò in medio nostrûm esset, & nobiscum maneret omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi.

b) Ebr. 4. 14. c. 7. 26. Eph. 4. 10. Psalm. 68. 19. 34. Matt. 18. 20. c. 28. 20.

3. Quin & jam ascensurus in cælum, verè sibi omnem potestatem in cælo & in terra datam esse affirmat (c): quæ verò illa esset potestas, si à cælo contineatur, tantumq; occupet in eo spacium, quanta est moles corporis? Certè nulla prorsus, nedum omnis illa, cum multum adhuc superesset, quod non fuisset datum. Sed nihil excipit Christus, quemadmodùm & alibi inquit, omnia mihi tradita sunt à patre meo. Vndè & Iohannes inquit: sciens Christus, quia omnia dedit ei pater in manus, surgit de cœna. Si itaq; Christus ante ascensionem, imò in ipso passionis primordio, omnia habuit in manibus, non certè ita post ascensionem, ut Calviniani volunt, cælo includi & contineri potest.

c) Matth. 28 18. c. 11. 27. Ioh. 13. 3.

4. Præterea si Christus ex opinione Adversariorum, ita per ascensionem in cælum receptus sit, ut eo contineatur, usq; ad reditum ad judicium, quomodo Stephanus ipsum in terris lapidibus obruendus vidit (d), & Paulus quoq; ipsum in itinere Damasceno vidit & audivit. Imò & idem Christus quomodo Paulo in castris assistere potuit, his

d) Act. 7. 56. c. 9. 5. 1. Cor. 15 8 Act. 23. 11.

verbis eum alloquens: Bono animo esto Paule: sicut enim de me testificatus es in Hierusalem, ita etiam oportet te Romæ testificari.

5. Tum etiam Moses & Elias, qui in cælum saltem ascenderunt, & propterea verè à cælo recepti sunt, ut in eo habitent, nihilominus tamen Christo in monte Thabor adfuerunt (e), loquentes cum eo, de egressu eius, quem completurus erat in Hierusalem: Et Christus, qui supra omnes cælos ascendit, & ad dextram virtutis Dei elevatus est (f), quod neq; de Mose, neq; de Elia, aut ullo alio sancto, vel angelo etiam affirmari potest; ita cælo inclusus esset, ut ante extremum diem nobis adesse non posset? Ea certè non esset exaltatio, sed incarceratio, quâ Christi conditio & status supercælestis, deterior & vilior quam Mosis & Eliæ, redderetur.

e) Matt. 17. 3. Luc. 9. 30.

f) Eph. 4. 10. Matth. 26. 23. Luc. 23. 69. Ebr. 8. 13.

6. Distinguendum itaq; est, inter Christi ascensionis modum visibilem & localem, & inter terminum eiusdem invisibilem & illocalem, qui est dextra Majestatis & virtutis Dei. Illum cum reliquis sanctis habet communem; at posteriorem modum, nulli unquam angelorum concessit Deus. Quarè cum Christus visibiliter & localiter ascendens, non in visibile Physicum aut empyreum aliquod cælum, ut somniant Calviniani, receptus, sed supra omnes cælos ad dextram Dei sit exaltatus, impossibile quoq; est, imò & blasphemum, eum cælo, usq; ad extremum judicium, contineri inclusum.

7. Quia verò propterea Adversarij Christum cælo includunt, ut ejus omnipræsentiam, quam aliàs odiosè & virulenter exagitant, infringant, placet hic testimonia Patrum, omissa in superiori disput. quibus omnipræsentia Christi stabilitur, apponere. Athanasius enim & Cyrillus (g) cum reliquis asseverant: λόγον totum esse incarnatum, ita ut extra carnem non sit. Et Ambrosius (h): Num quia multis in locis offertur hoc sacrificium (corpus sc. Christi) multi Christi sunt? nequaquam; sed unus ubiq; est Christus, & hîc plenus, & illîc plenus. Item: Licet ubiq; sis, & stans in medio nostrum non cernaris à nobis, erit tamen tempus, quando universa caro te aspiciet revertentem. Cyrillus (i): In singulis partibiliter transiens unigenitus, & ani-

g) oratione 2. & 4. cōt. Arianos. Lib. poster. ad Reginas.

h) in c. 10. ad Ebr.

i) lib. 12. in Ioh. Cap. 32.

mam

nam & corpus eorum per carnem suam sanctificans, impartibiliter atq; integrè in omnibus est, cum unus ubiq; sit, nullo modo divisus. Theophylactus (k): Integer in omnibus est, existens ubiq;. Hugo Cardinalis (l): Corpus Christi hanc habet dignitatem ex natura unionis cum Divinitate, ut simul sit in multis locis. Bernhardus (m): Vnde hoc nobis pÿissime Domine, ut nos vermiculi reptantes super faciem terræ, nos, inquam, qui pulvis & cinis sumus, te præsentem habere mereamur præ manibus, præ oculis, qui totus & integer sedes ad dextram Patris, qui etiam unius horæ momento, ab Ortu Solis usq; ad occasum, ab Aquilone usq; ad Austrum præsto es omnibus, unus in multis, idem in diversis locis.

k) in Cap. 19. Iohan.
l) De S. victore.
m) In Sermone quodam de cæna Domini.

Error Quartus.

Christus est homo, & ipsius corpus in cælo est, ut rex in augustissima regni sui arce, amplissimo dominio, palatio & aula, ex Dei verbo docemus, in quo liberè, si velit, cum electorum angelorum, beatorumq; Spirituũ, in idem cælum receptorum, millibus spatietur.

In operibus Danæi f. 1523.

REFUTATIO.

Vicinus hic Error priori, nimis pueriliter ludens, tantum libertatis Christo in cælum recepto inq; eo contento, concedit, ut liberè spatietur cum Electis quò velit, idq; tripliciter videtur probare, ex propri etate corporis, situ loci, & verbo Dei.

1. Sed nos per ὕστερον πρότερον respondemus, non illud, sed longè sublimius quid ex verbo Dei probari; Christum nimirùm non ideò ascendisse ad cælos, ut in iis, ceu rex in palatio spacietur, sed ut õnia impleat sua præsentia (a), & sedeat à dextris Dei; quæ dextra Dei, ut quidam ex Calvinianis sõniant, non est locus physicus, sed Majestatis & virtutis Dei (b), ut superiùs id probavimus (c): Et illud sedere, non est situs, sed imperÿ & dominationis, ut ex aliis scripturæ dictis (d), & communi loquendi formula constat. Vndè & Paulus inquit (e): In illa exaltatione Christum, non ad physicum aliquem locum, instar palatÿ ad spatiandum apti, perveniisse, sed ei nomen donatum esse, quod sit su-

a) Eph. 4. 10. Psl. 110. 1. Act. 2. 33.
b) Ebr. 1. 3. c. 8. 1. Matth. 26. 64.
c) Disp. 2. Cap. 1. Er. 3.
d) Matt. 19. 28. c. 20. 21. Apoc. 3. 21.
e) Phil. 2. 9. Ebr. 1. 4. 13. c. 2. 5. 8.

per omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & inferorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris. Et Epistola ad Ebræos, tantò meliorem Christum angelis effectum dicit, quantò excellentius præ illis nomen hæreditaverit: addens; cui angelorum dixit aliquandò, sede à dextris meis. Non angelis subjecit Deus orbem terræ, sed sub pedibus Christi omnia subjecta sunt. Ex hisce & similibus S. S. Scripturæ locis, satis superq; patet, Christi in supracælestibus statum præ angelis, nedum præ aliis electis, esse multò præstantissimum & excelsissimum.

2. *Quod v. ad situm loci attinet; respondemus, Christum non solum in cælo esse, sed per ascensionem, longè excelsiorem cælis factum, & per collocationem ad dextram, omni locali situ esse exemptum. Quamvis libenter interim fateamur, Christum etiam à dextris Dei confidentem, in aliquo πoδ cælesti versari, propter proprietatem carnis συστατικὴν. Quia verò jam penitus omni accidentali conditione forinsecus ambientis loci est exemptus, & excelsior cælis factus, utiq; & duplici quasi jure; in Persona τοῦ λόγου à momento conceptionis subsistens, & nunc à dextris Dei confidens: non tantum eum in cælis esse, sed illocali quoq; præsentia, nobis in terris, secundum suam promissionem adesse statuimus.*

3. *Quam illocalem præsentiam, proprietas corporis essentialis impedire non potest: hæc enim, ut superiùs monuimus (f), est essentiæ, ad οὐσίαν spectans; illa verò est subsistentiæ ἐν τῷ λόγῳ, & ad τὸ εἶναι referendum; quod subsistere, donorum Divinorum augmento, vel potius plenaria possessione & usurpatione, per collocationem ad dextram Dei, dotatum & locupletatum est.*

f) Disp. 4. cap. 2.

4. *His addi possunt testimonia Patrum. Cyrilli: Ascendit cum carne in gloriam Deitatis, & Dominus omnium esse creditur, etiam cum carne. Leonis: In ascensione, naturæ nostræ humilitas in Christo, super omnem cæli militiam, super omnes ordines Angelorum, & ultra omnium potestatum altitudinem, ad Dei patris est profecta con-*

sessum,

sessum. Augustini: Ascendit ad cœlos, id est, conditionem naturæ nostræ, quam ex homine matre natus assumpsit, super cælos in dextra Dei Patris collocavit. Chrysostomi: Dominus hominem, naturam tuam, collocavit in regium thronum, super omnes principatus, potestates & virtutes, & omne nomen quod nominatur. Quid tanto honori æquale fit; nisi natura nostra in Christo? nostram enim naturam evexit supra Cherubin, & omnẽ potentiam angelorum. Idem: Sedet ad dẽxtrã Majestatis in excelsis, non loco includens Deum, sed ostendens Apostolus, hominem Christum omnibus altiorem & eminentiorem. Damasceni: A dẽxtris Dei Patris sedere dicimus Christum corporaliter. Verùm non localem dextram Patris dicimus. Quomodò enim, qui incircumscriptus est, localem dextram habeat? Dextram igitur Patris intelligimus gloriam & honorificentiam Deitatis, in qua Dei filius ante secula existens, ut Deus, & Patri coëssentialis, in novissimis temporibus incarnatus est, & corporaliter sedet, conglorificata carne ejus.

Error Quintus.

Christum sedentem à dextris, nostrum conservum Calviniani statuunt.

Neostad. cont. lib. Concord. Communis opinio.

REFUTATIO.

Quò magis Christus exaltatus, eò minus illi Adversarij tribuunt, sed ore blasphemo & Turcico. Etsi enim verùm sit, Christum formâ servi acceptâ seipsum exinaniviisse, & habitu inventum esse hominem (a), imò despectum & novissimum virorum factum esse: tamen non hanc servilem conditionem, in statu Exaltationis retinuisse, verbo Dei edocemur.

a) Phil. 2. 8. Esa. 53. 3.

1. Deus n. exaltavit eũ & dedit illi nomen, quod est super õne nomẽ, ut in nomine Iesu flectatur omne genu cœlestiũ, terrestriũ & inferorũ: & õnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris (b). Certissimè ergò sciat omnis domus Israel, quia & Dominum eum & Christum fecit Deus hunc Jesum: & constituit eum heredem universorum, eumq; ad dextram Majestatis & virtutis eius in excelsis

b) Phil. 2. 9. Act. 2. 36. Ebr. 1. 3. Mat. 26. 64. Ps. 110. 1. Luc. 1. 33.

celsis collocavit: ut regnet super domum Iacob in æternum, & regni ejus non sit finis. Hisce plura alia ex Sacro Codice addi possunt (c), cum quibus nomen Servi aut Conservi stare haud posse, qui non videt, nihil videt.

c) Ps. 2. 5. Ebr. 1. 13. cap. 2. 5. 8. Matt. 28. 18. Phil. 2. 10. Eph. 1. 22. Cap. 4. 10.

2. Tùm quanta esset illa impietas & ingratitudo, audire à Christo, quod nos suos fideles, jam non dicat servos, sed amicos suos (d): & nos vicissim non aliud dicere, quàm Christus est Servus & Conservus noster? Imò Christus dedit potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen ejus; & Spiritus quoq; Sanctus perhibet testimonium Spiritui nostro, nos esse filios Dei: Si itaq; nos sumus filij, etiam in hac vita, quomodo ille in summa gloria Patris à dextris ejus sedens, potest dici Conservus noster? Et Quomodo ille, si Conservus noster tantùm sit, nobis potestatem, fieri filios Dei, largiri potest? Quomodo non spiritum servitutis, sed adoptionis filiorum nobis communicare? Ex his certè dictis vi ἀποδείξεως sequitur: Cum ille nos suos amicos & filios Dei vocet, imò potestate suâ tales efficiat, atq; spiritum adoptionis filiorum Dei nobis communicet; esse nobis multò præstantiorem, utpotè per quem tales efficimur.

d) Ioh. 15. 14. 15. c. 1. 12. Rom. 8. 15.

3. Sed neq; nobis tantùm, qui sumus filij Dei adoptivi, hæredes ejus, & cohæredes Christi, multò præstantior est, sed ipsis angelis tantò melior effectus, quantò excellentius præ illis nomen hæreditavit (e), collocatus à dextris Dei, omnibus rebus sub pedibus ejus subjectis. Si itaq; multo præstat angelis, certè nobiscum, in gloria majestate & virtute Dei à dextris ejus sedens, quoad illam servilem conditionem, comparari amplius non potest.

e) Ebr. 1. 4. Cap. 2. 8.

4. Etsi enim Christi humana natura in se & per se κατ' ἐσίαν, nobis per omnia similis, possit dici serva, tamen ὑποστατικῶς in Persona τ λογε, respectu unionis Personalis considerata, non Serva aut Conserva, sine summa blasphemia & impietate nominari potest, propter summam & arctissimam naturæ humanæ cum Persona τ λόγε, ejusq; naturæ & Divinorum idiomatum περιχώρησιν.

5. Vndè & Christus in statu adhuc exinanitionis, & servilis suæ conditionis

ditionis existens, se Dominum, Præceptorem ac Regem (g) nominavit: ab Apostolo Thoma, Dominus ac Deus vocatus; à populo pro magno Propheta habitus; imò & à Pharisæis amicis & inimicis, pro Rabbi & Doctore à Deo misso, est agnitus. Quî itaq; fiat, quod Calviniani Christum jam factum & constitutum Dominum super omnia, in excelsis, conservum appellitent, nulla alia ratio dari potest, nisi quod illi peiores Pharisæis, Christum nostrum usq; ad dextram Dei persequi constituerint.

g) Joh. 13. 13. c. 20. 28.

6. Sed væ illis; non enim deprecatorem & intercessorem apud Patrem, non Sacerdotem & Regem à dextris Dei, quem invocent habebunt: Blasphema enim hæc esset oratio, si ita compellent Christum: Iesu Christe, qui es, etiam jam sedens à dextris Patris, meus conservus, te invocare non audeo, quia conservus es. Nam conservi adorandi non sunt, sicut Angelus adorari non vult, quia est conservus (h). Atq; sic Christum honore & cultu adorationis privant, & ipsi spe exauditionis excidunt. Propter cultum itaq; adorationis, qui Christo etiam secundum humanam naturam, ut sequenti Disput. videbimus, competit, conservus noster dici non potest nec debet.

h) Apoc. 19. 10. c. 22. 9.

7. Id quod & deniq; consensu orthodoxæ antiquitatis probamus. Sic enim Basilius (i): Dominum & Christum fecit hunc Jesum, quem crucifixistis. Non de ipsa essentia & λόγῳ loquitur, sed demonstrativa voce humanitatem designat, atq; ipsi principatum ac dominium commissum dicit. Et Cyrillus: Quandò ut homo, Princeps noster constitutus, omnis carnis potestatem se accepisse dicit, non turbabitur, qui dispensationem incarnationis tenaci memoria tenet. Idem: Hominem assumpsit, non ut liberam Deitatis naturam, in formam servi submergeret, sed ut servitutem nostrã in dominandi honorem attolleret, & dedecus nostrũ ad suã nobilitatẽ traduceret. Damascenus: Qui Christum dicunt servum, dirimunt unum Christum in duo. Proclus Episc. Constant. Christum ex Iudæis secundum carnem, qui est Deus benedictus in secula, suppliciter adoremus tanquam omnipotentem, nec ut Conservum calumniis appetamus.

i) Cont. Eunom. lib. 1. Lib. 11. Cap. 15. In Ioh. Lib. 9. Thesauri, cap. 3. Lib. 3. Cap. 21.

Ad ornatißimum Dn. JOACHIMVM PRÆTORIVM Reſpondentem.

LIbat apis veluti ſuaveis florentis Hymetti,
In ſaltu volitans ingenioſa dapes:
Sic IOCHIME virum excutiens monumenta piorum,
Aurea tu ſemper dicta ſubindè notas,
Exerces, HINCKELMANNO quoq; præſide, vires
Ingenii, Ille aperit dexteritate ſtrophas:
Præſidio ergò ducis docti modo dulce ſubito
Bellum, hujus Pallas pectore Diva ſedet;
Vera probat, rationis acumine falſa refutat:
Ictu non cædis, Marte nec, arte at agit.
Aſt quibus auxiliis? nervos Dialectica præſtat,
Quos memorare ſatis Calliopeia nequit.
Tu ne cede animis, tu ſpicula pelle, repelle
Tela horum, in te qui ſpicula multa vibrant;
Macte! dabunt calathis jam jam tibi munera plenis
Clio, Calliope, Suada Themisq; ſimul:
Perge modo ſtadium ſtudiorum currere cæptum,
Conatu forti ſperne laboris onus.
Hinc nomen vivet Tenedos dum durat & Ida,
Aeternum ſtabit ſic ſine morte decus.
Flammivomis pullis quoq; te (mihi crede) ſerenum
Evehet hinc auras gloria in æthereas.

HENRICVS Bleeke
Hamburgius Saxo.

DE CALVINISMO

DISPUTATIO ELENCTICA
SEXTA

Complectens Matæologiæ Calviniana
examen, in loco

De

OFFICIO CHRISTI.

Quam

Doctore & Ductore S. S. Spiritu

Sub Præsidio

M. PETRI HINKELMANNI.
Verbi Divini Ministri.

privatim defendendam suscipiet

ARNOLDUS Schenck Parch. Meg.

habebitur disputatio 8. Cal. Februar.

ROSTOCHII
Litteris Reusnerianis, Anno 1609.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0149
DFG

ΣΥΝ ΘΕΩ.

DISPVTATIO ANTICALVINISTICA VI.

DE OFFICIO CHRISTI.

CONTINUATIO.

ABsolutis tribus prioribus de Persona Christi disputationibus, hanc in eodem loco ultimam, de officio Christi, quam potest fieri brevissimè subjungemus. Et quia superiori disputat. de singulis partibus, secundum utrumq; statum & Exinanitionis & Exaltationis egimus, nunc secundum quam naturam Christus suum officium executus, & quid eo nobis promeritus sit, & quomodo hoc à nobis agnoscendum, videbimus. Et 1. Examini subjiciemus errores, quos circa Christi officium sacerdotale & Regium Adversarii fovent. 2. Expendemus, quid sentiant de merito Christi, ejusq; cultu adorationis.

CAPUT PRIMUM.

De officio Christi Sacerdotali & Regio.

Error Primus.

Admonit. Neostad. cont. Form. Conc. f. 79.

Officium Mediatoris omnipotentiâ naturæ humanæ non indiget.

REFUTATIO.

Quasi v. nos sentiamus, naturam humanam habere propriam suam omnipotentiam. Quin potiùs docemus, naturam humanam in officio Mediatoris perficiendo, agere quod suum est, non sine communione Divinæ naturæ ejusq; proprietatum, atq; adeò etiam omnipotentiæ, ratione ἐνώσεως, ἐνεργιῶν καὶ ἀποτελεσμάτων. *Id quod Adversarij hoc errore negant.*

1. *Sed solidè ex S. S. Scriptura refutantur, quæ nusquam non inculcat, Christo, secũdum humanam nimirùm naturam, datam esse omnẽ potestatem* (a), *omniaq; sub pedibus illius esse subjecta, ut superioribus disputationibus id fusiùs probavimus. Quorsum verò ei hæc omnis*

a) Matt. 11. 26. c. 28. 18. Dan. 7. 13. 14. Act. 10. 38. Eph. 1. 20 21. Psal. 8. 7.

potestas data, nisi eâ, in officio suo perficiendo, indiguisset.

2. Id quod & ex omnipotenti, passionis, effusionis sanguinis, & mortis effectu liquidò constat, qui Christo homini in S. S. Scriptura tribuitur, ut vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus propter scelera nostra, ut nos livore ejus sanaremur (b). Et, sanguis J. C. nos à peccatis omnibus emundat. Mortuus quoq; est propter peccata nostra, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, i. e. diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant servituti. In eo enim, in quo passus est ipse & tentatus, potens est iis, qui tentantur, auxiliari. Hæc certè effecta non nisi Divinæ sunt omnipotentiæ, quæ cum homini Christo tribuantur, irrefragabiliter etiam sequitur, eum hanc omnipotentiam sibi communicatam habuisse, imò &, ut hæc efficere posset, habere debuisse.

b) Esa. 53. 5. 1. Ioh. 1. 7. Rom. 4. 23. Ebr. 2. 14. 15. 18.

3. In eum enim finem λόγος fuit Incarnatus, & Humana natura in λόγον assumpta, ut ea divinis proprietatibus locupletata, atq; ita etiam omnipotentiâ Divinâ roborata, sua passione & morte furorem iræ Divinæ, pœnamq; nostra inobedientia meritam, sustinere, expiatisq; nostris peccatis λύτρῳ sufficientissimo, nos vicissim cum Deo reconciliare posset, quod aliàs non potuisset, si ψιλὸς ἀνθρωπος mansisset. Ex Incarnatione itaq; eum in finem factâ, ἀποδεικτικῶς communicatæ omnipotentiæ necessitas evincitur.

4. Vnde & in S. S. literis illæ officij Mediatoris actiones & passiones, quæ propriæ sunt naturæ humanæ, non tamen ei soli tribuuntur, sed Personæ in concreto: Vt, cum dicitur, filius Dei genitus ex semine David (c): Deus manifestatus in carne: Deus suo sanguine redemit Ecclesiam: Dominus gloriæ crucifixus: Filius Dei passus est carne, &c. Non quod Deitati illæ competant, sed ut indicetur, illam humanam naturam, cujus sunt hæ actiones propriæ, non tantùm ex suis solis naturalibus proprietatibus hæc omnia peragere, sed in Persona τοῦ λόγου existentem, esse Deificatam (ut Patres eam nominârunt) & Divinis planè proprietatibus tantoperè locupletatam, ut hæ actiones & passiones, non sint nudi hominis, sed verè ipsius filij Dei.

c) Rom. 1. 3. 1. Tim. 3. 16. Act. 20. 28. 1. Cor. 2. 8.

5. Ide-

5. *Id enim nisi fiat, non unum in officio Mediatoris* ἀποτέλεσμα θεανδρικὸν, *naturæ illæ duæ in Christo, sed duo producent; unum naturale, à solo & nudo homine profectum, sine ulla Divinæ naturæ ejusq; omnipotentiæ participatione: alterum divinum, sine ulla humanæ naturæ, hujusq; proprietatum appropriatione. Atq; sic Mediator secundum alteram naturam, erit tantùm nudus homo: secundum alteram, tantùm merus Deus. Hoc si verùm, quare filius Dei incarnatus? nonne Deus eodem modo, per alium hominem sibi mundum reconciliare potuit?*

6. *Concludimus ergò; Si natura humana sine omnipotentia Divina, sibi communicata, officium Mediatoris exequitur, non esse nobis magno, imò nulli usui. Impotens enim erit, neq; passione & morte sua mortem æternam abolere, ex inferno liberare, preces nostras exaudire, ab omnibus malis defendere, in periculis adesse, ex necessitatibus liberare, &c. poterit. Sed hujusmodi Mediatorem Adversarij sibi habeant.*

Error Secundus.

Amelingus in thesibus.

Duplex est Majestas Dei; una Essentiæ, altera officii, inferior priori: prior est incommunicabilis, Posterior utriq; naturæ data est.

REFUTATIO.

Novus hic est, & in Ecclesia Dei inauditus fœtus, quem semel exclusum, mutato subinde habitu Calviniani obtrudunt, in hũc finem, ut miris cuniculis veritatem, de gloria & Majestate Dei, Christo juxta assumptam naturam communicata, deforment atq; extenuent.

1. *De qua Majestatis Dei distinctione, si sacræ literæ consulantur, & veterum scripta pervolvantur, ne χνὸ quidem invenietur: sed potius unius Dei gloriæ & majestatis fit mentio in Sacris literis, quam habuit Christus ut filius Dei, antequam mundus fieret, eandemq; sibi, ut filio hominis tribui & concedi petit* (a). *Sic etiam discipuli & Apostoli Christi non aliam Majestatem vel gloriam, quam ipsius unigeniti à patre; imo ipsum verbum vitæ, quod fuit ab initio, oculis suis*

a) Ioh. 17. 5. c. 1 14, 1. Ioh 1. 1.

vidisse & manibus contrectasse, leguntur. Nam tota plenitudo Deitatis (non Majestas tantùm officij) in Christo corporaliter inhabitavit. Hisce & similibus alijs quamplurimis S. S. Scripturæ dictis (b) non alia, quam Dei Majestas, Christo homini tribuitur.

b) Coloss. 2. 9. Matth. 18. 20. c. 28. 18. Ioh. 6. 51. Ps. 8. 8. Eph. 1. 22.

2. Hanc enim Divinam Majestatem omninò officium ejus Mediationis & Redemtionis requirebat, ut mox dicetur: tantùm abest ut aliquâ, ab officio suo Majestatẽ, præter dolorem & laborem, referret. Non n: factus est noster Mediator & Redemptor, ut aliqua ab officio hoc, ei Majestas accederet, ut usu venire videmus in rebus civilib. & Politicis, in quibus quodq; officium sua comitatur dignitas & authoritas: sed ut officium hoc Mediationis, & Redemptionis, undiquaq; in omnibus sui partibus perfectè & plenè obiret, in ipso τῷ νυῦ conceptionis, & initij momento, unctus Spiritu Sancto, non ad mensuram hanc Majestatem accepit.

3. Quæ certe non officij tantùm, ut nominant, sive intermedia quædã, sed essentiæ Divinæ Majestas & Potentia fuit, & esse debuit. Quia officio Redemptionis ac Mediationis nos homines à peccatis, Diabolo morte, inferno, maledictione legis, ira Dei & æterna damnatione redemit, & se medium inter Deum iratum & genus humanum reum peccati, partem læsam & ream interponens, homines cum Deo reconciliavit, justitiam æternam peperit, omnibusq; credentibus potestatem filios Dei fieri, & hæreditatem regni cælorum Christus acquisivit. Hæc verò omnia non nisi Majestatis & Omnipotentiæ Divinæ opera esse, ipsi Adversarij concedere coguntur; Quomodo itaq; eidem Majestatem & Omnipotentiam Divinam denegare possunt?

4. Eam enim non incommunicabilem esse, ut in errore obtendunt, probatur 1. dictis S.S Scripturæ superius sæpè allegatis (c), quæ Majestatem & Omnipotentiam Divinam assumptæ naturæ communicatam esse testantur. 2. Hypostasi & λόγε, quam eidem Adversarij ipsi concedunt, quæ cum proprietatibus Divinis ταυτὸ quiddam est. 3. Communicatione piorum, qua fieri dicuntur κοινωνοὶ θείας φύσεως. Multo magis itaq; naturæ humanæ Personaliter filio Dei unitæ, Majestas Divina, eaq; non officii, sed essentiæ communicari potuit.

c) Er. 1. a) b) Er. 2. a) b)

5. Com-

5. Communicata itaq; est, verùm non secundum utramq; ut Adversarij volunt, sed assumptam tantùm naturam; secundum enim assumentem, semper habuit, ut superiùs probatum, imò etiam simul cum Patre eâdem illâ Majestate & Potentiâ operatus est, & adhuc operatur, quemadmodum Christus ipse testatur (d): ut non hæc donatio, ratione vel dignitatis officij, vel efficaciæ & operationis, Naturæ Divinæ facta esse prætendatur. Sed hæc omnia quæ fucosè adferuntur & palliantur, jamdudum regulâ Athanasij, quâomnia data Christo in tempore, non de Divina sed humanâ tantùm naturâ accipi debere, affirmatur, explosa sunt.

d) Ioh. 5. 17.

6. Omnes ergò, qui contra eam aliquid adferunt, Arrius in suam societatem excipit. Imò & hac suâ blasphemiâ, quâ hoc & præcedenti Errore Majestatem Christi Divinam arrodunt, Turcico Alcorano cedunt, qui dicit (e), Christum Iesum, filium Mariæ venisse cum Divina virtute & potentia: Eamq; secundum Humanam naturam, cum Divinam non agnoscat, acceptam vult, atq; sic plus Christo tribuit, quam Calviniani.

e) Azoar. 5.

Error Tertius.

Cingl. de vera & falsa relig.

Christus ea parte nobis salutaris est, quâ de cœlo descendit, non quâ ex illibatissimâ quidem virgine natus est, tametsi secundnm eam pati ac mori debuerit. Item: secundum carnem mactari tantùm potuit, & secundum Divinitatem tantùm salutaris est.

REFUTATIO.

Hoc errore illi ex Calvinianis, qui eum fovent, ad Osiandrismum inclinare videntur, ut in loco de justificatione videbimus: docent enim Christum non secundum humanam quoq; naturam, sed Divinam tantùm nobis esse salutarem, justitiam & vitam meruisse. Quibus tamen, ex eorũ gregalib. sunt, qui contradicunt, asserentes (a): assumptionem carnis, servitutis, penuriæ, ignominiæ, infirmitatis, passionis & mortis tolerantiam, omniaq; quæ fecit & passus est (quæ de natura humana accipiuntur) esse satisfactionem ejus, quam pro nobis præstitit, & justitiam, quæ nobis credentibus à Deo imputatur. Calvinianos itaq; inter se committimus.

a) Vrsini Catech. pat. 2. quæst. 60. §. 4.

1. Esse

1. Esse verò Christum nobis salutarem, etiam secundum humanam naturam, angelus Gabriel annuncians nativitatem ejus testatur, inquiens (b): pariet filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum à peccatis eorum. In quo nomine, Christo etjam ab angelo secundum humanam naturam dato, nos tantùm salvos fieri, Petrus graviter monet. Vnde & S. S. Scriptura passim, Christi vulneribus, sanationem; effusioni sanguinis ejus, remissionem peccatorum & justificationem; morti, victoriam æternæ mortis & Diaboli, atq; reconciliationem cum Deo; tribuens, naturam certè humanam, cujus hæ sunt proprietates, à parta nobis salute & vitâ æternâ, non, ut Calviniani faciunt, sequestrat.

b) Matt. 1, 21 Act. 4, 12. Esa. 53, 6. 1 Ioh. 1, 7. Rom. 5, 9. 1 Cor. 15 54. Ebr. 2 14. Rom. 5, 10.

2. Non enim propterea ὁ λόγος Incarnatus & humanæ naturæ unitus, ut solus officium redemptionis perficeret, neq; frustrà natura humana in personam τοῦ λόγου assumpta, & Divinis proprietatibus locupletata est, sed ut tota Persona totaliter in utraq; sua natura, exequeretur & absolveret totum redemptionis opus.

3. Quod hujusmodi Mediatorem flagitabat, qui non tantùm solâ obedientiâ & impletione legis satisfaceret justitiæ Divinæ, furoremq; iræ ejus portaret, atq; sic quod nobis impossibile erat præstaret atq; efficeret secundum Divinam naturam: sed etiam sua passione & morte, nostram pœnam peccato debitam sustineret, atq; nobis iratum Deum placaret, secundum Humanam naturam: Vt ita non tantùm suâ obedientiâ, tanquam unâ parte, sed etiam Passione, ut altera quoq;, atq; sic omnibus numeris & gradibus absolutum & consummatum θεανδρικὸν ἀποτέλεσμα, seu λύτρον sufficientissimum, justitiæ Dei opponi posset.

4. Vndè & nomina officij, Christo non tantùm secundum Divinam, verùm etiam Humanam naturam competunt, & tribuenda quoq; sunt; cum secundum hanc quoq;, ut jam demonstratum, nobis sit salutaris. Præsertim cum & S. S. Scriptura Christum, quâ Homo est, nominet Dei & hominum Mediatorem unicum (c): idq; propterea, quia etiam secundùm Humanam suam naturam, Mediatoris partes sustinuit, nobisq; maximè salutaris fuit.

c) 1 Tim. 2. 5.

4. Qua-

3. Quarè etiam in ultimo agone passionis suæ, quam certè secundum Humanam naturam eum sustinuisse nemo negabit, extremam quasi manum operi redemptionis imponens, in ara crucis exclamavit; consummatum est. Quis verò, nisi crucis Christi atrox hostis, hanc passionis & crucifixionis consummationem, tanquam præcipuam & ultimam redemptionis partem, statueret nobis non salutarem?

Error Quartus.

Carlstad. in Dial. de Cœna. Cingl. cõf. confes. Lutheri.

Iustitiam habemus ex morte Christi, & non ex resurrectione Christi. Dictum Rom. 4. Resurrexit propter justitiam nostram, sonat de resurrectione Spiritus. Non resurgendo, sed moriendo, salutis nostræ opus consummavit.

REFUTATIO.

Antilogiam hujus & præcedentis Erroris, Calvinianis conciliandam relinquimus. Breviter hic tantùm ad hanc Erroris quæstionem: An tàm ex resurrectione quàm morte justitiam & salutem habeamus? respondemus Affirmativè.

1. Cujus assertionis fundamenta, ponimus S. S. Scripturam; & in ea illud Pauli, à Carlstadio absurdè detortum, primo loco; quod tàm apertè & perspicuè resurrectioni Christi justitiam tribuit, ut hic Carlstadium magis malitiâ quam insciti â peccasse constet. Hunc enim locum non de modo, sed effectu resurrectionis loqui quis non videt? Huic ex Sacro codice alia (a) addi possunt.

a) Ioh. 11. 25. 1 Cor. 15. 12. 20. 22. 2 Cor. 4. 14. Rom. 6. 4. 5. Phil. 3. 10.

2. Neq; est, quod multis rationibus hunc erroremrefellere laboremus, cum eundem, ut διαρρήδην S. S. literis repugnantem, suaq; propterea crassitie abominabilem, Calviniani multi & præcipuè ex Neotericis non amplectantur (b). Vndè constat, quantum huic sectæ tribuendum, cum tam crassos habuerit Antesignanos, quorum vestigijs insistere successores & posteros pudet. Sed utinam in omnibus puderet.

b) Ursini Catech. part. 2. quæst. 45. §. 3. 4.

3. Rationes has tantùm recitando subjungimus. Si justitiam non ex resurrectione sed morte Christi habemus. 1. quomodo illud vaticinium Oseæ à Paulo ad Christum accommodatum: absorpta est mors

c) Oseæ 13. 14. 1 Cor. 15. 21. Coloss. 2. 12. 13.

in victoriam (c): *constabit? 2. Quomodo vera & Catholica nostra fides, actus illos Christi sequentes Mortem ejus, in Symbolo Apostolico copulabit? 3. Quare resurgendo triumphavit de victis hostibus? 4. Non pro nobis. Imò ne totus quidem Christus nobis proderit: resurrectio enim facit, ut mors habeat suum effectum. 5. Quare non poterit nobis conferre & applicare, quod Passione & Morte sua nobis peperit. 6. Atq; sic mortalis erit justitia. 7. Imò & in morte desinet officium Christi, ita ut non sit Sacerdos in æternum, non pro nobis apud Patrem suum intercedat, neq; Ecclesiam suam curet aut gubernet. 4. Quarè figmentum est cerebelli Calviniani, justitiam nobis ex morte tantùm, & non etiam ex resurrectione provenire; cui & Reverenda Antiquitas unanimi consensu contradicit. Vt Cyprianus* (d): *Consummatam passionibus carnem, atq; in ea protoplasti lapsum* resurrectionis virtute *reparatum, in dextra sedis Dei altissimi collocavit. Primasius; Christus nascendo, moriendo,* resurgendo *atq; ascendendo pacem attulit mundo. Ambrosius: Christus nostri causa occidi se passus est, ut nos datâ veniâ à secunda morte erueret, i.e. à pœna inferni: & resurrexit, ut pro lætitia triumphi mortis victæ, gratiam nobis justificationis donaret, ut digni essemus dici filij DEI. Item: Christus damnare nos non potest, quia eo affectu diligit nos, ut moreretur pro nobis, & resurgens semper causam nostram agit apud Patrem.*

d) De Symbolo. In 7. c. Ebr. In Epist. ad Rom. cap. 4. 8.

Error Quintus.

Admonit. Neostad. f. 78. Cinglius.

Christus non omnia opera Divinæ suæ naturæ, In, Cum & Per assumptam naturam suam Humanam perficit, nisi in illo loco, in quo localiter illa consistit. Divinitas sola administrat omnia.

REFUTATIO,

a) Disput. 4. cap. 2. Er. 6. Et Disp. 5. c. 1. Err. 4.

Quomodo Calviniani illud intelligant, quando scribunt & concedunt; Christum opera quædam Divina per assumptam suam naturam perficere, ex superioribus disputat: (a) *constat; ergò hic non de* πῶς, *sed de* ὅτι *agemus: Atq; demonstrabimus Divinitatem non solam, sed*

In,

In, Cum & Per assumptam naturam, ut officium sacerdotale, de quo superius (b): ita & Regium administrare, & Divina sua opera perficere.

b) Errore ſi.

1. Quia S.S. Scriptura, opera Divina tribuens Christo, non excludit naturam humanam (c). Et Christus ipse ad discipulos inquit: Nonne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Hæc verba secundum assumptam naturam intelligi, nemo negabit; cui tribuit gloriam suam, Divinæ nimirum Naturæ propriam vereq; Divinam, quæ est cælestis regni & æterni imperij, quod quidem κτήσει, à τῷ νῦν conceptionis habuit, sed ejus χρήσιν, per ingressum in gloriam, seu collocationem ad dextram Dei, accepit. Quarè & discipulis, post ascensionem in cælum, cooperatus, confirmasse dicitur sermonem subsequentibus signis. Quibus illa etiam dicta de regno Christi hominis addi possunt (d).

c) Matt. 18. 20. c. 28. 18. Ioh. 20. 28. Pſal. 8. 8. Ebr. 2. 7. 8. Luc. 24. 26. Mar. 16 20.

d) Pſal. 8. 8. 110. 1. Dân. 7. 13. Matt. 28. 18. Ioh. 18. 36. Act. 2. 35. 1 Cor. 15. 55. Phil. 2. 10. Ebr. 1, 4. c. 2. 14. c. 8. 1. Apoc. 5. 12.

2. Quomodo enim aliàs unio ipsa Personalis arctissima, si non filius Dei per assumptam suam naturam, omnia Divina opera exequatur, consisteret. Cum enim illa suum subsistere in Persona τοῦ λόγου habeat, imò eandem pro sua æquè Persona atq; ὁ λόγος, etsi modo diverso, usurpet, fieri utiq; nullo modo potest, quin operante Persona, simul quoq; operetur natura assumpta, vel per hanc, ipsa Persona suas actiones Divinas perficiat.

3. Id quod & unione animæ hominis ad corpus personali, demonstratur. Quamdiu enim anima in corpore habitat, suas operationes, non nisi per corporis organa exerit, propter personalem cum corpore unionem: Quidni itaq; & natura Divina, tota sua plenitudine corporaliter, in natura Humana inhabitans, propter illam totalem immanentiam & Personalem περιχώρησιν, suas Divinas actiones per eandem quoq; non exerceret? Quin & in contiguè (liceat his similibus uti) quomodocunq; junctis, unum absq; altero non agit aut movetur.

4. Accedit ipsa naturæ Humanæ exaltatio ad dextram Patris, per quam ad plenariam suæ Majestatis usurpationem evecta est, ut dominetur in medio etiam inimicorum suorum, donec omnia pedibus

suis subjiciantur. Secundum enim quam naturam Christus ascendit ad cælos, & sedet ad dextram Patris, secundum eam etiam ipse omnia administrat: nisi eidem per exaltationem plus decessisse, quam accessisse, ἀθεολόγως statuere velint.

5. Si enim in statu Exinanitionis etiam imæ, localiter & visibiliter in terris conversans, in illo loco, in quo natura Humana constitit, per eam Divina sua opera perfecit, (e) quod in errore concedere videntur; multo minus nunc in statu Exaltationis summæ, ad dextram Dei illocalem sedens assumpta natura, à divina omnium rerum administratione & gubernatione, excludi potest aut debet.

e) Luc. 22. 51. 61. C. 23. 43. Ioh. 18. 6.

6. A qua sententia & orthodoxos ex Antiquitate non fuisse alienos superius citata (f), & sequentia ostendunt testimonia. Sic enim Athanasius (g): Cum λόγος divinitus designaret opera patris, non erat seorsim à sua carne, sed in ipso suo corpore hæc opera patrabat. Idem: Nisi opera Deitatis per corpus patrata fuissent, nunquam homo Deificatus esset. Cyrillus: Λόγος transformavit assumptam naturam, in suam gloriam & operationem. Item: Quamvis verbum caro factum est, operatur tamen ut Deus cum sua carne, quæ per illud virtutem habet. Damascenus: Caro Domini Divinis dotibus seu efficacijs ditata est, propter purissimam cum verbo unionem, sive secundum hypostasin. Non enim secundum suam propriam efficaciam sive actionem, sed propter unitum sibi λόγον Divina operatur, verbo per eam manifestante propriam virtutem sive ἐνέργειαν.

f) Disp. 4. C. 2. Er. 6. Disp. 5. C 1. Er. 4.
g) Sermon. 4. cont. Arrianos. De Incarnat. Unigeniti cap. 8. De recta fide ad Reginas. Lib. 3. c. 17.

Error Sextus.

Humana natura descendet de cælo in nubes, & feret sua voce sententiam extremi Judicij: Divina inspiciet & manifestabit omnium corda & conscientias, dictabit & exsequetur suâ potentiâ latam sententiam.

Admonit. Neostad. f. 23. Sadeel. de veritat. nat. human. f. 148.

REFVTATIO.

Ut nihil in Christo intactum Adversarij relinquant, persequuntur eum ad Thronum usq; judicij, denegantes homini Christo judiciariam potestatem. Etsi verò eos, totum Christum, qua Deus & Homo, judicem no-

cem nominare non ignoremus; tamen quomodo id de natura Humana intelligant, ex hoc Errore patet, nimirum respectu promulgationis vel potius recitationis latæ sententiæ judicij. Atq; sic revera pro judice agnosci & haberi non poterit: non enim Secretarius vel alius amanuensis conceptam & dictatam sententiam judicis excipiens vel proferens, Iudex est.

1. Sed confunduntur in hoc etiam suo errore clarissimis S. S. Scripturæ dictis. Expressè enim Christus de se inquit (a): Non Pater judicat quenquam, sed omne judicium dedit filio quia filius hominis est. Hoc verò quia datum, non secundum Divinam, sed Humanam naturam intelligi debet. Sic & in passione coram Synedrio Hierosolymitano edit suam confessionem his verbis: A modo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. Et Euangelista de eo inquit: Cum venerit filius hominis in Majestate sua, & omnes sancti angeli cum eo, tunc sedebit super sedem Majestatis suæ, & congregabuntur coram eo omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis. Idem Petrus, conjungens testimonium omnium Apostolorum, de eo testatur: Præcepit nobis, inquit, prædicare populo & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo Iudex, vivorum & mortuorum. Sed hæc & alia testimonia (b) S.S. Scripturæ Calviniani acceptare nolunt.

a) Ioh. 5. 28. 27. Matt. 26. 64 Luc. 22. 68. Matt. 25. 31. Act. 10. 42.

b) Dan. 7. 13 Matt. 16. 27 Act. 1. 11. c. 17. 31. 1 Cor. 4. 5. 1 Thess. 4. 14. 16.

2. Quin & fidem Apostolicam & Catholicam hoc Errore suo abnegant. In illo enim Apostolico Symbolo, Catholica & Orthodoxa Ecclesia credit & confitetur, quod idem ille J. C. Mariæ filius, qui mortuus est, resurrexit & sedet ad dextram Dei Patris Omnipotentis; (secundum sc. assumptam naturam) Inde Venturus sit (secundum eandem) judicare vivos & mortuos. At proferre & recitare sententiam, non est judicare, aliàs, ut supra ostendimus, Scriba judicij, pro judice acceptandus esset.

3. Tum quoq; recitationem judicij, humanæ naturæ in Christo tribuentes, ex ea Personam faciunt: quis enim unquam sententiam pronunciavit, qui non in individuo singularis pro se Persona fuit? Ex quo

quo plura alia ἄτοπα καὶ ἀθεόλογα sequi necesse est.

4. Deniq; hoc modo Personalem unionem solvunt & Communicationem Idiomatum planè tollunt. Tribuunt enim Humanæ naturæ peculiares, easq; distinctas in exsequendo judicio actiones, suasq; item propriàs Divinæ naturæ, absq; sui cum assumpta natura communicatione: Ita ut hæc sola descendens in nubes, sua voce ferat sententiam judicij; illa sola inspiciens corda, exsequatur latam sententiam. Nonne hoc est solvere Christum, & communicationem Idiomatum prorsus negare?

5. Non ita sensit de judiciaria Christi potestate Orthodoxa Antiquitas. Sic enim Cyprianus (c): Humilitas carnis Christi, throno judiciario honorata est. Eustathius: Cum Iohannes dicit: Sciens Jesus, quia omnia dedit ei Pater in manus, Hominis potestatem declarat, quæ æterni sumens sceptra imperij, omnium haberet commissum judicium. Basilius: Dominum & Christum fecit hunc Iesum, quem crucifixistis. Non de ipsa essentia ὁ λόγος loquitur, sed demonstrativa voce humanitatem designat, atq; ipsi principatum & dominium à patre commissum dicit.

c) de ascensione, Contra Arianos, Contr. Eunomiũ lib. 1.

Caput Secundum.

De merito Christi, ejusq; cultu Adorationis.

Error Primus.

Calvin Instit. lib. 2. C. 17. §. 1.

Equidem fateor si quis simpliciter & per se Christum opponere vellet judicio Dei, non fore locum merito.

REFUTATIO.

a) Catech. Ursini par. 2. quæst. 45. sect. 4. quæst. 49.

Etsi Calviniani multum de Merito Christi glorientur (a), tamen hujusmodi sibi Christum fingunt, qui non tantùm, non pro omnibus hominibus, sed Electis solùm mortuus sit, ut proximo errore videbimus; verùm etiam, qui sanguine & morte sua, ne unicum peccatum coram judicio Dei tollere & expiare posit.

1. Quæ certè summa blasphemia est, in pretiosissimum & sufficientissimum sanguinis & Mortis Christi λύτρον, totumq; ejus meritum, quod clarissimis verbis Sacrosancta Scriptura nobis describit inquiens

quiens (b): *Sanguis I.C. emundat nos ab omni peccato. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Non est in alio quoquã salus, nec enim aliud nomen sub cælo datum est hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Vocabis nomen ejus Iesum, quia salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Per eum reconciliata sunt omnia in ipso. Dedit semetipsum pretium redemptionis pro omnibus. Qui credit in eum non judicatur. Fidelis sermo & omni acceptione dignus est, quod C. I. venit in mundum peccatores salvos facere. Quæ certè dicta & sexcenta alia* (c), *tam perspicuè & clarè de merito Christi sufficientissimo loquuntur, ut cogantur etiam Adversarij cum iis loqui, etsi id credere nolint.*

b) 1 Ioh. 1. 7. c. 2. 2. Act. 4. 12. Matt. 1, 21. Ioh 1. 29. c. 3. 18. Coloss. 1. 20. 1 Tim. 2. 6. c. 1. 15.

c) Esa. 43. 25. c. 53. 4. 5. c. 63. 1. 2. 3. &c.

2. *Quia verò efficaciam meriti Christi prorsus enervantes & annihilantes, neq; ex semisse, neq; ex aliqua saltem parte, illud judicio Dei opponi posse volunt; respondeant, quid aliud opponere velint aut possint? Non angelorum, nedum cujuscunq;, quantumvis perfectissimi hominis, merita; non enim in quoquam alio est salus, & frater redimendo non redimet quenquam, nec dabit Deo pretium redemtionis animæ suæ, sed omittet illud in æternum* (d). *Neq; absolutum Dei beneplacitum & decretum in gratiâ & misericordia ejus fundatum; non enim misericordia & gratia Dei, nisi mediatè, interventu sufficientissimi λύτρου, quale est Christi, justitiæ Dei opponi, & in judicio ejus locum habere potest. Quarè ut posset Deus hominum misereri, misit filium, qui satisfaceret justitiæ suæ.*

d) Act. 4. 12. Psal. 49. 9.

3. *Quorsum enim aliàs Christus natus, passus, & mortuus, resurrexisset, &c. si non illo officio redemptionis, nos ab æterna damnatione, debellatis omnibus nostris hostibus, liberatos, Deo reconciliasset, atq; ita αἰωνίαν ἀπολύτρωσιν meritus esset. Num hanc redemptionem Christum irrito conatu suscepisse, existimandum? quod certè fiet, si illa judicio Dei simpliciter opponi non possit. Blasphemia hæc est, auribus Christianis prorsus intolerabilis.*

4. *Illaq; eò major, quò hæc Persona, quæ meritum hoc pretiosissimũ & sufficientissimum sua passione & morte nobis peperit, præstantior & subli-*

& sublimior. Non enim ille ψιλὸς ἄνθρωπος sed θεάνθρωπος fuit, qui potuit hujusmodi ἀποτελίσματα θεανδρικὰ, judicio & justitiæ Dei opponenda, producere; quibus cùm suam sufficientiam & perfectionem Calviniani sacrilegè derogent, blasphemè injurioſi sunt in Personam Christi.

5. Et quomodo Christus judicio Dei opponi non posset, qui illud subiens justitiæ Dei satisfecit (e): pœnam peccato debitam in se derivãs, peccata suo sanguine expiavit: per mortem destruxit eum, qui mortis habebat imperium, id est, diabolum: de inferno redemit & ex morte liberavit suos, inquiens; ero pestilentia tua, ô mors; ero lues tua, ô inferne. Qui nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: debellatisq; omnibus hostibus, armisq; eorum, in quibus confidebant ablatis, spolia eorum distribuit, nosq; ex tyrannide & potestate illorum liberatos, in æternam asseruit libertatem, & hæreditatem regni cælorum adire fecit.

e) Ebr 2. 14. Oseæ 13. 14. Gal. 3. 13. Luc. 11. 22.

6. Vndè & Oecumenius inquit (f): Quomodo fit justificatio? per remissionem peccatorum, quam in Christo Iesu consequimur. Theodoretus: Dominus Christus & Deus est, & propitiatorium & Pontifex, & Agnus, & in suo sanguine nostram salutem procuravit, solam fidem exigens. Haymo: Christus totius justitiæ est fundamentum. Idem: Nemo debet de meritis suis præsumere; sed omnem salvationem ex Christi meritis expectare. Augustinus: Justificamur in solo Christo, qui est justitia vera per fidem.

f) In cap. 3. Rom. In Epist. ad Rõ. Super 26. & 131. Psal. In 3. c. Rom.

7. Quibus deniq; hæc & hisce plura blasphema, παραδοξα subjungi possunt. Si enim Christus cum suo merito simpliciter judicio Dei opponi non potest, sequetur: illud esse insufficiens, ut ei satisfaciat, atq; ideò Christum nobis nullius pretij Mediatorem, imò illius totum officium esse frustraneum & irritum, atq; propterea alium nobis Mediatorem esse quærendum; aut sine Mediatore nos salvari: totam S. S. Scripturam cujus fundamentum est Christus, de cujus pretioso merito multa tradit, fallere, &c.

Error

Error Secundus.

Christus passus seu Redemptor factus pro omnis generis hominibus, seu tantùm pro fidelibus. Christus factus est propitiatio pro peccatis mundi, i. e. pro credentium & fidelium peccatis. Non Christus mortuus, nisi pro Electis, in quos solos redundat justitia Christi. Intolerabilis nobis vox vestra visa est, Christum mortuum esse pro damnatis.

REFUTATIO.

Alter hic est Adversariorum, de merito Christi error, quo Christum pro impijs & damnatis passum & mortuum esse, utut distinguant, concedere nolunt.

1. *Sed & hîc gladio Spiritus, verbo nimirum Dei, facilè profligantur, quod apertè & clarè pronunciat* (a): *Christum pro* omnibus *mortuum esse. Per eum reconciliata esse* omnia *in ipso. Christum dedisse semetipsum pretium Redemtionis pro* omnibus. *Sicut per unius delictum in omnes homines mors regnaverit in condemnationem, sic & per unius justitiam, abundantiam gratiæ regnaturam in* omnes homines, *in justificationem vitæ. Imò & Christum mortuum esse pro illis qui sua culpa pereunt & damnantur, quæ vox non est nostra, ut ille fingit, sed S. S. Scripturæ, sic enim illa: Noli cibo tuo perdere illum, pro quo Christus mortuus est.* Peribit *frater infirmus in scientia tua,* propter quem *Christus mortuus est. Pseudoprophetæ eum, qui* emit eos, *Dominum negant. Voluntariè peccantes post acceptam agnitionem veritatis, filium Dei pedibus conculcant, & sanguinem Testamenti, quo sunt sanctificati, pollutum ducunt. Quæ dicta omnia, & his plura similia alia* (b), *tàm sunt clara & aperta, ut nullis Calvinianorum glossis eludi possint.*

2. *Quibus rationes, per bonam consequentiam ex S. S. Script. petitas subjungimus. Vt cum Christus asserit* (c), *se venisse ad servandum id, quod perierat, h. e. totũ genus humanum, certè vult innuere, se etiam pro toto genere humano, imò & pereuntibus, passum & mortuum esse;*

Marlorat. in Expos. N.T. f. 432. 433.
Bez. in Coll. Momp. f. 234. 513. 514.
Sturmius de prædest. f. 88. 90.
Catech. Vrsini part. 2. quæst. 81. sect. 2.
Rennecherus in Aurea salutis catena c. 22.
a) 2 Cor. 5. 15. Colos. 1. 20. 1 Tim. 2. 6. Rom. 5. 18. C. 14. 15. 1 Cor. 8. 11. 2 Pet. 2. 1. Ebr. 10. 29.
b) Esa. 53. 6. Luc. 2. 10. Ioh. 1. 9. 29. c. 6. 33. 51. c. 3 16. c. 12. 32. 2 Cor. 5. 14. Colos. 1. 20. Tit. 2. 12. 1 Ioh. 2. 2. Ebr. 2. 9. c. 6. 4. 5. 6. c. 10. 29.
c) Mat. 18. 11. Luc. 19. 10. Ezech. 33. 11. 1 Tim. 2. 4. 2 Pet. 3. 9. Rom. 6. 3.

id enim nisi factum, non etiam illos servare posset, quia aliter servare homines non vult. Sic quomodo Deus posset nolle mortem peccatoris, aut ut quisquam periret, sed ut omnes converterẽtur: nisi Christus pro peccatoribus morientibus etiam, mortuus esset? Et Paulus asserit, quicunq; baptizati sunt, esse in mortem Christi baptizatos; id verò fieri non posset, nisi Christus mortem illam pro illis non sustinuisset. At multi qui baptizati sunt, excidunt rursum illo fœdere & damnantur, pro quibus tamen, quia in mortem Christi baptizati fuerunt, Christus mortuus est.

3. Tum ex institutione quoq; cœnæ Dominicæ solidissimè adversarij in hac sua opinione confunduntur. In illa n: Salvator ad communicantes inquit: Accipite comedite; hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, innuens, pro omnibus corpus suum traditum esse, qui illud in cœnâ communicant: At etiam infideles illud communicare Apostolus testis est, inquiens (d): qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini: Ergò corpus Christi etiam pro illis traditum esse necesse est. Quod & Christus, eadem verba ad Judam, quæ & ad reliquos dixit, retinens, in prima illa cœnæ suæ institutione, nos docere voluit.

d) 1 Cor. 11. 18.

4. Præterea firmissimum argumentum à vocatione universali petitur (e). Euangelium enim de suo merito & satisfactione pro totius mundi peccatis, jubet Christus prædicari omni creaturæ: Ergo inde sequi necesse est, illam satisfactionem præstitam esse, pro omnibus illis, quibus offertur & annunciatur; nisi quis Deum annunciare falsa, & palam illudere hominibus, quod absit ut de Majestate Divina cogitemus, affirmare velit.

e) Ps. 19. 5. Rom. 10. 18. Matt. 28 19. Mar. 13. 10 c. 16. 15. Luc. 2. 31. Act. 17 30. Colos. 1. 28. Tit. 2. 12.

5. Nec minus firmum argumentum petitur ab illa Dei sententia judiciali: Qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomen unigeniti filij Dei (f). Si enim impij propterea damnantur, quia meritum Christi in Euangelio oblatum acceptare noluerunt, utiq; & pro illis mortem, qua meritum illud peperit Christus, oppetijsse irrefragabiliter sequitur. Aliàs enim propter contemptum meriti, quod ijs

f) Mar. 16. Ioh. 3. c. 16.

non

non fuisset acquisitum, damnari non possent; nisi Christum judicem injustitiæ arguere blasphemo ore quis tentet; qui impios damnet propterea, quod id non credant, quod vel non sit verum, vel credere non teneantur, vel si crederent, nihil illis prodesset.

6. Quin & pro excidentibus gratia Dei, Christum satisfeciſſe, nemo credo negabit, nisi propitium Deum sine merito Christi frustrà sibi somniare velit. Gratiam enim Dei non aliter quam fide in Christum, qui eam nobis morte sua meritus est, habemus. Qui itaq; in gratia Dei fuerunt, certè eam per meritum Christi habuerunt, ita ut ejus effectum, in convertentes vicissim ad Deum, redundet; sin verò non convertantur, eò majorem damnationem sustineant. Undè & negari non potest, Christum pro ÿs etiam, qui damnantur, mortuum esse.

7. Cui sententiæ & Orthodoxi subscribunt Patres. Primasius enim inquit (g): Pro omnibus quidem effusus est sanguis Christi, sed credentibus prodest, incredulis verò erit in condemnationem. Chrysostomus: Christus etiam pro gentibus mortuus est, & tu pro illis non orabis? illi non crediderunt: illi non voluerunt; ipse tamen partem suam fecit, cum penderet pro ÿs in cruce. Idem: Factus es corpus Christi, & tradis temetipsum Diabolo, ut conculces Christum. Bernhardus: Christus secundum tempus quidem pro impÿs mortuus est: secundum prædestinationem autem, pro fratribus & amicis.

g) in 1 Tim. 2. In idem caput. Homilia 20. in cap. 10. ad Ebr. Sermon. 10 de 9. versu in Pſ. 91.

8. His subjungimus blasphema hæc paradoxa. Hic crassus error Deum facit προσωποληπτην, & illusorem hominum. Causam damnationis in Deum, qui filium suum quibusdam adeoq; maximæ parti hominum, ut illius esset salvator, non misit; imò & in Christum, qui non pro omnibus satisfecerit, rejicit. S. S. Script. mendacÿ arguit. Homines de sua salute dubitare facit, cum non sit certum, an Christus, qui pro quibusdam tantum mortuus sit; pro hoc vel illo satisfecerit.

9. Quod verò dictum Johannis (h) cavillantur, & mundum de credentibus & fidelibus interpretantur, manifesta est textus depravatio, qui nimis clarus & perspicuus est, ut hujusmodi falsam glossam non admittat. 1. Ne enim cavillo huic esset locus, Apostolus addit

h) 1 Ioh. 2. 2.

particulam universalem, scribens; Christum propitiationem esse pro totius mundi peccatis. 2. Deinde distributionem notanter admodum ponit: inquiens: non pro nostris tantũ, i. e. fideliũ & electorum peccatis, sed etiam totius mundi. 3. Quæ n: aliàs illa esset παπιστολογία, quæ ex interpretatione hac Calviniana emergeret, si ita explicetur: non pro nostris tantùm, i. e. electorum peccatis, sed pro totius mundi, i. e. electorum peccatis; quam ut absurdam & inconvenientem, Spiritui Sancto assuere, nefas esset. 4. Deniq; mundi vocabulum nunquam in S. literis significat solos fideles, sed aut universaliter omnes homines, aut solos reprobos. Non itaq; illa Calvinianorum glossa, analoga est fidei. 10. Deniq; κρησφύγετον atq; latibulum, quod Adversarij in hoc suo errore quærunt, in distinctione sufficientis & efficientis meriti Christi (i); eorum Anteſignanus Beza suis socijs obturavit, cum sic scribit: in illa phrasi (Christus mortuus est, pro omnibus hominibus sufficienter non efficienter, ut Scholastici loquuntur) ἀκυρολογία esse videtur. Sive enim consilium Dei sive passionis effectum, sive utrumq; spectaveris; pro impiis nullo modo est mortuus. Aliàs fatemur tanti esse hanc oblationem, ut potuerit pro infinitis mundis (si tot essent) satisfacere, nedum pro singulis hominibus unius: Si Deus eorum omnium voluisset misereri, & pro omnibus filium misisset. Hanc Bezæ explicationem, illius cõplices suæ opinioni ὁμόψηφον esse, minimè diffitebuntur. Vnde apparet Calvinianos hac distinctione fumos vendere & involucris verborum, ut solent, crassum suum hunc errorem tegere.

i) Ursini Catech. par. 2. quæst. 40. sect. 3.

Error Tertius.

Christi caro est vera hominis caro; quare, qui fiduciam in eum collocat, & eum adorat, ille ex ore Dei maledictus est: dicit enim Deus apud Jeremiam Cap. 17. Maledictus qui confidit in homine.

Dan. Exa. cont. D. Chemnit. f. 415. 417. In Assertione f. 38. 39. Beza Coll. Mompel. f. 344 & seq.

REFV-

Quia Calviniani Christum hominem sedentem à dextris Patris, nostrum conservum non verentur appellare, ut superiori disputat: (a) *vidimus, ideoq; omnem ei cultum adorationis derogant, & fiduciam in eum collocantem, ex ore Dei maledictum pronunciant. Quicquid interim distinguant, ut mox audiemus, tamen hæc est mens illorum: Quoniam caro Christi, etiam* in unione *vera caro sit, & verè creatura, ideoq;* nunquam *etiam* in illa unione Personæ *religioso cultu esse adorandam.*

a) Disp. 50. cap. 2. Er. &

1. *Quæ certè blasphema & horrenda Adversariorum sententia, ex S. S. Scriptura solidissimè refutatur, & quidem primò; dictis perspicuis. Esaias enim præclarè inquit; In die illa Radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum (quatenus scilicet Radix Jesse, adeoq; verus homo) gentes* deprecabuntur. *Sic apud Danielem: omnes populi, tribus, & linguæ ipsi (filio hominis quem vidit Daniel venientẽ ad Antiquum dierum) servient. Et in Psalmis. Sic Deus ad filium suum incarnandum: Postula à me, & dabo tibi (non secundum Divinam sed Humanam naturam) gentes hæreditatem tuam. Et addit: Servite Domino (sic nimirum dotato) in timore & exultate ei cum tremore. Osculamini filium. Item: Ille (longè formosissimus præ filijs hominum) est Dominus Deus tuus, & adorabis eum. Item: Adorabunt eum (filium scilicet Regis Davidis) omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei. Et Christus ipse inquit: Pater non judicat quenquam, sed omne judicium dedit filio (secundum Humanam ejus naturam) ut omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem: qui non honorificat filium, non honorificat patrem. Et Apostolus: Donavit illi (Jesu Christo) nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum* (b).

b) Esa. 11. 10. Dan. 7. 14. Ps. 2. 8. 11. 12. & 45. 12. & 72. 11. Joh. 5. 22. 23. Phil. 2. 9. 10.

2. *Deinde suppetunt Exempla quoq; quamplurima, quibus Christo toti secundum utramq; naturam, cultum adorationis tribuendum*

esse probari potest (b). Magi enim ab oriente venientes eorum Christo recens nato procidunt, eumq; adorant. Sic mulier Chananæa totum Christum adorat, inquiens: Miserere mei Domine fili David. Idem decem faciunt leprosi qui Jesum Magistrum, ut hominem adorant. Sic cæcus in via sedens Christi opem implorat: Jesu, fili David, miserere mei. Et Thomas dicit ad Christum: Dominus meus, & Deus meus. Sic Stephanus moriturus Iesum stantem à dextris Dei invocat: Domine Jesu suscipe Spiritum meum. Ex horum omnium forma precationis dilucidè apparet, eos naturam Humanam in Christo, ab adorationis cultu minimè excluisse. Eodem modo quoq; quamplurimis alijs dictis & Exemplis S.S. Script. fiduciam in totum Christum omnino esse collocandam, probari potest (c).

3. Insuper plura alia, pro adoratione totius Christi, & fiducia in eum collocanda, Achillea argumenta desumi possunt, 1. Ex illis dictis, quæ appellationem, honorem & opera quæ soli Deo competunt, Christi Homini tribunt. 2. Ex dulcissima invitatione, qua Christus invitat omnes laborantes & oneratos, sub certissima spe receptionis & refocillationis. 3. Ex Personali eaq; arctissima duarum naturarum in uno ὑφισταμένῳ unione, Majestatisq; Divinæ communione. 4. Ex officio Redemptionis & Mediationis, item Sacerdotali & Regio. 5. Ex vi vivificandi & purgandi à peccatis carni & sanguini Christi communicata. 6. Ex Exaltatione ad dextram Dei. 7. Et denique ex potestate judiciaria, Christo, quatenus filius hominis, commissa.

4. Et non parum quoq; momenti, ad demonstrationem cultus & honoris Christi hominis, facit similitudo illa quam habet Symbolum Athanasij de corpore & anima hominis: Quemadmodum caro & anima rationalis unus est homo: sic Deus & Homo, unus est Christus. Si itaq; Regem aliquis civiliter adorat, non solum animam sed & corpus ejus, tanquam objectum adorationis, intuetur, & corporis quoq; gestu supplex factus accuratè observat, an sereno vultu orationem su-

b) Matt. 2. 11. c. 15. 22. Luc. 17. 13. c. 18. 38. Ioh. 20. 28. Act. 7. 59.

c) Matt. 8. 2. c. 9. 18. 27 c. 20. 30. Luc. 5. 12. Ioh. 9. 35. 38.

nem suam audiat: Sic etiam, quia Deus & Homo in Christo unam constituunt Personam, propter illam ἕνωσιν καὶ συνάφειαν ὑποστατικὴν, invocata Deitate, simul quoq; invocationem religiosam carni assumptæ, non quidem ratione sui, sed ἑνώσεως, ut dictum, exhiberi, necesse est.

5. Quam sententiam Orthodoxi quoq; Patres amplexi sunt. Athanasius (d): Cognoscant tandem Arriani, nos qui Dominum in carne adoramus, non creaturam adorare, sed creatorem corpore creato indutum. Ibidem: Quod cum ita sit, qui fieri posset, ut corpus Domini undiquaq; Sanctissimum ab Archangelo Euangelizatum, à Spiritu S. formatum, amiculumq; λόγου Dei, non sit adorabile? Nazianzenus: Si quis non adorat crucifixum, anathema sit, & Dei annumeretur crucifixoribus. Cyrillus: Curvatur ei omne genu, accepit hoc secundum humanitatem. Damascenus: Caro secundum sui naturam non est adorabilis, adoratur autem in incarnato Dei verbo, non propter seipsam, sed propter conjunctum ipsi secundum Hypostasin Dei verbum. Et non dicimus, quod adoramus carnem nudam, sed carnem Dei, id est, incarnatum Deum. Augustinus: Ego Dominicam carnem, imò perfectam in Christo humanitatem propterea adoro, quod à Divinitate suscepta, atq; Deitati unita est. Theophilactus: Humana natura prius condemnata, nunc unita Dei verbo personaliter, in cælo sedet, & ab angelis adoratur.

d) In orat. 5. cont. Arianos. In Sermone Paschali. Dialogo 6. Lib. 4. de Orth. fide cap. 3. Sermone 8. in Ioh. tom. 10. f. 945. In cap. 28. Matt. f. 96.

6. Dictum verò Jeremiæ, quod tantùm de nudo & mero homine cum sua humana personalitate loquitur, ad Hominem Christum, qui, in Persona & λόγου existens, Deus est, non sine enormi & sacrilega blasphemia; accommodant. 1. Hoc modo enim ei omnem honorem & Majestatem Divinam detrahunt, nudumq; hominem ex eo faciunt. 2. Eumq; à Persona & λόγου Nestoriano more segregant, imò & Nestorio peiores, illum cultu adorationis privant. 3. Et maximam partem consolationis pijs conscientijs in cruce & calamitatibus adimunt.

7. Etsi

7. Etsi itaq; videri nolint, se cultum adorationis Christo Homini derogare, tamen ex Danæi perspicuis verbis in errore positis, id satis evidens est, quemadmodum Argumenta novem, quæ ibidem subjungit, quibus hanc suam sententiam confirmare annititur, demonstrant, quorum solidissimam refutationem apud Hunnium (e) reperies. Accedit abnegatio Majestatis communicatæ Christo Homini; cum enim Majestatem, cui soli cultus hic adorationis debetur, Humanitati assumptæ concedere nolint, sequitur etiam eam adorationis religiosæ non esse capacem.

e) In articulo de Persona Christi. f. 186

8. Quare quando Beza inquit (f): Nemo nostrum docet; hominem Christum non esse adorandum: sed duntaxat negamus, humanitatem adorandam esse: id secundum usitatam Cinglianam Allæosin sic intelligit: Deitas Homini Christo unita est adoranda. Atq; sic fumos ac spumas solummodo oris sui venditans, æquè Homini Christo, atq; Humanitati, sine qua homo nihil est, præter nomen sine re, cultum adorationis denegat. Id quod & ex illa ineptissima similitudine, de Principe coronato & manu tenente sceptrum: quemadmodum & ex distinctione, de toto Christo & toto Christi, satis superq; patet: Vt ex responsione D. Jacobi Andreæ in Colloq. Mompelg. videre est (g).

f) In Coll. Mompelg. f. 344.

g) f. 351. 354.

DE CALVINISMO

DISPUTATIO ELENCTICA
SEPTIMA
Complectens Matæologiæ Calviniana
examen, in loco
De

PRÆDE-STINATIONE.

Quam
Doctore & Ductore S. S. Spiritu
Sub Præsidio
M. PETRI HINKELMANNI.
Verbi Divini Ministri.
privatim defendendam suscipiet
HENRICVS RENNECHERVS
Osnab. VVestph.
Habebitur disputatio 16. Cal. Martij.

ROSTOCHII
Litteris Reusnerianis, Anno 1610.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0173
DFG

ΣΤΝ ΘΕΩ

DISPVT. ANTICALVINISTICA VII.

DE PRÆDESTINATIONE.

CONTINUATIO.

QVia Prædestinationem nostram, in Christo fundatã, ut oraculis Divinis edocemur, credimus, recto & convenienti ordine, articulo de Personâ Christi, 4. superiorib. disputationibus proposito, hunc de Prædestinatione filiorum Dei ad salutem subjungimus: quem etsi longè arduum & sublimem, altitudinem divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, & imperscrutabilia ejusdem judicia, abditamq; causarum abyssum continere, haud ignoremus; tamen in S. S. Scriptura eundem ad viam salutis sufficientem, & sat perspicuum nobis proponi certum est. Quare intra cancellos S. S. Scripturæ nos continentes, perplexas abstrusarum opinionum Calvinianarum in hoc articulo ambages, ad verbi Divini cynosuram, tanquam ad Lydium lapidem examinabimus. 1. In Prædestinatione salvandorum, 2. In Reprobatione damnandorum.

CAPUT PRIMUM.

De Prædestinatione.

Error Primus.

Deus occulto consilio, liberè quos vult elegit.

Calv. instit. lib. 3. cap. 21. §. 7. Herm. Rennech. in Catena f 36.

REFUTATIO.

Prædestinationem Calviniani à priori considerantes, ex occulto Dei consilio & decreto, sine ullo fidei in Christum respectu, absolutam certorum quorundam, quorum Deus misereri constituerit, faciunt. Qui error in hoc articulo est præcipuus & reliquorum omnium prora & puppis. In quo tamen, quemadmodùm & in toto

loco, ab illis dissidere videtur Nicolaus Hemmingius, qui satis orthodoxè in tractatione loci de Prædestinatione versans, hanc eius ponit definitionem (a): Prædestinatio est ordinatio Dei, qua ipse ante constitutionem mundi, secundum beneplacitum & consilium voluntatis per Christum & in Christo destinavit vitæ æternæ omnes in Christum redemptorem credituros: ut sint sancti & inculpati coram ipso: utq; laudem gloriæ gratiæ ipsius prædicent in omni æternitate.

a) In Syntagmate loc. de Prædest. thes. 15.

1. Respondemus itaq; non occultum Dei, in prædestinatione salvandorum esse consilium, verùm in S. S. Scripturâ revelatum; illudq; non absolutum, sed ordinatum atq; mediorum τῶν limitatum describi, his verbis: Elegit nos in Christo ante jacta fundamenta mundi. (b) In Christo verò eligi, phrasi Ebraeâ significat, per & propter Christum eligi. Quemadmodùm & Paulus ipse in sequentibus ita explicat: Prædestinavit nos in adoptionem filiorum, per Iesum Christum, in ipsum. Addens: In quo habemus redemptionem, per sanguinem eius. In quo etiam nos hæreditatem cælestẽ consecuti sumus. Sic alibi: Qui liberavit nos, & vocavit vocatione suâ sanctâ, non secundum opera nostra, sed secundum proprium propositum, & gratiam datam nobis in Christo Iesu ante tempora secularia. Hisce dictis vel solis illud absoluti, secundum occultum Dei consilium, decreti figmentum planè dissipatur & prosternitur.

b) Eph. 1. 4. 5. 7. 11. 2. Tim. 1. 9.

2. Quib⁹ aureã illã salutis nostræ catenã D. Pauli subjungimus (c): Quos præscivit, & prædestinavit, quos prædestinavit, hos & vocavit; quos vocavit, hos & justificavit, quos justificavit, illos & glorificavit. Hic loc⁹ illustrissimus catenatim cohærens, singulis suis annulis solidissimas nobis demonstrationes suppeditat, quib⁹ Electionẽ nostrã non absolutam, sed determinatam esse confirmemus. Primus annulus est πρόγνωσις; secundum quam, Prædestinationem factam esse Paulus affirmat: sed hæc refertur ad homines non absolutè, sed determinatione eius consideratos, in quo ipsa Electio fundata est, nimirùm Christo: Ergò prædestinavit Deus non absolutè, sed præcognitos in præ-

c) Rom. 8. 29.

præcognito, in quo fideles suos filios tùm præcognovit, tùm prædestinavit. Secundum membrum catenæ est vocatio, *indicans, tùm Electos in vocatorum cætu esse quærendum; tum maximè Deum in Prædestinatione suâ æternâ habuisse respectum vocationis & mediorum ad salutem ordinatorum: Ergò absoluta dici non poterit. 3.* Iustificatio; *quæ vult causas Prædestinationis & Iustificationis coincidere: At justificantur non nisi credentes: Ergò & illi sub determinatione fidei, & propterea non absolutè, Prædestinati sunt. 4.* Glorificatio *& salvatio, ex qua sic argumentor. Quoscunq; prædestinavit Deus, hos & glorificavit, ita ut omnes illi salventur: at salvantur non nisi credentes(d): Ergò non absolutè, sed fide in Christum, Deus homines ad salutem prædestinavit.*

3. Prætereà plurimæ rationes, ex S.S. Scripturæ locis illis depromi possunt, quæ Deum seriò velle hominis conversionem, & propterea media salutis proponere monent, ut homines ea amplectantur & acceptent, in Christum credant, & in fide constanter perseverent(c): quæ certè omnia cum illo Stoico & absoluto, in tabulis Parcarum designato decreto, stare non possunt. Cedant potius istæ Parcarum tabulæ Codici Sacro, qui nobis æternum mysterium salutis nostræ antea in Deo absconditum, non absolutum, sed certo ordine limitatum & determinatum describit & patefacit.

4. Quemadmodùm & ipsa executio hujus æterni decreti cum illo absoluto salvationis hominum proposito διαῤῥήδην *pugnat, quæ cum decreto omninò convenire debet. Non enim Deus aliter homines in æterno suo consilio decrevit salvare, quam eos salvat in tẽpore, & quẽadmodũ salvat homines in tẽpore, ita & ab æterno constituit. Cũ itaq; in executione videam⁹, Deũ actu neminẽ salvare, nisi per media certa ad salutem ordinata: etiã* ἀποδειτικῶς *convincitur, Deum ab æterno, absq; respectu horum mediorum neminem salvare decrevisse.*

5. Id enim si fecisset, aut placatus aut offensus elegisset: sed non offensus, id enim esset contra justitiam eius; Ergò placatus, postquã læsæ justitiæ sufficiens decreta fuit satisfactio, ad quam in proposito

d) Mar. 16. 16. Ioh. 3. 16.

e) Ezech. 18. & 33. 1. Tim 2. 4. 2. Pet. 3. 9. Matt. 28. 19. Mar. 13. 10. c. 16. 15. Act. 17. 30. 2. Cor. 5. 20. Ioh. 3. 16. c. 6. 40. Matt. 10. 22. Apo. 2. 10.

 eligendi

eligendi respexit. Fuit itaq; illud sufficiens λύτρον & satisfactio, in Deo causa beneplaciti eligendi, atq; propterea etiam Electionis. Quia beneplacitum voluntatis Dei, est summa causa efficiendi salutem, atq; propterea causa meritoria summum efficientem, suâ dignitate movere & impellere ad effectum potest, vel effectum ipsum producere: secundum regulam Logicorum: Quicquid est causa causæ, id etiam est causa causati. Quarè propter illum respectum satisfactionis justitiæ Dei, Prædestinatio absoluta non erit.

6. Et ut compendio dicam: si Prædestinatio in Stoico illo & fatali, omnem causarum τάξιν antegresso decreto Dei, absolvitur; quorsum verbum & Sacramenta, gratiam Dei & salutem offerentia: quorsum vocatio, prædicatio, adhortatio, consolatio, fidei collatio, vitæ emendatio, S. S. Spiritus donatio, confirmatio & obsignatio? &c.

7. A quo Stoico & absoluto Prædestinationis decreto Orthodoxi Patres abhorruerunt. Sic enim Fulgentius: Deus prædestinavit ad regnum, quos ad se præscivit misericordiæ prævenientis auxilio redituros, & in se misericordiæ subsequentis auxilio mansuros. Et Ambrosius: Ejus miserebor, quem præscivi post errorem recto corde reversurum ad me. Item: Illi sunt digni, qui filij promissionis sunt, id est, quos præscivit Deus, promissionem suam suscepturos, sive ex Judæis, sive ex gentibus.

8. Deniq; hujus absoluti decreti horrenda notentur portenta. Deum facit authorem damnationis, θεοσωπολήπτην, bilinguem, dolosum, injustum. Negat Prædestinationem ad salutem, quantum scire tenemur, plenè in S. S. Scriptura nobis revelatam, atq; sic imo perfectionis eam arguit, imò prorsus homines ab ea abducit. Omnem efficaciam, omnibus medijs à Deo ad salutem ordinatis adimit, & epicureum eorum contemptum inducit. Omnia pietatis exercitia tollit, precum quoq; ἐνέργειαν incidit, & earum fervorem extinguit, inq; certissimam securitatem vel desperationem præcipitat,

Error

Error Secundus.

Negamus Christum, quod ejus humanitatem aut mortem attinet, esse causam Prædestinationis nostræ. Martyr. in Cap. 9. ad Rom.

REFUTATIO.

Hic error ex priori sequitur, si enim absolutam faciunt Prædestinationem, meritum Christi excludi necesse est. Non verò hic de merito Christi ἀκριβῶς, quod superiori disputatione (a) factum, agemus, sed quatenus Prædestinationi tanquam ejus causa includendum est.

a) Disp. 6. Cap. 2. Ex. 1. 2.

1. Id quod superius allegatis S.S. Scripturæ dictis satis superq; demonstratur, quibus illa addi possunt, quæ Deum in suâ dilectione & voluntate salvandi homines, habuisse respectum ad filium suum testantur: Vt sunt (b); sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat. Hæc est voluntas Patris, qui misit me, ut omnis qui videt filium, & credit in eum, &c. Dominus posuit super illum iniquitates omnium nostrum. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenigenitum, misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. Vndè & omnibus illis, qui receperunt Christum, data potestas dicitur, filios Dei fieri. Hæc omnia dicta, Deum, in decreto Prædestinationis suæ æterno, habuisse quendam ad Christum respectum, solidissimè demonstrant.

b) Ioh. 3. 16. c. 6. 40. Esa. 53. 6. 1. Ioh. 4. 9. Ioh. 1. 12.

2. Quibus illa dicta, quæ nos per scientiam Christi justificari (c): Christum nos redemisse: iniquitates nostras deleviſse: à peccatis mundasse, & nos salvasse: cum Deo reconciliasse: Imò factum nobis esse à Deo, sapientiam, justitiam, Sanctificationem & Redemptionem, &c. testantur, addi possunt: Hæc enim omnia, ut sunt; Peccatorum deletio & emundatio, cum Deo reconciliatio, justificatio, sanctificatio, redemptio, salus & vita æterna: Prædestinationi æternæ inclusa fuisse, utpotè sine quibus hæc considerari non potest, certò certius constat. Quarè ὀφθαλμοφανεῶς constat, cum hæc

c) Esa. 53. 11. Act. 20. 28. Gal. 3. 13. c. 4. 4. 1. Tim. 2. 6. 1. Pet. 1. 18. Esa. 43. 25. 1. Ioh. 1. 7. Actor. 4. Rom. 5. 9. Col. 1. 20. 1. Cor. 1. 29.

hæc omnia à Christo ejusq́ merito promanent; Prædestinationem quoq́ absq́ Christo factam non esse.

3. *Aliàs sequeretur, nos alio modo finem nostræ Prædestinationis consequi, quam ab æterno ad eum consequendum præordinati fuerimus, quod certè ab omni pietate & ratione longè est alienissimum. Quia itaq́ finem cum initio omninò in Prædestinatione convenire, & à posteriori semper de ea judicandum esse, certum sit; negari quoq́ non potest, quia S. S. Scriptura finem Prædestinationis merito Christi acquisitum & determinatum nobis describit; non aliter quoq́ de decreto Prædestinationis, in consilio & beneplacito Dei æterno, facto, judicandum esse.*

4. *Liberatio enim & satisfactio, cum absoluto & fatali Dei decreto* Διαῤῥήδην *pugnat: Si enim absolutè ex sola beneplaciti & voluntatis Divinæ gratia & misericordia, absq́ ulla* λύτρου *& satisfactionis interpositione & consideratione, sumus Prædestinati, utiq́ satisfactione Christi non indigemus; at nos omnibus modis eâ indigere, S. S. Scriptura nusquam non inculcat, & propriâ nostrâ miseriâ & infirmitate edocemur. Ergò posito merito Christi ejusq́ satisfactione, quam Adversarij negare non possunt, absoluta illa Prædestinatio exspirat.*

5. *Quemadmodùm simili quodam id demonstrari potest. Captivi à Turca dimittuntur vel ex mera & sola gratia; hi non tenentur vel per se, vel per alium quempiam aliquod pretium solvere: sed absolutè ad liberationem ordinati, dici possunt: vel ex gratia verùm non sola, sed intervento certo liberationis pretio, quod vel ipsi, vel per alium, coguntur solvere: hi certè, quia facta fuit in decreto dimissionis, mentio solutionis, ad quam obligantur; non asolutè sine omni respectu ad liberationem ordinati, dici possunt. Sic etiam de Prædestinatione salvandorum judicandum; quia illa, sine Christi redemptione & satisfactione nobis non obtingit & applicatur; utiq́ sine eâ quoq́ in æterno decreto facta non erit.*

6. Tùm

6. Tum & S. quoq; Patres Prædestinationem absq; Christo non factam esse docuerunt. Primasius enim Apostoli verba: Elegit nos in ipso; ita explicat (d): Prædestinavit nos in Christo. Ibidem: In Christo electi & prædestinati sumus. Theophylactus: Benedixit nos per Christum, perindè ac elegit nos per ipsum. Ambrosius: Quicquid hominum in Christo præcognitum non est, nulla eidem ratione associabitur. Idem: De plenitudine membrorum corporis Christi, præscientia Dei, quæ falli non potest, nihil perdit, & nullo detrimento minui potest summa præcognita, atq; in Christo ante secula æterna præelecta. Chrysostomus: Vide quam diligenter Paulus loquatur, qui principium quidem nostræ salutis, propositum, consilium, primordium, ab ipso Patre esse, plenitudinem verò per Christum fieri, demonstrat.

d) In Cap. 1. Ephes. In idem caput. Lib. 1. & 2. de Vocat. Gent. ca. 10 In cap. 1. Ephes.

7. Deniq; ex hoc crasso errore, hæc crassa sequuntur absurda. Planè tollitur (ut Lutherus inquit, (e) incarnatio filij, passio & resurrectio, & quicquid fecit pro salute mundi. Quid proderunt Prophetæ ac tota Scriptura? quid Sacramenta? &c. Contemptus Christi, & conculcatio sanguinis illius non nocebit. In summa, illius Redemptione, satisfactione, reconciliatione, intercessione, &c. non indigebimus.

e) In Genes. f. 36.

Error Tertius.

Quia fides non à nostro libero arbitrio aut συνεργείᾳ, sed à solo Deo pendet: quadantenus absolutum est Dei decretum. Nam Deus fide nos donat, & donare ab æterno decrevit, & tales à se faciendos, i. e. fide donandos, ab æterno ad vitam æternam elegit.

Operũ Sohnii Tom. 2. loc de Prædest. f. 62. Tossanus de Pelag. th. 156. 157. Martyr. in cap. 9. Rom f. 955.

REFUTATIO.

Tertiam quoq; causam Electionis, fidei nimirùm respectum Calviniani excludunt; dum eam Electioni tanquam effectum substernunt. Nos verò, quia meritum Christi absq; fide nemini prosit, intuitum fidei omninò Prædestinationis decretum ingredi docemus.

2. Quia ita nobis S. S. literæ illud describunt; Deum elegisse nos

in fide veritatis (a): Nos fide stare, & si non permanserimus in incredulitate, olivæ veræ inseri. Vndè & fides illa in Christum, dicitur Electorum, non quasi πεφυκαῖοι illi, qui deficiunt, non habeant fidem; sed ut indicetur, Prædestinationem Electorum ad salutem, non esse absolutam, sed vera fide determinatam. Et Paulus mentionem in plerisque Epistolarum exordiis faciens voluntatis & gratiæ Divinæ in hominibus eligendis, Christo semper subjungit fidem.

a) 2. Thess. 2. 13. Rom. 11. 20. 23. Tit. 1. 1. Rom. 1. 7. 8. 1. Cor. 1. 4. 5. Col. 1. 3. 4. 1. The. 1. 1. 3. 2. The. 1. 2. 4. 1. Tim. 1. 1. 2. Philem. 3. 5.

2. Deindè ex variis fidei effectis, quibus S. S. Scriptura abundat, Electionem non nisi fide ordinatam statui debere, hoc unico syllogismo demonstratur. Ad æternam filiorum Dei Prædestinationem pertinet, ut placeant Deo, habeant remissionem peccatorum & pacem cum Deo, justificentur, adoptentur in filios Dei, vitam & salutem æternam consequantur; sine enim hisce omnibus, Prædestinatio æterni decreti non subsistere, imò ne cogitari quidem potest (b): At hæc & hisce similia Prædestinationis requisita, fidei in S. S. Scripturâ tribuuntur (c): Ergò eadem quoq; sine fidei respectu in æterno Prædestinationis decreto, imò decretum ipsum sine fide considerari non posse, vi ἀποδείξεως sequitur.

b) Rom. 8. 29. 30 c. 11. 5. Ephes. 1. 5. c) Ebr 11. Act. 10. 43. Rom. 5. 1 c. 3 28. c. 4. 5. 21. Gen. 15. 6. Ioh. 1. 12. c. 3. 16. Luc. 7. 50. Act. 4. 12.

3. Hisce sexcentas alias addere possemus rationes, sed una atq; altera sufficiat. Vt; Eadem est voluntas & gratia Dei nos eligentis, quæ est salvantis (d): At voluntatem Dei esse, ut fide salvemur, & gratiam Dei, quâ salvamur, nemini nisi fide prædito, contingere posse, S. S. literæ nos edocent (e): Ergò quoq; sine fide Deum non voluisse quenquam eligere, & gratiam eius quâ eligimur, habere neminem sine fide, & sic electum esse, constat.

d) Rom 11. 5. e) Ioh. 6. 40. Rom. 4. 16.

4. Tum quoq; gratiam Dei, quâ Electi sumus, in Euangelio nobis dulcissimis propositis promissionibus annunciatam & oblatam, non nisi fide apprehendere & applicare nobis possumus, sine quâ apprehensione & applicatione nobis gratia illa non prodest. Si enim vel millies Deus nos absoluta illa sua gratia prædestinasset, & non applicaretur illa prædestinatio, nullius nobis esset pretij. Quin &

ἄτοπον

ἄπαντα καὶ ἀδιάλογον hoc; Deum ex absoluta gratia sine applicatione nos prædestinasse; Ergò etiam ἀδιαφόρως, id sine fidei respectu factum non esse, sequitur.

5. Id quod & regulâ Logicorum illâ, quæ cuilibet Relativo suum correlativum respondere vult, doceri potest. Posito enim Relativo, Gratiâ nimirùm Dei, imò & merito Christi, ut antea demonstratum, simul quoq; fidem in Prædestinatione poni necesse est. Quemadmodùm enim gratia Dei non absoluta, sed relatè considerata, ut dictum; ita & meritum Christi nisi applicatum, quod absq; fide fieri non potest, nobis non prodest. Ergò manet hoc firmum fixumq;: nos non exclusâ, sed verâ & constanti fide, ad vitam æternam esse Prædestinatos.

6. Quâ in sententiâ Orthodoxâ, vehementer rectè sentiens Antiquitas, nobiscum consentit. Ambrosius (f): Ejus miserebor, quem præscivi posse errorem recto corde conversurum ad me. Item: Ne omnem Israël dixisse diffidentem putaretur, ostendit, non repulisse Deum hæreditatem suam quam præscivit, i. e. filios Abrahæ, quos fideles sibi futuros scit. Nec enim promitteret eis regnum, si sciret nullum ex his crediturum. Et: Ex iis, quos præscivit Deus credituros, nemo à promissione repulsus est. Hieronymus: Deus constituit secundum suum propositum solâ fide salvare, quos præscivit credituros. Idem: Non repulit Deus populum suum, quem præcognovit; illam plebem non repulit, quam præscivit esse crediturum.

f) In cap. 9. & 11. Rom. In Cap. 8. & 11. Rom.

Error Quartus.

Ab æterno voluit Deus, ut aliquibus prædicaretur Euangelium, aliquibus non.

Zanchius in Miscell. qu. f. 227.

REFUTATIO.

Calviniani vocationem faciunt particularem propter electionem. Sic enim Rennecherus (a): Quod Deus ipsos (reprobatos) non vocat, &c. hoc ideò fit, quia non elegit eos. Causâ igitur illis negatâ, effecta quoq; iis negantur, h. e. quos electione non dignatus est, illis etiam dona & beneficia, quæ electionis sunt effecta, denegat.

a) In Catena Cap. 19. f. 136.

1. *Sed & hîc Adversarij vel ob præconceptæ opinionis fascinum cæci sunt; vel ob cordis obdurati propositum malum, videre & intelligere nolunt, clarissima illa de universali omnium hominum vocatione dicta.* (b) *Euntes docete* omnes *gentes, & prædicate Euangelium* omni creaturæ. *In* omnem terram *exivit sonus eorum. Deus annunciat hominibus, ut* omnes *ubiq; pœnitentiam agant. Christum annunciamus admonentes & docentes* omnem *hominem.* In omnes *gentes oportet prædicari Euangelium. Apparuit gratia salutifera* omnibus *hominibus. Quæ certè dicta sua luce ita radiant, ut illustratione non indigeant.*

b) Matt 28. 19. Mar. 16. 15 Psal. 19. 5. Rom 10. 18 Act. 17. 30. Coloss 1. 23. Marc. 13. 10. Tit. 2. 12.

2. *Sed non tantum verborum perspicuitate, verùm etiam ipsa πράξει Apostolorum Adversarij in suâ opinione confunduntur. Teste enim Marco* (c), *Apostoli ex mandato Christi, profecti prædicaverunt* ubique; *id quod & in Actis Apostolorum & Epistolis Paulinis tàm abundè ostenditur, ut si loca omnia allegare vellemus, disputatio hæc nimium excresceret. Quod tamen non eâ intellectum volumus, quasi Apostoli omnes mundi angulos & urbes frequentaverint & præsentes viserint, sed quod sonus eorum, exierit in omnes fines terræ.*

c) Mar. 16. 20.

3. *Imò & ex trina illa solemni promulgatione verbi, vocatio universalis facilè obtinetur. Prima facta in paradyso, in quo Protoplasti promissionem seminis pro se & tota sua posteritate acceperunt, quam & Deus tribus Patriarchis sæpiùs repetivit, promittens quod in semine illorum benedicendæ sint* omnes gentes. *Secundam generalem vocationem Deus post diluvium Nohæ & suis liberis fecit, iniens pactum cum illis, & cum semine illorum* (d). *Et tertia illa fuit, qua Deus per filium suum, & Christus per Apostolos novissimis hisce temporibus toti terrarum orbi, & universis sub sole nationibus, variis linguis locutus est. Quod donum linguarum extemporale evidentissimum certè πεπρωμένον fuit, Deum velle, ut Magnalia suæ gratiæ & misericordiæ toti innotescant mundo.*

d) Gen. 9. 9. Ebr. 1. 1.

4. *Id quod etiam satis est perspicuum ex voluntate Dei antecedente,*

dente, gratiâ ejus & misericordiâ erga omnes homines, & merito Christi Catholico & universali, quo totum mundum redimens, pro peccatis omnium hominum satisfecit. Hoc si verum, ut est, certè ἀδιαπλώτως inde evincitur, vocationem oportere esse universalem. Quæ enim aliàs illa esset voluntas & gratia Dei erga omnes homines, si non iis patefieret? quid meritum Christi prodesset, imò quomodò pro totius mundi peccatis Christus diceretur satisfecisse, si non per vocationem universalem illius meritum toti mundo annunciatũ offerretur?

5. Deniq; ex illâ singulari gratiâ, quâ Deus tum in Veteri tum in N. Testamento, multos ex contemptorum numero, qui suâ culpâ & affectatâ ignorantiâ verbum ex manibus & cordibus excusserant, evocavit; satis superq; constat, Deum neminẽ absoluto aliquo decreto fatalis & particularis vocationis, à beneficiorum suorum fruitione exclusisse, sed semper voluisse, ut omnes ad agnitionem veritatis pervenirent & salvarentur. Propterea enim hinc indè unum atq; alterum evocatum, ad sui agnitionem perdũxit; ut veri Dei cognitio omnibus ubivis terrarum innotesceret, atq; sic hac occasione reliqui quoq; ejusdem nationis, abjectâ gentili idololatriâ, nomina sua vero Deo profiterentur: quemadmodùm id plurimis exemplis S. S. Scripturæ demonstrari potest (e). Quò pertinet ipsius Israëlitici populi, in meditullio ferè tunc habitatæ terræ, collocatio; & interdũ in longinquas terras abducta captivitas (f), eum in finem quoq; facta, ut verus Dei cultus & Divina ac stupenda miracula omnibus innotescerent, utq; abjectâ Idolomaniâ, Dei peculio aggregarentur, vel sic essent inexcusabiles.

6. Quod itaq; non quovis tempore omnes homines sint vocati, & non semper ubiq; actu Euangelium fuerit propositum, atq; sic vocatio plerumq; fuerit particularis, non hoc à Dei decreto absoluto pendet, sed aut majorum ingratitudini, aut posterorum malitiæ & contemptui, quo antecessorum vestigiis inhæserunt, imputari debet. Etsi itaq; vocatio ipsa per se, respectu Dei, & hominum rectè eâ utentium sit uni-

e) Gen. 12, 1. c. 39. 1, 2, 3. c. 46 1. 3. Exo. 1, 17. c. 18. 9. 10. Iosuæ 2 1 c 9. 4 f. Reg. 10. 1. 2. 2. Reg. 5. 1. Dan. 4. 1. Act. 2. 9.

f) Exod. 5. & seq. 2. Reg. 17. 6. c. 24. 24. c. 25. 11.

sit universalis; tamen ex accidenti, vitio nimirum hominum contemnentium & non curantium, qui affectatæ suæ ignorantiæ rationes reddere non possunt, sæpè fit & dicitur particularis. Quemadmodùm varias contemptus verbi causas, quibus ex parte hominum, vocatio illa particularis fuerit reddita, S. S. Scriptura recenset (g).

g) Genes. 4. 6. 8. c. 6. 3. c. 9. 22. c. 11. 4. c. 13. 18. c. 18. 20. c. 21. 9. c. 27. 41. Exod. 5. 2. Iudic. 2. 7. 10. c. 3. 5. 6. 3. Reg. 11. 1. 2. 3. c. 12. 28. Matth. 13. 18. c. 23. 37. Luc. 8. 5. c. 14. 18. Act. 13. 46.

Error Quintus.

Rennecherus in catena Cap. 24. f. 167.

Solida & distincta veritatis Euangelicæ cognitio, solis Electis est propria. Hic majoris lucis ergò notandum est, Deum verbo quidem suo omnibus in tota Ecclesia voluntatem suam exponere: sed spiritu suo solis electis eam patefacere, & cognoscendam præbere.

REFVTATIO.

Quemadmodùm duas potissimùm de voluntate Dei opiniones, de quibus capite secundo, ita & hanc alteram de vocatione fovent nimis heterodoxam: Deum nimirùm in æterno suo decreto, quibusdam, (inter eos qui audiunt Euangelium) ijsq; electis, veritatis Euangelicæ cognitionem patefacere, & fidem dare ad salutem; aliis non dare (a): atq; sic ab externa verbi prædicatione, internam Spiritus Sancti operationẽ segregãt, (de qua parte erroris infrà σὺν Θεῷ disputat. 14. agemus) & hujus certorum quorundam illuminationis causam in absolutum decretum, more suo rejiciunt: cujus absurditatis Theologicæ refutatio, hujus est loci.

a) Zanchius in Miscell. quæst. f. 227.

1. Respondemus itaq; verum quidem esse, cognitionem veritatis Euangelicæ ad salutem, non omnibus patefieri, nec fidem veram omnibus dari, sed causam ignorationis, non in absoluto Dei decreto, sed in hominib° residere, Christus ipse docere voluit in suis parabolis, de bona ac mala arbore (b): viro stulto ædificante super arenam: quadruplici semine: Semine bono: Patrefamiliæ conducente operarios in vineam: Cænâ magnâ, &c. Tùm & plura alia S. S. Scripturæ nobis suppetunt dicta, quæ non in Deum hujus defectus, quod plurimi

b) Matth. 7. 17. 26. c. 13. 3. 24. Luc. 8. 4. Matt. 20. 1. c. 22. 2. Luc. 14. 16.

rimi verbo non credant, causam, sed in homines ipsos transferunt, qui illud vel contemnant & audire nolint (d): vel studio novitatis & curiositatis, aut fascinati præjudicio & propriâ opinione, ac obstinato corde audiant: alij odio erga ministros Pharisaico & diabolico æstuent: aut propter gratiam mundi & lucellum exiguum, veritatem amplecti detrectent.

d) Matt. 22. 3. c. 23. 37. Act. 13. 46. Luc. 14. 18. c. 8. 9. 10. c. 22 8. Act. 17. 21. Matt 23. 29. 30. 46. Ioh. 8. 52. 53. Ezc. 33. 30. Luc. 11. 15. Act. 6. 9. 11. 12. c. 7. 54. Ioh. 6. 26. c. 12. 42.

2. Deindè & ex fine vocationis & prædicationis, ipsi Deo proposito, erroris falsitas nullo negotio patet. Propterea enim generale habebant Apostoli mandatum eundi in mundum universum & prædicandi Euangelium, ut docerent omnes gentes sine discrimine: Ergò ex illâ generali vocatione, quantum quidem ad intentum Dei spectat, institutio omnium evincitur hoc syllogismo: Ad quos pertinet vocatio & Euangelij annunciatio, ad illos etiã veritatis cognitio & Euangelii patefactio: At vocatio & annunciatio spectat ad omnes, ut superiori errore probatum: Ergò & agnitio & illuminatio. Eodem modo & ab antecedenti & universali Dei gratiâ & merito Christi, quæ sine sui cognitione non nobis sunt usui, etiam & hîc, ut antea factum, concludere certò possumus.

3. Ex proprietate quoq; & efficacia multiplici, quæ S. S. Scripturæ tribuitur, satis liquidò constat, ejus cognitionem non solis Electis esse propriam, sed omnibus quibus proponitur communem: neq; occulto quodam decreto huic vel illi, sed mediatè per prædicationem omnibus, quamvis non eodem modo, patefieri. Dicitur enim potentia Dei ad salutem omni credenti (e): Vivus Dei sermo & efficax, omni gladio ancipiti penetrabilior: ita ut sit his odor vitæ ad vitam. & conducat ad doctrinam, patientiam, consolationem & spem vitæ æternæ excitandam fovendam & augendam; Illis verò odor mortis ad mortem, & faciat ad correctionem, redargutionem & comminationem proponendam & exacuendam. Utrosq; itaque cognitio veritatis propositæ non latet, illos ad pœnitentiam & salutem, hos ad majorem eorum condemnationem, ut sint inexecusabiles. De illis, quod

e) Rom. 1. 16. Ebr. 4. 12. 2. Cor. 2. 16. Rom. 15. 4. 2. Tim 3. 16.

quod habeant veritatis cognitionem, non dubitatur, horum verò cognitio ex S. Codice probatur (f).

4. Quin & ipsa perfectio & perspicuitas S. S. Scripturæ, non sinit attendentem lectioni & auditui verbi, sui cognitione carere; id quod & dictis & exemplis S. S. Scripturæ satis abundè in veris & falsis Ecclesiæ membris probari potest (g). Non quod homo suâ attentione & diligentia ad cognitionem verbi per se venire possit, sed quod Deus huic medio suam efficacem erudiendi potentiam alligaverit, ut omnis, omnis inquam, sedulò hoc verbum audiens, legens & meditans, per operationem Spiritus Sancti, perfectione & perspicuitate verbi, ad ejus cognitionem perduci possit.

f) Mich. 6. 8. Deut. 10. 11. Matth. 22. 16. Acto. 18. 28. 2. Pet. 2. 1. Ebr. 10. 29.

g) Matt. 22. 16. Ioh. 3. 2. Ioh. 5. 39. c. 12. 42. Acto. 2. 41. c. 17. 11.

5. Id quod ex fine ejus salutaris agnitionis, vitâ nimirum æterna evincitur; à qua Deus neminem excludit, sed eam omnibus offert, tanquam promeritam à Christo, & vult, ut eam omnes apprehendant & sibi applicent. Jam verò sine vera pœnitentia & conversione ad Deum, quæ est notitia sui & Christi; sine vera Dei cognitione, in qua consistit vita æterna; sine vera & constanti fide, cujus finis est vita æterna; vitam quoq; & salutem æternam consequi nemo potest (h): Ergò etiam negari nec potest nec debet, cum Deus nulli finem fidei, vitam nimirùm æternam, invideat; nullum etiam à mediis deducentibus ad illam vitam, salutari nimirùm cognitione & vera fide, quæ percipitur ex verbo, excluserit.

b) Eze. 33. 11. 1. Tim. 2. 4. 2. Pet. 3. 9. Ioh. 17. 3. 1. Pet. 1. 9.

6. Hisce plures addi possunt rationes, sed ne simus hic nimis multi, sequentibus syllogismis eas breviter posuisse sufficiat. Si, quod ad cognitionem mysteriorum cœlestium attinet, hodiè Christiani sub N. T. sunt potiori & clariori conditione, quam olim Iudæi sub V. T. erant; & illis omnibus ex æquo lex, ut illam perdiscerent & non ignorarent, proponebatur; sequitur etiam ulli ex Christianis, in N. T. quibus maxima perspicuitate & claritate Euangelium de Christo proponitur, cognitionem veritatis cœlestis ignotam esse non posse nec debere: Sed verum prius: Ergò & posterius.

7 Si omnes, quibus verbum Dei proponitur & qui illud amplectuntur, solidè ac utiliter in eo instituendi, ex eo redarguendi, ut

veram

veram pœnitentiam agant & fidem ex auditu consequantur; atque sic in vera pietate confirmandi sunt; certè necesse est, ut non tantum personet verbum in auribus eorum instar æris tonantis, verum etiam ut feriat corda, atq; eos ad veritatis agnitionem perducat: Sed verum antecedens: Ergò & consequens.

8. Si omnes Christiani omnia probare, & verbum Dei scrutari, & meditari die nocteq; (i) tenentur, quod tùm demùm rectè & utiliter fit, cum illud probè cognitum habent, & sibi familiare redditum, profectò omnibus quoq; Christianis verbi veritatisq; Divinæ cognitio familiaris esse debet: Sed prius extra controversiam: Ergò & posterius.

i) 1 Thess. 5. 20 Ioh. 5. 39. Psal. 1. 2.

Error Sextus.

Prædestinationis decretum est certum ac definitum, & tàm reprobatorum quàm Electorum status & conditio est incommutabilis ordo: sic ut reprobi non possint fieri electi: nec illorum nec horum numerus augeri, minuive queat. REFVTATIO.

Rennech. in Catena. ca. 21. f. 147.

Certum esse & definitum Electorum numerum, respectu præscientiæ Dei, secundum illud Pauli; quos præscivit, hos prædestinavit: & etiam eodem respectu, nec augeri nec minui posse, ultrò largimur. Sed quod sit ille numerus propterea fatalis, qualem Sacramentarii somniant, & ita respectu nostri certus & absolutus, atq; status & conditio Electorum, tàm incommutabilis ordo, ut qui Electus sit, necessariò salvetur, qui verò non, necessariò damnetur. Et quod propterea hic numerus simpliciter non possit augeri minuivè: Id certè ut heterodoxum & à S. S. Scriptura alienum, acceptare non possumus.

1. Hujusmodi n: fatalem & simpliciter absolutũ numerum, ad certa individua necessariò alligatũ S. S. Scr: ignorat. Christus n: de Tyriis Sidoniis & Sodomitis, qui perierunt, affirmat, eos per tot miracula, quot in Corazin, Bethsaida & Capernaum edita sint, conversos, in cinere & cilicio pœnitentiam egisse, atq; sic salvari potuisse; Gali-

laos verò, qui usq; in cœlũ exaltati, videantur electi, cum satis abunde suppetant illis salutis media, quia verò illa acceptare & tempus visitationis gratuitæ agnoscere nolint, in infernũ usq; abjectũ iri (a). Cui astipulatur D. Apostolus: de Ethnicis conversis scribens, quod olim oleastri, nunc olivæ inserti, socij radicis & pinguedinis illius facti sint: non quasi non possint rursum exscindi, sed ut timeant, ne fortè, si naturalibus ramis non pepercit Deus, nec illis parcat. Et de rejectis Iudæis inquit, si in incredulitate non permanserint, fore ut rursum inserantur. Hæc certè Christi & Pauli, omni exceptione majora testimonia, illum fatalem Electorum numerum, qui augeri, minuive non possit, funditùs evertunt.

a) Matt. 11. 21. 23. Rom. 11. 17. 18. 21. 23.

2. Tùm & ille pugnat cum universali Dei voluntate, qua vult Deus omnes homines converti & salvos fieri; quæ certè universalis esse non posset, si absolutè certos Deus elegisset. Imò & meritum Christi universale quomodò consistet, si simpliciter & necessariò numerus Electorum augeri minuive non possit? Et quo animo Deus manum extendet ad illos, quos seriò non velit converti? Si velit seriò, fatalis non esse potest numerus. Quin & affectu non candido, (quod absit, ut de lachrymis Christi pronunciemus) Christus interitum urbis Hierosolymæ deflevit; si impossibile fuerit illos in numerum electorum recipi potuisse.

3. Forma quoq; electionis, quæ mediorum τάξει describitur, huic fatali numero contradicit. Non n: Deus absolutè hũc & illũ elegit, ut sic fatalis electorum numerus emergeret, sed sub determinatione & respectu mediorum, quatenus illa constanter amplectitur. Cum v. ad illa media homines contingenter se habentes, ea amplecti & rejicere possunt, utiq; & propter illam varietatem, ἐξ ὑποθέσεως de numero electorum, respectu hominum, non aliter judicare debemus.

4. Deniq; & huic fatali Electorum & Reproborum numero, repugnat exempla in S. S. Scriptura passim obvia: peccatorum publicanorum & Ethnicorum, qui ante conversionem extra Christum, alieni à promissione atq; sic extra numerum Electorum, teste scriptura (b) fuerunt,

1. 2. Reg. 5. 11. 8.

runt, sed conversi, & finali in fide perseverantia præditi, in electorum numerum fuerunt adsciti: deinde & justorum, qui, cum antea potuerint, nisi desciviſſent, in numero Electorum fuisse, avertentes se à suâ justitiâ, hac spe excidunt, ita tamen ut si rursus convertantur, non fataliter sint exclusi.

Error Septimus.

Quos Deus æterno & arcano suo consilio, ad gratiam & vitam æternam ordinavit, his etiam donat fidem & Spiritum sanctum: quem retinent quoq; & minimè amittunt, etiamsi interdum peccent, sicut Davidi accidit. Notandum hîc est, quòd Electi his vel illis lapsibus, fidem & spem non excutiant & amittant. Vera enim fides & spes, ut à Deo datur, sic etiam à Deo conservatur. Sæpè complures ex Electorum numero sunt, qui vitam pessimam ducunt.

Beza Coll. Mompelg. f. 460. Operū Sohnii tom. 2. loco de fide f. 853. Rennecher. in scripto suo apologetico f. 132. 135. Idem in Catena f. 157.

REFUTATIO.

Fatalem hanc salutis certitudinem, quâ Electos enormibus etiam delictis; ne quidem temporaliter (nam de finali defectione & excisione, negativa utrinq; est sententia) excidere posse blaterant, varijs illi pingunt similitudinibus; à scintillâ sub cineribus sopitâ: à semine relicto: ab ebrio rationis usu carente: à lethargo laborantibus: à fundamento, terræ motu & fulmine concusso & debilitato: ab Echo in concavis locis resonante, &c. sumptis; sed omnia hæc sunt inventi humani suavia somnia, quibus hic error probari & excusari haud potest.

1. Sed ad Cynosuram verbi examinandus est, & tùm, quantum illi tribuendum, patebit. Non verò hic ea dicta, quæ de justorum & renatorum, de quibus hîc non quæritur, defectione intelligi possunt; sed quæ de Electorum maximè, eâq; totali defectione agunt, producemus. Quale est illud Christi ad discipulos à se electos, ubi inquit: manete in me, & ego in vobis: sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me

manseritis (a): Cum hac certè admonitione, fatalis illa permansio stare non potest: aliàs enim illam frustra Christus instituisset. Sic Paulus, postquam de Iudæis propter incredulitatem excisis disseruisset, admonet rursum insertos; non tantum renatos, sed & Electos in Individuo his verbis alloquens: Propter incredulitatem fracti sunt: Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Vide ergò bonitatem & severitatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate. Vndè & Timotheum hortatur, ut militet bonam militiam, retineat fidem & bonam conscientiam: idá propterea, quia quidam deficientes, circa fidem uaufragium fecerint.

a) Ioh. 15. 4. Rom. 11. 20. 1. Tim. 1. 18.

2. Deindè & exemplis admodùm perspicuis, Electos gratiâ Dei, quamvis non finaliter, excidere tamen posse, probatur. Protoplasti enim, quos Electos fuisse nemo credo negabit, per lapsum, ex sententiâ illâ decisivâ; morte morieris: gratiâ Dei exciderunt; quod inde etiam constat, quod per promissionem seminis, vicissim fuerunt recepti. Aaron per Idololatriam, nisi cum illa Spiritum S. & fidem stare posse ἀθεολόγως defendere coneris, certe Spiritum S. abjecit, & fidem abnegavit. David per adulterium & homicidium Spiritum S. amisit, quod ex propria eius confessione, quâ ante conversionem seipsum, quamvis inscius nominat filium mortis (b): deindè & ex petitione constat, quandò jam conversus orat: Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me: Ergò antea amisit, & deinceps potuit amittere, aliàs ita non orasset. Deniq; & cum hiscè peccatis fidem & Spiritum Sanctum subsistere non posse S. literæ testantur (c). Petrus abnegationem Christi perjurio confirmans, gratiam & favorem Dei amisit: secundum illa dicta: Qui me abnegaverit coram hominibus, abnegabo & eum coram patre meo cœlesti. Quem mei puduerit & meorum sermonum in natione istâ adultera & peccatrice: filium etiam hominis pudebit eius. Qui vult animam suam salvam facere (sicut Petrus abnegatione facere voluit) perdet

b) 2. Sam. 12. 5. 7. Psal. 51. 13.

c) 1. Cor. 6. 9. Gal. 5. 19. 20. 21. Eph. 5. 5. Apoc. 21. 8.

perdet eam(d). Et deniq; Christus ad Petrum inquiens; tu aliquando conversus confirma fratres tuos: eum excidisse gratia Dei haud obscurè indicat. Sic gentium Apostolus, quem Electum fuisse nemo negabit, de se inquit: Castigo corpus meũ, & in servitutẽ redigo, ne fortè, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar (e). Ex hisce tùm dictis tùm exemplis, Sole meridiano clarius patet, Electos etsi non finaliter, totaliter tamen Spiritum Sanctum & fidem amittere, atq; gratiâ Dei excidere posse.

d) Matt. 16. 22. Marc. 8. 34. 38. Luc. 22. 32.

e) 1. Cor. 9. 27.

3. Quibus ἀπὸ βραχέων, rationes hasce subjungimus. 1. Quia Electi etiam sunt peccatores, qui suas non tantùm habent infirmitates & nævos, sed sapè etiam in gravissima eaq; notoria peccata prolabuntur, cum quibus fides & Spiritus sanctus ut subsistat, est impossibile (f) 2. Indigent Pœnitentiâ quotidianâ. 3. Opus habent medijs; prædicatione verbi, Cœnâ Domini, quâ fides in ijs confirmatur. 4. Et orandum illis est pro remissione suorum peccatorum cum omnibus sanctis. Ergo negari non potest, Electos quoq; gratiam & Spiritum sanctum amittere posse.

f) Gen. 19. 33. 35. Exod. 20. 11. 12. 2. Reg. 11. 4. c. 24. 10. Ioh. 18. 25. c. 20. 25. Psalm. 32. 6. Prov. 24. 16.

4. Quam sententiam & Orthodoxi quoq; Patres professi sunt. Chrysostomus (g): Charitas ex se nunquam excidit, sed nos ab illa interdum excidimus. Augustinus: Credendum est, quosdam de filijs perditionis, non accepto dono perseverandi, neq; ad finem in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere vivere, & aliquandiu fideliter & justè vivere, & postea cadere. Primasius: Illi qui in baptismate remissionem peccatorum acceperunt, abnegando Christum à fide prolapsi sunt. Item: Christum conculcant, qui malè vivendo de tabernaculo cordis sui eum expellunt. Quin & quidam ex eorum gregalibus (h) hanc sententiam amplexi sunt.

g) In 1. Cor. 13. Lib. de Corrept. & grat. cap. 13. In cap. 6. & 10. Ebr.

h) Hemmi. in cap. 14. Rom. Gualt. in Epist. ad Gal. Antiluthe-rani Witteberg. Anno 70.

Caput Secundum.

De Reprobatione.

Error Primus.

Duplex Dei voluntas, alia abscondita seu Beneplaciti: alia revelata seu Signi: secundum hanc quidem

Beza resp. 2 ad Collo. Momp. f. 125.

Sturmius de Prædestinat. f. 92. 93. Zanchius in Miscellan. f. 291.

in Evangelio miseris peccatoribus gratia offertur & promittitur: secundum illam tamen, maximam partem vult damnare.

REFUTATIO.

Distinctionem hanc de voluntate Signi & Beneplaciti quam à Scholasticis Doctoribus mutuati sunt, non orthodoxo illo sensu, quo ab illis tradita (a), & etiam à D. Luthero approbata, à plerisq; retinetur, intelligi volunt adversarij, sed hanc illi planè faciunt contrariam; ita ut in æterno illo suo beneplacito, aliter de salute hominum disposuerit Deus, quam in verbo suo revelaverit & significaverit.

a) Lombardus lib. 1. dist. 45. In Gen. Cap. 6. f. 116. 117.

1. Quæ certè opinio blasphemiâ suâ summâ abominabilis, SS. Scripturæ Ἀναῤῥήδλω repugnat: quæ testatur Deũ seriò, seriò inquã, & non simulatè vel dolosè, velle mortem etiam peccatoris (b), quæ est voluntas signi & revelata, multò magis etiam beneplaciti & occulta, quæ revelatæ contraria esse non potest, sed cum ea in universum consentit: quia ex occulta beneplaciti voluntate misit filium suum toti mundo; & in revelata voluntate signi, antecedens illud suum beneplacitum patefecit, & jurejurando confirmavit: Vivo ego, inquiens, nolo mortem peccatoris. Quis verò, nisi extremè blasphemus, hoc Deum seriò, etiam ante revelationem non voluisse, vel jusjurandum eius menti & voluntati esse contrarium, diceret? Hisce alia dicta, quæ Deum in veritate suâ immutabilem, quod sentiat, dicere, & quod dicat facere; & omnes promissiones in Iesu Christo esse ita & amen, affirmant (c), subjungi possunt

b) Ezech. 33. 11. 1. Tim. 2. 4. 2. Pet. 3. 9.

c) 2. Cor. 1. 20.

2. Quin & ipse filius Dei missus in carnem ad redimendum genus humanum, illud beneplacitum SS. Triados, quod nemo unquam scivit vel audivit, ex sinu Patris prolatum, nobis hominibus patefecit (d). Si verò alia esset occulta, quàm revelata Dei voluntas, sequeretur; Christum, vel non omne de nostrâ salute consilium, vel diversum à decreto, patefeciisse: quod absit, ut de Christo fideli

d) Ioh. 1. 18.

Dei

Dei servo, cogitemus, qui ipse inquit (e), quod omnia, quæcunq; audiverit à Patre suo, nota nobis fecerit. Non itaq; diversa, sed eadem illa voluntas in æterno illo Dei decreto nobis antea abscondita, postea in plenitudine temporis per missum filium fuit revelata, eaq; tota, ita ut jam non aliam nisi revelatam noverimus Dei voluntatem, teste Apostolo, qui inquit (f): ut notum faceret (Deus) nobis, mysterium voluntatis suæ, secundum beneplacitum eius, quod proposuit in Christo.

e) Ioh. 15. 15.

f) Eph. 1. 9.

3. Accedit testimonium omnium Apostolorum, qui Auctoritate & mandato Christi instructi, & in universum mundum missi, prædicârunt Evangelium & mysterium à seculis absconditum (g), & sermonem fecerunt de omnibus quæ Iesus fecit & docuit, annunciantes quæ viderunt & audiverunt. Quare & Paulus inquit: Non subterfugi, quo minus annunciarem vobis, omne consilium Dei: Quod accepi, id tradidi vobis. Licet itaq; nos aut angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, Anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: si quis vobis evangelizaverit, præter id, quod accepistis, Anathema sit. Quod certè, de omni consilio Dei nobis patefacto, evidentissimum & infallibile, anathematis fulmine in seipsum ab Apostolo, & angelum quoq; de cælo, armatum testimonium; falsam illam adversariorum, de voluntatis absconditæ, à revelata longè dissidentis, imò illi contrariæ, traditione, quam SS. Scripturæ ignorat; ad orcum & Rhadamanti tribunal relegat.

g) Rom. 16. 25. Eph. 3. 4. 5. 9. Col. 1. 26. 2. Tim. 1. 9. 10. Tit. 1. 2. 3. Act. 1. 1. 1. Ioh. 1. 3. Act. 20. 26. 1. Cor. 11. 23. c. 15. 3. Gal. 1. 8.

4 Tum & illâ Theologorum Maximâ, quâ in Deo contradictorias non esse voluntates dicitur; hoc cerebelli Calviniani figmentum de voluntate D E I absconditâ, eaque revelatæ contraria, planè dissolvitur. Quicquid enim de voluntate Divina in verbo nobis revelatum est, eius contradictionem impossibile est esse veram: ac proindè nulla de Deo cogitari debet aut potest voluntas occulta, quæ revelatæ repugnet, imò quæ tota, quo ad salutis nostræ negotium, revelata non sit. Quia itaq; in verbo nobis revelata

revelata est hæc voluntas Dei, quæ seriò & constanter omnium hominum conversionem & salutem expetit; huic ex toto repugnans & contraria illa occulta Dei voluntas; quam beneplaciti vocant, quâ Deus maximam mundi partem æternis addictam velit cruciatibus, est impossibilis & summè blasphema, ac propterea, ceu cane & angue peior fugienda & aversanda.

5. Deniq; hic error tot scatet blasphemis absurdis, ut jure monstrosus dici possit, ex quibus singulis, rationes solidissimæ contra Adversarios desumi possunt. Si enim Dei occultum aliquod sit beneplacitum, quod revelatæ voluntati sit contrarium, sequetur: Deum habere Hyænæ & Crocodyli ingenium; aliud velle & agere, aliud verò loqui, atq; sic esse hypocritam hypocritarum, ψεύδλω, perjurum, non sincerum, dolosum: peccare contra legem, quam ipse tulit (h): Christum nobis non omne, vel diversum à decreto æterno, consilium annunciasse; undè blasphemia falsitatis & doli mali in Christum, (quem Beza bonum dolum appellare non veretur) & omnes eius Apostolos amanuenses, tum & imperfectionis, in S. S. Scripturam redundaret: Imò Christum, omnes invitando ad se, & docendo se venisse ad servandum quod perierat &c. ludificasse homines: Homines in barathrum desperationis, ex dubitatione gratiæ Dei promissæ incertæ, præcipitari: Orando ut voluntas Dei fieret, homines sibiipsis peccata & æternam damnationem imprecari: tàm peccando, quàm benè operando fieri voluntatem Dei.

h) Exod. 20. Matt. 5. 37.

Error Secundus.

Deus non vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, etsi Paulus 1. Tim. 2. expressè ita doceat: dictio enim omnes, non singulos generum, sed genera singulorum complectitur.

Sturmius de Prædest. f. 89. 90. Beza Resp. 2. ad Coll. Momp. f. 194.

REFVTATIO.

Alter hic est, vicinus priori error Adversariorum, de voluntate Dei, eâq; potissimum revelatâ; non verò consequenti, ut ex Damasceno eam distinctionem retinemus, sed antecedenti, qua

Deum

Deum nolle, audacter pronunciant, ut omnes homines ad salutem convertantur. Quam audaciam cum aperta falsitate conjunctam, quidam ex gregalibus veritate verbi convicti, improbantes: contrariam nobiscum tuentur sententiam. Sic enim Henricus Bullingerus (a) vult ille (Deus) omnes homines salvos fieri, neminem excludit. Vndè liquet, quod bonam illam Dei voluntatem attinet, ipsum quidem velle omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire, & proindè quod alij veniunt, non esse humani meriti, sed Divinæ voluntatis & gratiæ. Idem sentit & Hemmingius.

a) In Epist. 1. Tim. 2. In Syntag. loc. de Prædest. th. 29. 35.

1. Respondemus itaq; ad errorem: Si quisquam alius, certè hic nimis apertè S. S. Scripturæ in os contradicit; quæ affirmat, Deum jurejurando se obstrinxisse, quod nolit mortem peccatoris, sed ut cõvertatur & vivat: Quod non velit unum, *etiam ex parvulis perire, sed omnes ad agnitionem veritatis pervenire, pœnitentiam agere, & salvos fieri (b). Propterea n: Deum dilexisse* mundum, *& omnes in incredulitatem concluisse, ut* omnium *misereretur. Et Deum Patrem secundum beneplacitum suum proposuisse, in dispensatione plenitudinis temporum, sub unum caput reducere* omnia *in Christo. Imò & illorum velle salutem, qui non salvantur.*

b) Ezech. 18. 33. c. 33. 11. 1. Tim. 2. 4. 2. Petr. 3. 9. Matt. 18. 14. Ioh. 3. 16. Rom. 11. 32 Ephes. 1. 9. Esa. 65. 2. Matt. 23. 37.

2. Deindè etiam Deus missione filij sui, & vocatione omnium hominum universali, de qua superius egimus, satis superq; universalem suam omnes homines salvandi voluntatem testatus est. In hoc enim apparuit charitas Dei in nobis; quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum (c): in quo posuit iniquitatem omnium *nostrum; ut tolleret peccata* mundi; *atq; sic propitiatio esset, non pro aliquorum tantùm, sed etiam pro* totius mundi *peccatis. Propterea quoq; jussit doceri* omnes *gentes, & Euangelium prædicari* omni *creaturæ; imò & Deus ipse annunciare dicitur hominibus, ut* omnes *ubiq; pœnitentiam agant (d).*

c) 1. Ioh. 4. 9. Esa. 53. 6. Ioh. 1. 29. 1. Ioh. 2. 2.

d) Mat. 28. 19 Matt. 16. 15. Act. 17. 30.

3. Ex statu πληρότητος, *in quo Protoplasti conditi sunt ad imaginem Dei pro tota posteritate, si in innocentia perstitissent, evidentissimè probari potest, Deum omnes homines velle salvos fieri. Eo*

enim fine Deus condidit homines ad imaginem suam, ut ea in totam posteritatem propagaretur, atq; ita salvarentur omnes; ergò certè illorum omnium voluit salutem; quam voluntatem Deus, etsi homo turpiter per accepti mandati prævaricationem, arbitrij sui libertate abusus, defecerit ab eo; tamen non mutavit, sed restaurationem imaginis, per media salutis oblata toti mundo, instituit.

4. Quin & simili illo, à storgis parentum in liberos, quas Deus æquare, imò longè superare nusquam non in S. S. Scriptura dicitur (e), Deum non posse velle ullius hominis mortem, facilè obtinetur. Illarum enim storgarum est tantùm quasi idea & vestigium quoddam in homine, longè verò omnium excellentissimæ & summæ sunt in Deo. Sed nunquid mater potest oblivisci infantis sui, & pater filio suo petenti dona bona denegare, atq; sic parentes non benè velle & cupere suis? Ergò multò magis Deus hominibus, quorum se parentem nominare non dedignatur, optimè cupiet, & non ullius mortem volet, sed ut omnes convertantur & vivant.

e) Ps. 103. 13. Esa. 49. 15. Ier. 31. 3. 20. Matt. 7. 11. Luc. 11. 13. Rom. 8. 15. Gal. 4. 6. 1. Ioh. 3. 1.

5. Similiter quoq; Dei mandata & promissiones, nobis voluntatem eius verè paternam erga omnes commendant. Impossibile enim est Dei voluntatem cum eius mandatis & promissionibus pugnare. Cum itaq; Deus nobis passim in suo verbo mandata proponat, & præsertim illud de audiendo filio graviter inculcet (f); vult certè ut omnes illum audiant, ex auditu fidem concipiant, atq; sic per fidem salventur. Eodem modo & ex promissionibus gratiæ universalibus, subindè in S. S. Scriptura omnibus factis (g), infallibile testimonium misericordissimæ Dei voluntatis erga omnes homines desumi potest.

f) Matt. 3. 17 c. 17. 5.

g) Mat. 11. 28 Rom. 10. 11. c. 11. 32.

6. Tùm & obsignatio gratiæ, quam per baptismum omnibus Deus proponit & promittit, solidissimum nobis paternæ voluntatis fundamentum suppeditat. Dum enim jubet baptizari omnes gentes; utiq; verissimè quoq; vult illis omnibus suam gratiam & misericordiam obsignari. Nam aliàs, si nimirùm salutem, quam baptismo obsignat,

signat, illis non impertiri vellet, ad baptismum omnes non invitaret. Quia itaq; omnibus baptismum offert, omnes etiam vult regenerari.

7. Præterea etiam satis evidentes rationes, ex quibusdam dictis per conclusionem à minori ad maius depromi possunt. Si enim Deus non ex corde excruciare homines, & temporalibus pœnis affligere (h), sed opus facere alienum dicitur: quantò minus affliget eos æternis cruciatibus, & opus erit à naturâ Dei alienius, hominis velle æternam damnationem. Sic; si Deus nostrum omnium tam exactam suscipit curam, ut etiam capillos capitis nostri numeret & conservet; multo magis omnes homines æternæ vitæ participes fieri cupiet. Stat itaq; adhuc firma illa sententia; Deum seriò velle omnium salutem.

h) Thren. 3. 33. Esa. 28. 21. Ier. 8. 21.

8. Quam ut orthodoxam Patres suo suffragio comprobant. Ambrosius (i): Sive novissima contemplemur secula, seu prima, seu media, rationabiliter & piè creditur, omnes homines salvos fieri Deum velle, semperq; voluisse. Chrysostomus: Ipse quidem vult omnes salvos fieri, at non omnium voluntas eius voluntati obsequitur, neq; ab eo aliquis cogitur. Augustinus: Non est voluntas Dei ut pereat aliquis; qui verò à pietate deficiunt, non ex Dei opere, sed ex suâ voluntate deficiunt. Prosper: Manifestum fit, quod diversis atq; innumeris modis omnes homines vult salvos fieri, sed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur, qui non veniunt, suâ pertinaciâ reluctantur. Primasius: Vnus Deus, Pater, filius & Spiritus sanctus, omnium hominum Deus est, & ideo cupit omnes salvari, quos fecit. Bernhardus: Prodit in lucem ad miseri consolationem magnum consilium, quod ab æterno latuerat in sinu æternitatis, quod nolit Deus mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat.

i) Lib. 2. de vocat. gent. Cap. 8. De Conver. Pauli Artic. 16. Lib. 2. Cap. 28. de vocat. gent. In 1. Tim. 2.

Error Tertius.

Peccatum Reprobationis causa nequaquam potest esse. Nam omnes peccaverunt, & sunt æquè corrupti, &

Rennech. in Catena Ca. 7. f. 27.

Martyr. in loco de Provident. f. 523. Super cap. 9 Rom. f. 945. 947. Szegedinus in tabulis f. 122.

& naturâ filij iræ: itaq; omnes ad unum usq;, si peccatum reprobationis causa esset, perijssent.

REFUTATIO.

Calvinianorum de reprobatione damnatorum blasphemia nimis est abominanda, quam varijs loquendi formulis ijsq; auditu horrendis, in materiâ Prædestinationis repetunt, quas huc transponere non nostri est instituti. Quin potius ad hujus erroris, quo per ἀπόφασιν, peccata Reprobationis causam non esse, pleno ore pronunciant, refutationem nos accingamus.

1. Respondemus itaq; eum, ut S. S. Scripturæ διαῤῥήδην contrarium, solidissimè ex eadem refelli posse. Expressè enim ea causam reprobationis Iudæorum, tùm omnium damnatorum, in illorum incredulitatem (a) cæcitatem, duram cervicem & incircumcisa corda & aures, quibus semper Spiritui sancto restiterint, & verbum Dei repulerint; rejicit. Quod tempus visitationis gratuitæ, & animum paternum Dei expandentis manus suas tota die, & congregare eos cupientis, ut gallina glocciens pullos suos sub alas congregat, agnoscere & acceptare noluerint.

a) Rom. 11. 20. 23. 25. Ioh. 3. 36. 2. Cor. 4. 4. Act. 7. 51. c. 13. 46. Luc. 19. 42. 44. Esa. 48. 4. 8. c. 65. 2. Matt. 23. 37. Prov. 1. 24.

2. Tùm à Reprobationis executione, quam Deus in homines propter peccatum exercet, ut ea in S. S. Codice describitur (b): judicium de proposito reprobationis, fieri debet: atq; sic ipsius reprobationis, ut & antè de Prædestinatione monuimus, decretum, diligenter cum ipsa executione conferendum est. Cum itaq; videamus, homines à Deo non nisi propter peccata actu puniri & damnari; etiã indè certo certius constat nihil aliud quàm peccata hominum, causam quoq; reprobationis esse posse; nisi Deum aliter in æterno suo proposito de reprobatione decrevisse, quam in tempore eam exequitur & homines damnat, ἀθεολόγως statuere velis.

b) Gen. 3. 17. Rom. 5. 12. c. 6. 23. 1. Cor. 15. 56.

3. Huc faciunt etiam illa dicta S. S. Scripturæ ferè infinita, quæ omnium malorum, calamitatum atq; multipliciũ pœnarum causam, ipsi peccato adscribunt (c). Sed quî fieri posset, ut non nisi propter peccatum Deus hominibus infligeret pœnas temporales & corporales;

c) Esa. 59. 2. Deut. 28. 15. Ps. 5. 7.

porales; & ad damnationem, quæ pœna est æterna, non propter peccatum homines reprobasset? Itaq; à minori ad majus sic concludere licet: Si temporalium pœnarum causa est peccatum, multò magis æternarum. Connexionem propositionis, quilibet judicio valens, probare non desiderat.

4. Quin & aliàs Deus injustitiæ excusatione defendi non posset. Quemadmodùm enim in foro soli judex injustitia non vacaret, si absq; culpa, & sic innocentem aliquem, capitali supplicio afficere vellet: Sic etiam Deus absq; injustitiæ macula non esset, si certos homines absq; ullo peccatorum suorum respectu, æternæ damnationi destinasset. Id quod ab æterna Dei eaq; summa & perfectissima justitia maximè est alienum.

5. Nec minus firma, ab ipsa Prædestinatione salvandorum ad salutem, demonstratio contra errorem desumi potest. Qualis enim Prædestinatio, talis etiam necesse est, ut sit Reprobatio; quia ab uno æterno principio, quod sibi semper simile, proficiscuntur hæc duo decreta, quorum unum, alterum tollit & ponit: At Electionem non nisi per fidem in Christum factam esse, superiùs demonstratum: Ergò etiam propter ἀπιστίαν incredulos fuisse reprobatos sequitur.

6. Quod verò hanc errori αἰτιολογίαν substernunt: si peccatum damnationis esset causa, ad unum omnes periissent: Respondemus id tùm demum sequi, si omne peccatum causam Reprobationis statueremus, sic namq; nullus hominum, quia omnes sunt peccatores, à reprobatione eximeretur: Sed non simpliciter omne, sed mortale tantùm, illudq; cum finali impœnitentia conjunctum, quod non nisi damnatorum est, causam Reprobationis ex S. S. Scriptura pronunciamus.

Error Quartus.

Reprobationis nulla alia causa ex Scriptura proferri & assignari potest, quam justa & immota Dei voluntas, quod ipse in æterno illo & arcano consilio, aliquos homines æterno exitio & supplicio ex sese & propter

Rennecher. in Catena Cap. 7. f. 37. Calvi. Inst. lib. 3. Cap. 23. §. 7.

seſe adjudicaverit, idque antequam ipsi erant, & aliquid mali fecerant.

REFVTATIO.

Hîc nunc Adversarij per κατάφασιν, *quæ sit causa reprobationis, plenis buccis, ijsq; satis blasphemis pronunciant: nimirùm nulla alia, quam justa immensa & arcana Dei voluntas, ejusq; liberum & immutabile consilium.*

1. *Sed hic est proprij illorum cerebelli blasphemus & abominandus fœtus, ab ipsa ratione, non S. S. Scriptura exclusus; quam malitiosè (per inscitiam enim id fieri posse, haud est veri simile) ignorare volunt. Hæc enim alias, easq; plurimas in homine residentes Reprobationis causas recenset (a). Deum autem ab omni absolutâ ad damnationem reprobatione longissimè eximit, de eo clarè testificans: quod nolit mortem peccatoris, sed potiùs ut convertatur & vivat, quemadmodùm superius probatum pluribus S. S. Scripturæ dictis: quibus illud classicum, quo vix clarius & magis perspicuum in S. Codice invenitur enunciatum Dei, si addatur, vel solum ad refutationem sufficere potest. Est autem hoc (b):* Perditio Tua Israël, tantummodò in me auxilium tuum.

2. *Neq; est quod multum laboremus in refutatione hujus Erroris, quo Adversarij Majestatem Divinam scrutando, altitudinem divitiarum sapientiæ & scientiæ ejus, non cum Apostolo mirari sed rimari tentant, quarè certissimè opprimentur à gloria (c). Deus namq;, omnes homines ab introspectione Majestatis suæ longissimè arcere voluit: quandò descensurus in montem Sinai coram omni populo, jussit populo constitui terminos per circuitum, & graviter mandavit, ut caverent, ne ascenderent in montem, neq; tangerent fines illius: omnis enim inquit, qui tetigerit montem, morte morietur (d). Quare etiam de populo Bethsamitico, quinquaginta mille & septuaginta viros, eò quod vidissent arcam Domini, percussit. Non enim decet servum, ut secreta Domini scrutetur, ut Cyprianus inquit (e). Id quod & in civilibus & politicis Secretis & Actis Principum, non impunè*

a) Esa. 65 2. Ier. 2. 19. c. 4 22. c. 6. 10. Ezech. 18. 27 Dan. 9. 5. Hose. 4. 6. Matth. 15. 8. Luc. 14. 24. Act. 13. 46. Rom. 11 20 2. Thess. 2. 10. 11.

b) Oseæ 13. 9.

c) Rom. 11. 33. Proverb. 25. 16.

d) Exo. 19. 12. 1. Sam 6. 19

e) In expos. symb. Apostolici.

impunè licet: Multò minùs id inultum Calviniani ferent; quo nomine hic Error, qui hoc tentat, vel maximè invisus & abominabilis, sine refutatione, esse debet.

3. Qui verò volet, poterit ex rationibus, sparsim in toto hujus disputationis discursu intertextis; & præsertim præcedenti errore 1. & 2. positis, de voluntate beneplacita & misericordi Dei erga totum genus humanum: Universali Christi merito: Annunciatione istius per totum terrarum orbem, sine discrimine omnibus hominibus facienda: Administratione Sacramentorum: Iuramento ipsius Dei, quo satis superq; testatum fecit, se nolle mortem ullius peccatoris; vel ut quisquam pereat: variis adhortationibus, invitationibus, obsecrationibus, promissionibus & comminationibus, &c. Ex hisce inquam vel singulis rationibus, quilibet poterit solidissimam hujus erroris refutationem, facilè desumere.

4. Quam hoc Syllogismo generali, omnes hasce rationes & illis plures comprehendenti, ita formamus. Si causa damnationis non in Deo sed in homine est, utique & Error hic, eandem in æterno atq; arcano consilio Dei & voluntate eius immota, collocans, admodùm fallit: Sed verum prius, quemadmodum utrumq; membrum, quod nimirùm à Deo omnis reprobationis & damnationis causa longissimè removenda, & in hominem rejicienda sit, rationibus antecedentibus probatum: Ergò & verum posterius.

5. Tantùm notentur hujus blasphemiæ horrenda βδελύγματα. Totius Religionis fundamentum evertit. Ex Deo facit sævissimum, truculentissimum & injustissimum tyrannum; imò Centaurum & Authorem peccati & æternæ damnationis, quin & Deum malum & diabolum ipsum, atq; sic duas contradictoriè sibi oppositas in Deo statuit voluntates. Christi totum meritum penitus tollit. Omnem vim Ministerii & Sacramentorum evertit. Conversioni quoq; nullum locum relinquit, neq; fidei quantumvis magnæ ullam ἐνέργειαν concedit. In summa, Deum accusat, & homines excusat; quorum peccatis quantumvis atrocibus, nullam pœnam, illorumq; operibus, quamvis

quãvis ex fide profectis & perfectis, nullũ præmiũ relinquit: undè Epicuream securitatẽ, vel certissimam desperationem sequi necesse est.

Error Quintus.

Beza volu. 1. f. 417. Colloq. Mompell. f. 505.

Deus non solùm ad damnationem; sed etiam ad causam damnationis efficaci suo decreto prædestinavit, quoscunq; voluit.

REFUTATIO.

Non est, ut videtur, Beza, plerisq; suæ farinæ hominibus dissimilis, qui dicunt, Deum non esse damnationis causam, etsi sit reprobationis (a) Volunt enim illi, Deum in reprobatione suâ causas intermedias fatali necessitate cohærentes, tanquam media perducentia ad damnationem ordinasse, atq; sic revera idem cum Beza & suis sentiunt.

a) Vrsin Catech. par. 2. de Prædest. quæst. 3.

1. *Sed & hic error propter blasphemam suam crassitiem, cujus etiam quosdam ex Calvinianis pudet, operosa refutatione non indiget. E diametro enim cum S. S. Scriptura pugnat, quæ de Deo testatur; quod sit fidelis, & absq; ulla iniquitate, justus & rectus (b): Non volens iniquitatem. Quod oderit & detestetur impium; & quod sermones ejus sint justi, & non in iis pravum quid, neq; perversum. Quod similiter odio sint Deo, impius & impietas ejus. Hæc certè & sexcenta alia dicta, quæ peccata & damnationem in homines rejiciunt, (c) Deum à reprobatione ad peccata, quæ sunt damnationis causa, maximè liberant.*

b) Deut. 32. 4. Psal. 5. 5. & 45. 8. Proverb. 8. 7. 8. 13. Zach 8. 17. Sap. 14. 9.

c) Gen. 3. 17 c. 4. 7. c. 8. 21. c. 19. 14. Exod. 32. 10. Deut. 28. 15. Rom. 5. 12. 1. Ioh. 2. 16.

2. *Et ut compendio dicam; quomodò Deus prædestinasset homines, ut Calviniani loquuntur, ad causas damnationis? 1. Qui creavit hominẽ valdè & perfectè bonũ; & voluit ut in innocẽtia persisteret. 2. Qui seriò vult post lapsũ salutẽ hominis, & propterea non unũ, sed aliquot eandem promovendi media, ut antè probatũ, ordinavit, & jurejurando confirmavit se nolle mortem peccatoris. 3. Qui seriò homines à peccatis dehortatur. 4. Cum patientia & dolore impios tolerat. 5. Pœnitentiâ peccatorum lætatur. 6. Non pœnitentes ob peccata punit; quod nullo jure posset, si ad peccata eos destinasset.*

3. Quin

3. *Quin & hæ rationes perpendantur. Si Deus statuitur reprobare homines ad peccata, tanquam causas damnationis: 1. Erit etiam initium omnis mali & peccati à Deo. 2. Atq; propterea quia peccatorum author est, etiam Deus peccator erit. 3. Et delectabitur malo; aut peccatum, malum non erit. 4. Imperfectionis maculam non effugiet. 5. Idem volet cum diabolo, atq; sic Deus cum Belial conveniet. 6. Homines peccando voluntatẽ Dei facient: quod & non diffitẽtur, ut sequenti disp. videbimus. At quàm hæc absurda auditu horrenda? Quibus pejores sunt Calviniani Ethnicis, qui culpã aliquã peccati in Deum conferentes, in Republ. non ferendos censuerunt.*

4. *Abhorruerunt quoque Patres ab hac adversariorum blasphemia. Sic enim Justinus (d): Non est Deus in causa, ut prædestinati fiant injusti: sed suâ quisq; culpâ talis est. Idem: Christus causa est impletionis scripturæ, non proditionis Iudæ. Clemens: Quod homo elegit id quod erat vetitum; non est culpa in Deum conferenda. Gregorius Nazianzenus: Nullo modo Deus causa peccati est, quippe naturâ bonus. Ambrosius: non fieri potest ulla ratione, ut Deus velit homines peccare: quia misit filium, qui destruat peccata.*

d) In fine dialogi cum Tryp. Quæst 58. ad Orthodoxos. Lib. 4. stromatum. Orat. 1. In Iulianum. Lib. de Paradiso Cap. 15. Zanch. in Miscell. f. 229. Rennecher. in Catena Cap. 19.

Error Sextus.

Quod impii vel non credunt in Deum ac Christum, vel non benè operantur: id ideò fit, quia non sunt prædestinati à Deo ad fidem & bona opera.

REFVTATIO.

Major hæc est & apertior blasphemia, quâ disertis & perspicuis verbis causam incredulitatis & impietatis hominum in Deum rejicere non verentur, tantâ & licentiâ & impudentiâ, ut ea refutatione vix sit digna.

1. *Quis enim nisi planè obcæcatus, in S. S. Scriptura tàm est hospes, qui non sciat, causam incredulitatis & malarum actionum non à Deo sed diabolo & hominibus esse (a), quorum figmentum cordis, quia pravum ab adolescentia, ideoq; à Spiritu Sancto nolunt regi, sed à se repellentes & abjicientes media salutis credere non possunt,*

a) Gen. 3. 4. c. 4. 8. c. 6. 3. 5. Levit. 26. 14 Matt. 11. 21 c. 23. 37. Luc. 8. 12. 2. The. 2 10. 2. Tim. 4. 3. 4.

nec benè operari ſtudent, atq; propterea in incredulitate finali, ac ſecuritate carnali perſiſtentes, Deo adverſari pergunt. Quod & Chriſtus parabolâ de quadruplici ſemine docere voluit; agri culpam eſſe, quod ſemen in illum projectum apud maximam hominum partem non fructificet; & diabolum venire, & tollere verbum de cordibus plurimorum, ne credentes ſalvi fiant.

2. De Deo verò, ipſe filius Dei teſtatur, hanc eſſe voluntatem ejus, ut omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Et Paulus inquit: Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis à fornicatione (b). Hinc certè certo certius ſequitur, cum Deus velit ut omnes credant & piè ac ſanctè vivant, non poſſe eum velle contrariũ, ut nimirùm non credant aut impiè vivant; multò minus ad incredulitatem & impietatem, quenquam prædeſtinaſſe.

b) Ioh. 6. 40. 1. Theſſ. 4. 3.

3. Id quod & ex illo Pauli ſatis perſpicuo dicto, quo fidem ex auditu verbi Divini eſſe teſtatur (c), luce meridianâ clarius patet. Si enim fides ex auditu verbi eſt, incredulitas ex non auditu ſeu contemptu verbi erit; atq; propterea, ut fides, ita & incredulitas, mediorum τάξει limitata, immediatè à prædeſtinatione pendere non poteſt. Idem de pietate & impietate hominum ex S. S. Scriptura judicium deſumi debet: quod benè operentur illi, qui verbum amplectuntur; malè verò, qui illud aſpernantur.

c) Rom. 10. 18.

4. Quo enim jure Deus aliàs juſtiſſimus, homines ob incredulitatem & impietatem punire & damnare poſſet, ad quam eos ipſe prædeſtinaſſet? in qua ſecundum Dei propoſitum & voluntatem homines vixerint? atq; ſic ſua incredulitate & impietate voluntatem Dei impleverint? atq; non aliter, niſi non credere, & malè vivere, ex fatali Dei deſtinatione potuerint? Sed hæc, & id genus ſexcenta alia portenta, omnibus orthodoxis ita ſunt inviſa, ut atri limina Ditis.

Error Septimus.

Zanch in Miſcell.

Non dubitandum eſt, Deum quoſdam indurare, interna

terna quadam particulari, sed ineffabili actione: eaque vel immediatè per se, vel mediatè per ministerium Satanæ, eos in cæcitatem, obdurationem, & prava desideria impellendo.

Communis opinio.

REFUTATIO.

Adversarij, ingenij lascivia eos sollicitante, in divinæ sapientiæ adyta securè ac confidenter prorumpentes, non, quo suâ curiositatem satient, assequuntur, sed labyrinthum intricatissimarum & portentosissimarum absurditatum, quarum exitum non reperient, ingrediuntur. Quarè nos eos ulterius nõ insequemur, sed hoc emblemate ominoso, quo efficacem indurationem occæcationem & ad peccata impulsionem, impudenti & blasphemo ore, ipsi Deo ascribere non erubescunt, abrumpemus.

1. Horrendum verò est & auribus Christianis intolerabile hoc Adversariorum dogma: Deum interna quadam & ineffabili vi atq; immediata actione indurare homines: vel eos ministerio Satanæ à se acti, ad prava desideria & obdurationem in malitia impellere. Quæ blasphemia ex S. S. Scriptura solidissimè refutatur, quæ indurationem & excæcationem homini tribuit. Sic enim de Pharaone legitur (a): Pharao auxit peccatum, & ingravavit cor suum ipse, & servi eius, & induratum nimis. Et de rege Sedecia dicitur; quod induraverit cervicem suam & cor, ut non reverteretur ad Dominum. De Israelitis quoq; Scriptura hanc querelam sæpius iterat: quod cervices & corda induraverint; & habeant incircumcisas aures, corda, oculos ad videndum, & non videant, quia domus rebellis sint. Tum & Apostolus Paulus indurationis & excæcationis causam ipsum diabolum esse testatur, inquiens: Deus hujus seculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat ejus illuminatio Euangelij, gloriæ Christi.

a) Exod. 7. 13. 22. c. 8. 19. c. 9. 34. 35 2 Par. 36. 13. Deut. 10. 16. 4 Reg 17. 14 2. Paral. 30. 8 Nehem 9. 16. 17. Esa. 48. 4. 8. Ier. 5. 3. c. 6. 10. c. 7. 26. c. 9. 26. c. 17. 23. c. 19 15 Ezech. 12. 2. Ps. 95. 8. Act. 7. 51. 2. Cor. 4. 4.

2. Ex his dictis nullo negotio colligere licet, indurationem, ratione omnium causarum, efficientis, formalis & finalis, verè ac naturâ sua esse peccatum gravissimum atq; atrocissimum: ita ut illud sine

summa

summa blasphemia, Deo ascribi non possit, qui summè bonus ac justus abominatur omne malum, & peccata in hominibus impœnitentibus, præsentibus & æternis pœnis vindicat.

3. Tùm & illud è diametro repugnat misericordissimæ Dei voluntati, qua omnes homines & etiam peccatores adeò complectitur, quod nolit illorum mortem, sed ut omnes, nullo excepto, convertantur & vivant: Quare etiam toti mundo suum dedit filium, qui & pro omnibus satisfecit, suamq; satisfactionem omnibus hominibus per vocationem generalem annunciari jussit, ut eam acceptent & sic serventur. Quæ certè omnia & illis plura alia, in hac disputatione passim mota, Deo causam per se efficientem indurationis, ascribi posse negant.

4. Quandò v. Deus interdùm in S. S. Scriptura indurare, excæcare, in mentem reprobam tradere, dicitur: id minimè eodem sensu, quo de hominibus & diabolo accipitur, intelligendum est: Sed in illis dictis hæc potissimùm attendenda. 1. Hujusmodi dicta duriora ad analogiam reliquorum, sunt examinanda & acceptanda. 2. Neq; ad causam efficientem, sed finalem referenda. 3. Fontes Ebræi consulendi, in quibus verba in conjugat: Piel & Hiphil sæpè non actionem, sed permissionem denotant. 4. Quæ permissio Dei relata ad culpam peccati, habet aliquid ἀνυσίς, & est nolentis: sed relata ad pœnam peccati, habet aliquid ἐνυσίς, & est volentis. Atq; propterea non absolutè & simpliciter secundum voluntatem antecedentem induratio acceptanda, sed ad Dei judicium ex voluntate eius consequente ortum, referenda est, ut sic respectu priorum peccatorum, sit pœna peccati. Quemadmodùm judex aliquis politicus, dicitur gladio punire maleficos, etsi ipse gladium non sumat, sed sententiam mortis ferat, & executionem carnifici demandet. 6. Deniq; statuendum, non Deum nisi per accidens indurare, quandò oblata gratia est illusoribus refractariis, propriâ illorum culpâ, odor mortis ad mortem, ut quò magis Deus instet docendo & admonendo, eò magis illi insaniant reluctando & repellendo, donec magis magisq;, instar noctuæ ad solem, excæcentur.

DE CALVINISMO

DISPUTATIO ELENCTICA
OCTAVA
Complectens Matæologia Calviniana
examen, in loco
De
PROVIDENTIA DEI, ET PECCATO.

Quam
Doctore & Ductore S. S. Spiritu
Sub Præsidio
M. PETRI HINKELMANNI,
Verbi Divini Ministri.
privatim defendendam suscipiet
FRANCISCVS ÆPINVS
R. S.
Habebitur disputatio Prid. Cal. Martij.

ROSTOCHII
Litteris Reusnerianis, Anno 1610.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0209
DFG

ΣΤΝ ΘΕΩ

DISPVT. ANTICALVIN. VIII.

DE PROVIDENTIA DEI, ET PECCATO.

CONTINUATIO.

LOcum illum arduum & sublimem de Prædestinatione, facta ante jacta fundamenta mundi, nunc excipit articulus de Providentia Dei ac Peccato, utpotè ad res jam creatas propriè pertinens. Providentia enim Dei circa omnia, in naturâ jam conditâ existentia versatur, cunctos eventus sive bonos sive malos prospicieus & præsciens: illos quidem adjuvando & promovendo, hos verò permittendo, & certis limitibus ac metis determinando. Quarè & locum de peccato, providentiæ conjungere placuit; tùm quia ad eam, tanquam causam, Adversarii peccata hominum referunt. Breviter itaque Heterodoxiam eorum in utroq; loco examini subjiciemus.

CAPUT PRIMUM.
De Providentia Dei.
Error Primus.

Hæc quæ diximus de Præscientia Dei, pertinent etiam ad eius Providentiam. Dum enim de Præscientia loquimur, non excludimus voluntatem; quia non potest Deus præscire aliquid esse futurum, nisi velit id esse futurum. Martyr. in L. C. class. 3. loc. 1. §. 51.

REFVTATIO.

Dupliciter Calviniani de Præscientia Dei errant, dum eam simpliciter à Dei voluntate, & absoluto ejus decreto tanquam causa pendere (a): & à Dei proposito, electione, & dilectione sejungi a) Calv. Inst. lib. 3. ca. 23. §. 7.

non posse (b) tradunt: atq; sic præscientiam Dei cum ejusdem voluntate & Providentia confundunt.

1. Quibus nos respondemus, esse quidem inter præscientiam & providentiã Dei, ejusq; voluntatem, quandã cognationem, ita ut ad hanc illa requiratur, ne providentia Dei & voluntas absq; præscientia statuatur: Interim tamen vel hanc ab illa dependere, vel cum ea eandem esse negamus: quia S. S. Scriptura inter utramq; distinguit, aliter de præscientia, aliter de Providentia Dei ejusq; voluntate loquens, quemadmodùm illud discrimen satis perspicuis S. S. Scripturæ dictis demonstrari potest (c).

2. Deindè & hinc manifestum patet discrimen: quod Præscientia Dei in S. S. literis, si sola & nuda intelligatur, etiam teste ipso Calvino (d) nunquam causam rerum, sed notitiam tantùm denotet: Providentia verò ita describatur, quod eâ Deus cuncta in mundo gubernet & regat, bona pariter ac mala; illa juvando & promovendo; hæc verò intra limites coërcendo, & suis certis finibus ac metis ordinando & determinando.

3. Undè & tertium discrimen emergit. Præscientia enim se pariter habet ad bona, atq; ad mala, utraq; enim, etiam adhuc in cordis penetralib⁹ abdita & absconditа novit Deus (e): At Providentia non eodem modo, respectu malarum & bonarum actionum hominum, consideratur. Has enim ex Providentia Dei procedere, & ab eadem pendere, efficaciter juvari & promoveri: at illas non ab eadem esse neq; juvari, sed tantùm disponi, & ad finem bonum dirigi; S. S. Scriptura testatur (f).

4. Tùm & præscientia seu potius scientia Dei, est Idioma & attributum Dei, ad ejus essentiam pertinens, eamq; quasi perficiens & absolutam reddens, ita ut nisi omnia præsciat vel potius ἐν τῷ νῦν omnia præsentissima sciat & intueatur, non sit Deus: At Providentia, ad Dei refertur voluntatem, & est non essentiæ, sed actionis & gubernationis Dei.

5. Præterea Præscientia intra Dei simplicissimam essentiam ma-

neras

q) Beza Re. ad Colloq. Mompell. f. 155. Piscator in cap 8. Rom. Keckerm. Syst Theol. lib. 3. c. 1.

e) Ioh. 11. 11. Ps. 94. 9. & 139. 2. 3. 4. 13. 15 16. 23. 24. Prover. 5. 21 c. 15. 3. c. 24. 12. Esa. 37. 28. c. 42. 5. Ier. 16 17. Eccles. 5. 5. Matt. 6. 30. c. 10 19. Ioh. 5. 17. Act. 17. 28.

d) Inst. lib. 3. c. 21. §. 5.

e) Ps. 7. 10. & 94. 11. & 139 1. 16. Dan. 2 47. Ioh. 2 25.

f) Gen. 4. 10 11. c. 11 7. c. 12. 1. c. 19. 24. c. 48. 15. 16. c. 50. 20. Exod. 19 4. Deut. 7. 8. Iob. 1. 12. Ps. 44. 4. Esa. 37. 39. c 40. 31. c. 41. 10. Mart 10. 19. 20. Act. 9. 4. 5.

net ac intra semetipsam vertitur & perficitur: sed Providentia ad extra egreditur, ordinans & conservans, dirigens & disponens naturam à se conditam, ejusq; actiones moderans.

6. Et deniq; Præscientia Dei est absolutæ necessitatis, quâ Deus non potest non scire omnia, nihil enim quantumvis abstrusum, arcanum & absconditum eum fugere & latere potest: Providentia verò est liberæ Dei voluntatis, quâ Deus liberè omnia condidit, liberè quoq; eadem conservat, nutuq; sui beneplaciti omnia liberrimè disponit & moderatur. Vndè quod, & quale, inter Præscientiam & Providentiam Dei, discrimen statui debeat, liquidò satis constat.

7. Quemadmodùm & hoc discrimen ex Patribus satis constat. Cyrillus enim Alexandrinus inquit (g): Mala ventura non quidem ignoravit Deus, sed tamen non practicè novit. Prosper: Voluntas Dei nunquam vult nisi bona: Præscientia autem & bona noscit & mala: sed bona quæ aut ipse faciet, aut etiam ut nos faciamus imperat: mala a quæ omninò ipse non facit, nec fieri suasit, nec impulit.

g) Lib 3. in Iulianum. Ad capitulũ 12. Gallorum.

Error Secundus.

Zanchius de nat. Dei lib. 5 cap. 1. quæst. 4. th. 2. f. 554. Hyperius lib. 1. f. 259. Rennech. in Catena ca. 6. f. 28. 29.

Simpliciter respectu Divinæ Providentiæ, nihil evenit aut fit, quod non eveniat aut fiat *inevitabili necessitate*: non solum quoad res, quæ fiunt: sed etiam quo ad modos, quibus fiunt.

REFUTATIO.

Ex Dei Providentia Calviniani fatalem & inevitabilem omnium rerum necessitatem inducunt, & omnem contingentiam in rebus sublunaribus, tàm malis quàm bonis, prorsus tollunt. Quo generali errore omnia illa, quæ Judam, Herodem, Pilatum & alios impios ex absoluta necessitate patrasse impudenti & blasphemo ore affirmant, comprehendi possunt.

1. Sed hæc Caluiniano-Stoica & fatalis omnium rerum necessitas sufficienter satis ex S. Codice refutari potest. Sic enim Deus ad Protoplastos, plenam illis in omnem carnem potestatem concedens, inquit:

inquit: Replete terram, & subjicite vobis eam, & dominamini universis animantibus. Et ad Cain: ad te erit desiderium eius, & tu dominare ei. Et Ecclesiasticus de homine adhuc integro dicit: Reliquit Deus hominem in manu consilij sui, proposuit illi vitam & mortem, & utrum placuerit, dabit ei. Sic & omnia illa dicta, quæ homini electionem inter bonum & malum, voluntatem & noluntatem &c. concedunt: omninò illam Stoicam & inevitabilem omnium rerum necessitatem tollunt (a).

a) Gen. 1. 28. c. 4 7. Eccl. 15. 14. Deut. 30. 19 Ier. 21. 8. Esa. 1. 19. Matt. 23. 37. Ioh. 7. 17.

2. Quin & illis dictis, quæ in S. S. Scriptura passim proponunt Dei mandata, & obedientibus promittunt præmia, contumacibus verò minantur pœnas: quæ ad conversionem hominum, Deum respexisse, pœnituisse & pœnam avertisse testantur: quæ suam ἐυέργειαν precibus piorum tribuunt, quibus imminentem calamitatem avertere possunt: solidissimè illa omnium rerum absoluta necessitas refutatur (b).

b) Exod. 20. 12. Levit. 26. 3. 14. Deut. 28. 1. 15. Esa. 38. 1. 5. Eze. 18. 24. 27. 32. c. 33. 11. Ion. 3. 4. 5. 10 Psal. 50. 15. Dan. 9. 23.

3. Tum etiam ex conditione nostræ voluntatis deliberatè & liberè agentis, hæc opinio Stoica refellitur. Quemadmodùm enim Deus hominem non in fatali aliqua & absoluta necessitate, sed in libertate arbitrij sui condidit, ut vel in bono perseverare per obedientiam, vel ab eo se avertere, per mandati negligentiam posset: ita etiam homo per lapsum amisit quidem perfectam vim intelligendi, volendi & eligendi bonum; interim tamen illa facultas & libertas naturalis mansit, rationandi, cum judicio agendi in rebus externis & civilibus, quæ omnia hujusmodi fatalem necessitatem non admittunt.

4. Id quod & ex quotidiana omnium rerum gubernatione satis superq; patet, qua Deus res universas à se conditas ita administrat, ut eas propriis motibus, ut Augustinus loquitur, agere sinat. Non enim Deus ἀμέσως, sed ἐμμέσως omnes res, secundum earum naturam & causas secundas, ordinariè agens, gubernat; quæ cũ sint contingẽtes & voluntariæ eas ita regit, ut contingenter & voluntariè agant.

5. Distinguendum itaq; est inter ea, quæ simpliciter à Dei voluntate

tate dependent, & propterea in solius Dei arbitrio & potestate sunt posita; veluti mundi creatio, missio filij in carnem, resurrectio mortuorum &c. quæ aliter se habere non possunt, sed necessariò fiunt, propter determinationem & decretum Dei: Et inter ea, quæ ab arbitrio voluntatis humanæ & causis secundis, ut rebus naturalibus proveniunt; actiones nempè hominum, quas Deus quidem præscit, sed nullam tamen illis necessitatem aut immutabilitatem imponit: res enim æstimandæ sunt ex natura causarum proximarum, quæ cum sint mutabiles & contingentes, etiam inde mutabiliter & contingenter fieri dicuntur.

6. Huc etiam referenda illa sunt, quæ dicuntur fieri ex necessitate Physica & consequentiæ; quæ & ipsa non prorsus inevitabili semper fiunt necessitate positis quantumvis causis efficientibus & agentibus: illæ enim propter δωάμιν ἀνυπόστατον, & ea, quæ per accidens succedunt, præter intentionem agentis, sæpiùs impediuntur, ita ut non semper effectus causæ, & eventus intento respondeat. Vndè & inevitabilis omnium rerum necessitas tollitur, & contingentia earum stabilitur.

7. Et notatu quoque dignæ sunt insignes Patrum de hac disputatione sententiæ. Augustinus inquit (c): Non est consequens, ut si Deo certus est omnium causarum ordo, ideò nihil sit in nostræ voluntatis arbitrio. Et ipsæ quippe nostræ voluntates, in causarum ordine sunt, qui certus est Deo, ejusq; præscientiâ continetur. Quoniam & humanæ voluntates humanorum operum causæ sunt. Idem super verba: Cum tanta signa fecisset Iesus coram eis non credebant, ut impleretur sermo Prophetæ &c. Quidam turbulenta disceptatione contendunt, dicentes: Quid fecerunt Iudæi? vel quæ culpa eorum fuit, si necesse fuit, ut sermo Dei impleretur? quibus respondemus: Deum præscium futurorum per Prophetam prædixisse infidelitatem Iudæorum: prædixisse tamen, non fecisse. Non enim propterea quenquam Deus ad peccandum cogit; quia futura hominum peccata jam novit. Fecerunt ergò peccatum Iudæi, quod eos

c) De Civitate Dei lib. 5. cap. 10. Tractat. in Ioh. 53. In 1. Cor. 11.

eos Deus non compulit facere, cui peccatum non placet, sed facturos esse, prædixit, quem nihil latet. Et ideò, si non malum, sed bonum facere voluissent, non prohiberentur: & hoc facturi, prævideren-tur ab eo, qui novit, quid sit quisq; facturus. Chrysostomus: Quan-dò Apostolus inquit: Oportet hæreses esse, non hoc consulentis, sed futura prædicentis verbum est. Quomodo & medicus, videns æ-grum gulæ & ebrietati, interdictusq; alius deditum, inquit: profectò necesse est, ut incontinentia hæc febrim pariat. Quibus verbis non legem statuit, neq; consulit, sed è præsentibus futura conjectat. Est enim Prophetia non consilium, prædictio non adhortatio, eventus non causa.

Error Tertius.

Calvin. Inst. lib. 3. ca. 23. §. 7. 8. Zanch. de nativit. Dei lib. 5. cap. 2. f. 690. Beza in ca. 9. Rom.

Quia præscivit Deus quem exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet, & ideò præscivit, quia decreto suo sic ordinavit. Cadit itaq; homo, Dei providentia sic ordinante. ¶ Cum Paulo loquuntur, qui quosdam dicunt ad justum exitium esse conditos, & qui hac formula offenduntur, inscitiam suam produnt.

REFUTATIO.

Quàm horridè & blasphemè Adversarij in Deum rejiciant causam peccati, videbimus capite secundo. Hic verò de lapsu protoplastorum, quatenus illum, Deo sic censente, decernente & ordinante, necessariò factum esse, contendunt; imò hominem ad lapsum conditum esse, & Deum serpentis linguam Diabolo, præter ordinarium naturæ usum commodasse, quemadmodùm si quis alteri gladium & arma suppeditat (a); scribere non erubescunt; paucis, cum illud blasphemum dogma, jam dudum ex nostrarum Ecclesiarum agro profligatum sit, agemus.

a) Calvin in cap. 3. Gen. f. 26.

1. *Omnes enim hæ blasphemiæ, quæ lapsum protoplastorum, tradunt Providentiæ Dei, ut causæ subesse, eumq; ad creationem referunt; ex Mose solidissimè refelluntur: Qui vel septies repetit hæc verba: vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant bona valdè (b):*

b) Gen. 1. 4. 10. 13. 19. 22. 25. 31. 27. 28. c. 9. 1. Num. 6. 24. 25. 26.

Ergò

Ergò certè non mala, vel ad peccata condita. Id quod & nullo negotio, ex creatione hominis ad imaginem Dei, ejusq; benedictione sæpius à Deo repetita, tùm & perfectione, in qua constitutus erat homo, obtineri potest. Peccatum verò, imaginis Dei amissionem, maledictionem & defectum significat: Ergò ad illud conditus dici primus homo non potest.

2. Neq; efficaci Dei decreto, protoplastorum lapsum factum, atq; propterea necessarium fuisse inde patet. 1. Quia Deus ad præstandam obedientiam δυνάμεις & vires concessit integras & undiquaque perfectas, per quas facilius illis fuit perseverare in bono, quam sese vertere ad malum. 2. Dedit mandatum, ut ἐνέργειαν obedientiæ exererent, addita severa comminatione æternæ mortis, nisi obedirent. 3. Disertè lapsum prohibuit his verbis: De ligno scientiæ boni & mali ne comedas. Qua certè prohibitione apertè testatus est, se nolle lapsum illorum. 4. Præsertim cum eum atrocissimè punivit. Hæc omnia immotè demonstrant, Protoplastos minimè Deo volente, censente & providente, sed nolente, dissuadente & interminante lapsos fuisse.

3. Quin & restauratione hujus lapsus, promissâ à Deo per semen mulieris contriturum caput serpentis, evidentissimè Deus de Providentia ad eum excusatur. Si enim aliquo fatali Dei impulsu protoplasti cecidissent, non certè remedium illud tantum, missionem videlicet filij sui in carnem, huic malo adhibuisset. Nisi duo decreta, lapsus & restaurationis, diversè sibi contraria, in Deo ἀπροσκόπως fingere velis.

4. Præterea & reatus, quem protoplasti sibi & toti posteritati ex lapsu contraxerunt: quin & eorum redemptio & pro iis satisfactio per Christum præstita, eos lapsus sui maximè reos esse, satis abunde testantur. Illius enim vel tantoperè rei agi non potuissent, si occulta aliqua vi, Providentiâ & decreto Dei ad eum acti fuissent.

5. Denique & Patrum sententiæ de Protoplastorum lapsu notatu dignæ sunt. Clemens (c): Quod homo elegerit, atq; adeò id, quod

e) Lib. 4. Stromatum Lib. 2. cont. Marcionem Homil. de interdict. arboris. Tom. 2. de lapsu hom. f. 302.

erat vetitum, non esse culpa in Deum conferenda. Tertullianus: Sicut Deus homini vitæ statum induxit, sic homo tantum mortis statum sibi attraxit. Chrysostomus: Manifestum est, Deum noluisse Adam peccare, qui voluit eum ante delictum præstruere: potuit Adam Deo parere, quod noluit, qui consentire diabolo maluit. Idem: Ex defectu boni, mali initium; quia Deus malum non fecit.

Error Quartus.

Cinglius lib de Provid. ad Phil. Cattorum Principem. f. 366.

Si in homine prorsus nullum liberum est consilium, jam fateri cogimur: Divina Providentiâ, furta, homicidia, & omnia scelerum genera fieri. Sic enim Providentiam agnoscimus ut omnia curantem atq; gerentem.

REFUTATIO.

Non tantùm Protoplastos ex Dei efficaci decreto lapsos esse, sed & omnium hominum etiam sceleratissimorum peccata & flagitia Dei Providentiâ non tantùm determinante, sed & cogente, impellente & trahente fieri; quemadmodùm id Rennecherus (a), similitudines de occulto fune, & sagittâ ad scopum à sagittario emissâ, indicant: sine pudore affirmare audent.

a) In Caten. cap. 6. f. 32.

1. Nos verò etsi peccata Providentiæ Dei subesse, libenter demus; otiosus enim aliàs Deus esset peccatorum spectator: non tamen ratione voluntatis jubentis, adigentis & impellentis, (hæc enim blasphemia ex S. S. Superius satis (b) est refutata) sed ratione permissionis, limites quousq; progredi velit constituentis, illorum furores, ubi & quando velit, cohibentis & reprimentis, & denique illorum ἀταξίαν ad certam τάξιν ac salutarem finem determinantis & accommodantis; id fieri, S. S. Codicis & dicta & exempla plurima testantur (c).

b) Cap 1. Er. 2. Disp. 7. c. Er. 2. 1. 2.

c) Gen. 3. 15. c. 50. 20. Ex. 33. 14. 19. 24. 25. 2. Sam. 17. 14. 4. Reg. 21. 1. 30. Esa. 7. 4. c. 8 9. 10. Act. 2. 23.

2. Deindè etsi malæ actiones etiam sub Dei Providentiam cadant, tamen non ex iisdem causis, quibus bonæ actiones, Providentiæ ejusdem tribuuntur, id fieri; ex natura contrariorum, quæ ab uno simplicissimè abstracto principio, quod non potest non esse unum

& sibi

& sibi simile, provenire & similiter gubernari non possunt; firma consequentia probatur. Cum itaq; Deus simplicissime bonus & semper sui similis omnis boni fons, causa, author, effector & promotor sit, ita ut ab efficaci illius decreto illud omne solummodò totaliter dependeat: certè non eodem modo etiam malum quod omnibus suis causis & partibus, bono est contrarium, à Deo provenire, ejusque Providentiæ subesse potest.

3. Et quomodo Deus, qui iniquitatem non velle (d); imò abominari, detestari, præsentibus & æternis pœnis punire, in S. S. literis passim dicitur: ad eandem homines suâ Providentiâ impellere & disponere posset? cum ne homo quidem, ea quæ abominatur; probet, aut quenquam ad ea impellat. Multò minus Deus ad peccatum, quod naturæ & voluntati suæ δὶς λὰ πασῶν adversatur, homines suâ Providentiâ vel occultè vel palàm impellere & promovere dicendus erit.

d) Ps. 5. 5. 7. Deut. 25. 16. Proverb. 3. 32. c. 11. 1. c. 15. 9. Esa. 59. 2. Rom. 5. 12.

4. Quin & hæc ratio hîc militare potest: Providentiam Dei circa malas hominum actiones, quia sit non nisi consequentis Dei voluntatis, etiam ad determinationem, ordinatiouem & executionem Dei esse referendam: Quo respectu non illa mala, Providentiâ Dei fieri; sed determinari, ad certos fines disponi, & pœnis suis affici dicuntur. Omnia enim illa, quæ sunt voluntatis Dei consequentis, respectum habent ad priora & antecedentia. Aliundè itaq; peccata hominum, quam à Dei Providentia pendere & oriri, certum est.

5. Id quod & ex testimoniis Patrum patet. Sic enim Epiphanius: Absurdum & Scripturæ contrarium est, si aliter quam per liberi arbitrij permissionem, mala ac peccata à Deo esse dicantur. Eusebius: Impius profectò iudicabitur, imò verò pessimus omnium, qui à Creatore universi, alios ad adulteria, alios ad rapinas, alios ad alia vitia impelli, arbitretur. Vndè sequeretur, aut hæc peccata non esse, aut peccandi causam in creatorem referri. Et paulò post: Quare non jure homo; sed creator ejus, peccator erit, quo dogmate

 nihil

nihil scelestius cogitari potest. Augustinus: Nefas est Deo adscribere talium ruinarum causas, qui etsi ex æterna scientia præcognitum habet, quid uniuscujusq; meritis retributurus sit, nemini tamen per hoc, quo falli non potest, aut necessitatem aut voluntatem intulit delinquendi. Si ergò à justitia & pietate quis defecit, suo in præceps fertur arbitrio, sua concupiscentia trahitur, sua persuasione decipitur. Nihil ibi Pater, nihil Filius, nihil Spiritus Sanctus, quicquã Divinæ voluntatis *interuenit, cujus ope scimus multos, ne laberentur, retentos, nullos autem, ut laberentur, impulsos. 6. Neq; hoc quicquam ad obtinendum & defendendũ adversariorum προηγούμενον facit; quod, quia in Deo vivamus, moveamur & simus, atq; ita Providentiâ Dei sustentemur; propterea statim sequatur, Deum actũ largiendo in peccatis hominũ concurrere. Distinguendũ n: inter actũ substantiam & accidens, sive actũ & motũ ipsum, & vitiũ quod motum illum polluit: Ille est à Deo, hoc v. ab homine ejusq; mala voluntate provenit. Id quod similibus, de fure & claudicante declarari potest. Motus extendendi manum est à Deo; sed extendendi ad rem alienam, est à prava hominis cupiditate. Sic motus localis in claudicante, est naturæ atq; sic à Deo; sed ipsa claudicatio, est à quodam vitio & defectu corporis.*

Caput Secundum.

De Peccato.

Error Primus.

Martinus Bucerus in c. 1. Rom. Martyr. in 2. Samuel. cap. 16. Zhegedinus L. C. f. 233.

Si quis videat cœcum impingentem, nec posse non cadere, si ei suam manum non porrigat, eumq; regat, nolit autem ille manum suam cæco præbere, & patiatur eum cadere. Obsecro quis non dicat eum casum cæci hujus voluisse, ejusq; fuisse causam? Iam Deus hoc amplius *mei peccati causa est*, quam ille, qui negat cæco ducatum, causa est, ut cadat cæcus, quod Deus in utero matris meæ, me cum hac perversitate ingenii mei, atq; peccandi necessitate condidit atq; formavit.

REFU-

Communis quidē est omniū Calvinianorum opinio, ut ex priori cap. & super. disp. patet; Deum esse causam peccati, quod & quidem non eunt inficias: attamen plurimi Eunucho Terentiano haud absimiles, modò ajunt, modò negant, quibusdam planè negantibus, & per calumniam eis hunc errorem affingi clamitantibus, in quibus non religio sed astutia major, ut eò citius, cavent es à simplici verborum confessione, occultatum impietatis virus, incautis instillare possint. Sed cum illi (a) apertè scribant: quod Deus peccatum, quatenus peccatum, volens permittat; imò faciat ut peccent homines: quod efficacia agendi penes Deum sit, impij verò ministerium duntaxat præbeant. His certè & id genus alijs auditu horrendis blasphemijs, hic illorum error notior est, quàm ut eum ullo prætextu palliare, aut objecti criminis reatu sese exolvere queant.

a) Zanchius in Epist. ad Pezel. par. 2. object. De natura DEI lib. 3. c. 4. th. 8. f. 265. In Miscell. quæst. f. 142. Calvin. Inst. li. 2. c. 4. §. 4.

1. Sed ad ejus refutationem, dicta in disputatione superiori allegata sufficere possunt: quibus illa addi volumus (b), quæ Dei opera dicunt esse perfecta, Deumq; absq; ulla iniquitate bonum, justum & rectum: ideoq; & peccatum & peccatores, ei esse abominationem & odium: nullam esse participationem justitiæ cum iniquitate: Deum neminem tentare ad malum, neq; facere iniquitatem: sed peccata prohibere; peccatores summa patientia tolerare: atq; impœnitentiâ illorum contristari: eorum conversionem interposito jurejurando desiderare: & in impietate perseverantes præsentibus & æternis pœnis afficere &c. Ex quibus, ijsq; multò pluribus aliis dictis S. S. Scripturæ singulis, singulæ rationes solidissimæ contra Adversariorum blasphemiam desumi possunt.

b) Deut. 32. 4. c. 18. 9. Matt. 19. 17. Psal. 111. 7. & 119. 68. Zach. 8. 17. 2. Cor. 6. 15. 1 Tim. 4. 4. Iacob. 1. 13. Sophon. 3. 5. Exod. 20. Deuter. 28. Ier. 8. 21. Luc. 19. 41. Rom. 9. 22. Ezech 33. 11. Deut. 28. 15. Iohan. 3. 36. 1. Cor. 6. 9. 10.

2. Quin & omnia Dei opera, ut paterna illius cura, pro salute hominū procuranda, ante facta mundi fundamenta: creatio universi valdè bona: implantatio legis naturæ, & iudicium conscientiarum: distinctio boni & mali, illi præmijs, huic verò propositis pœnis: Missio filij Dei, & expiatio peccatorum sanguine ejus facta: emundatio à peccatis, eorum remissio per fidem, & totalis per mortem abo-

litio &c. Hæc inquam omnia Dei opera, Deum à causa peccati vel maximè liberant.

3. Neq; enim peccatum ad Deum referri posse, indè patet: quia ejus proxima causa est hominis mala voluntas, quæ ordinem primæ causæ transgrediens, peccatum fecit ac commisit: Ergò, juxta regulam Thomæ (c), hoc effectum (peccatum) quia procedit à media & ultima causa, atq; etiam ordinem primæ causæ exit, non reduci potest in primam causam. Nihil enim ex effectu secundæ causæ ad primam & universalem reducitur, nisi quod ordini primæ causæ subjicitur: imò si & subjiceretur, & à recta subordinatarum causarum τάξει penderet, (quod non est) ut eæ ad hujus effecti (peccati) constitutionem concurrerent; tamen illud non supremæ, sed ultimæ & proximæ causæ conditionem sequeretur. Id quod & ex natura herbarum florum & arborum patet, quæ non caloris solaris, aut pluviæ fœcundantis, sed seminis conditionem sequitur.

c) Part. 2. q. 79.

4. Præterea ex peccati natura & definitione, illius causam Deo impingi non posse constat, ex qua hasce συμβόλῳ rationes nominasse sufficiat. 1. ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία (d). 2. Est ἀδυναμία & imperfectio. 3. Est inobedientia contra Deum, & defectio à voluntate Dei, imò cum eadem pugnat. 4. Est omnium rerum ἀταξία & confusio, atq; creaturæ Dei summa corruptio. 5. Peccatores sibiipsis peccata sua imputant. 6. Pro remittendis peccatis Deus vult invocari, & pro remissis laudari. 7. Seriò pœnitentibus Deus peccata remittit. Hæc omnia irrefragabiliter demonstrant, sine summa in Deo contradictione, eum peccatorum causam statui non posse.

d) 1. Ioh. 3. 4. Esa. 1. 5. Rom. 7. 18. c. 8. 3. Oseæ 7. 13. Gen. 6. 5. c. 8. 21. Esa. 5 11. Ephes. 5. 18. Luc. 10. 30. 2. Sam. 12 13 Luc. 18. 13. Psal. 32. 6. & 50. 15. Es. 65. 2. 24. 1. Reg. 8. 46. 47 48. Eze. 18. 27. Ion. 3. 10.

5. His suffragantur testimonia Patrum. Justinus inquit (e): Si Christum oportebat ab uno discipulorum prodi, ut fieret quod scriptum erat: Christus causa est impletionis Scripturæ, non proditionis Iudæ. Hujus enim Iudas ipse author fuit, quam futuram sciens Deus, prædixit per literas. Hæc prænotio non est causa ejus, quod futurum erat, sed quod futurum erat causa est prænotionis. Non

e) Quæst. 38. ad Orth. In orat. cont. Idola. Lib. 7 Philosoph. c. 1. Orat. 1. in Iuliabum, In Acta Apost. Hom. 23. Lib. 29. Moral. c. 21.

enim

enim prænotionem sequitur res futura, sed rem futuram prænotio, nec ullo pacto, qui prænoscit, causa est rei futuræ. Athanasius: Absurdum & impossibile est, Deum malorum causam existere. Gregorius Nyssenus: Non est fas, Deo ascribere turpes actiones & injustas. Gregorius Nazianzenus: Nullo modo Deus causa peccati est, quippe naturâ bonus. Chrysostomus: Satius est sexcenties defodi, quàm Deum per nos talia audire: Deus nobis author malorum est. Gregorius: Dominus author est naturæ, non culpæ.

6. Quod si deniq; hic omnia illa blasphema portenta, quæ hûc crassum comtantur errorem, subjungere animus esset, charta absurditatibus impleretur. Eas igitur in superiori disputatione positas, huc, qui vult, transferre potest. Notandum tantùm hîc, hac blasphemiâ majorem non excogitari posse, quâ omnis generis flagitia, quo nomine veniant, Deo imputantur; non sine summæ ejus bonitatis misericordiæ & justitiæ lasæ nefando & execrando crimine, quod certissimè inultum haud ferent illi, qui hæc DEO imputant.

7. Nec quicquam patrocinij in hoc suo errore obtinebunt à Dei permissione, quam sine conjuncta quadam voluntate nunquam esse constat, quod propterea quædam causa peccati in Deum redundet. Etsi enim concedere oporteat, peccata non fieri simpliciter nolente atque ἀντεγκτικῶς repugnante Deo, ita ut illa noluntas cum impediendi consilio sit conjuncta; tamen non concedimus peccata fieri Deo volente; non enim Deus volens iniquitatem tu es, inquit Psalmista (f): sed tantùm permittente; quam permissionem non negamus, cum quadam voluntate esse conjunctam: sed ita ut utraque habeat diversa objecta; permissio peccatum in se consideratum; voluntas verò bonum & utilem finem, ad quem Deus etiam malas hominum actiones sapienti & mirabili suo consilio dirigere novit; id enim nisi novisset, nunquam malum permitteret.

f) Psal. 5.5

Error

Error Secundus.

Cinglius de Providēt. ad Philip. Cattorum Principem Tom 1. C. 6. f. 365, 366.

Unum atq; idem facinus, puta, adulterium aut homicidium, quantum Dei est authoris, motoris ac impulsoris opus, crimen non est: quantum autem hominis est, crimen ac scelus est.

REFUTATIO.

Hæc scilicet est, ut dixi omnium constans & perpetua opinio, Deum esse peccatorum omnium authorem, motorem & impulsorem, etsi quidam id, tàm non apertè, ut antea monuimus, confiteantur. Sed quia sic Deum à culpa & crimine èximi non posse animaduerterunt, ecce hìc illud huic errori addunt assumentum; quod etsi Deus homines moveat ac impellat ad peccata, tamen propterea in culpam & crimen non incidat, imò hoc illi magis honorificum sit; At homini crimen & nefas.

1. Atque sic videmus, quomodò adversarij suis figmentis, in proprio suo cerebro, instar aranearum quidvis ex se fingentium, natis; errores suos pallient & excusent: Non verò ex S. S. Scriptura probent. Hæc enim authores, impulsores & actores ad peccata, omnium maximè peccare, & propterea majori pro qualitate delicti, pœnâ affici debere; & dictis & exemplis doceat, quæ in sacro Codice videantur (a).

a) Gen. 3. 14. 15. Num. 12. 9. 10. c. 25. 8. 9. 10. 11. Ios. 7. 10. 24. 25. c. 10. 24. 25. 1. Sam. 15. 11. 23. 1. Reg 12. 30. c. 13. 2. 4. c. 18 40. Iob. 19. 11.

2. Hoc figmentum ordinem naturæ, legum & Politiæ, atque Philosophiæ invertit. Lex enim naturæ, leges gentium in Politia & & Philosophia nes docent: opus aliquod & factum, magis ad imperantem referri, quàm exequentem: magis causæ efficienti primæ, principali ac motrici, quam instrumento ac rei motæ, ascribi: magis proprium esse facinus authoris ac impulsoris, quam coacti atque impulsi: denig minus illum excusari qui volens, quàm qui ex necessitate aliquid facit.

3. Quemadmodùm id ex communi experientia, omnium confessione indubitatò constat; non in eodem reatu esse infantem vel alium quemcunq; ex ignorantia, impotentia, instigatione & persuasione coactum,

coactum, peccantem; & alium adultum atq; potentem, deliberato consilio & merâ lubentiâ, sine coactione & impulsione, in eodem flagitio concurrentem: sed illum præ hoc magis esse excusatum. Si itaq; Deus, ut adversarij (b) apertè scribere non erubescunt, sit peccatorum causa absoluta, volens, instigans, cogens, impellens & efficiens; ita ut Deus decreta sua in ipso peccandi opere, sæpè per nescientes vel invitos exequatur: negari quoque nec potest nec debet, Deum in majus crimen & culpam, quam homines incurrere.

b) Thesaur. Orth. fid. f. 694 Zanch. in Miscell. f. 142. 146. Beza vol. 1. f. 372. Zegedinus L. C. f. 233.

4. Denique, ut Essentia effecti est per suam causam, sic etiam cognitio causæ est per suum effectum, qui, qualis ea sit, vicissim declarat. Ergò sequitur, aut Deum immutabiliter bonum, peccati, quod malum est, causam non esse, ut antea demonstratum: aut ex criminis & sceleris atrocitate, de prima causa impellente, judicari debere.

Error Tertius.

Infantes Electi ab ipso in vitam ingressu, salutis participes sunt, & sancti nascuntur, teste Apostolo: eò quod ex iis orti sunt, sive proximis, sive superioribus parentibus, qui verâ fide Christum, tàm posteris suis, quàm sibiipsis ex fœderis formulâ apprehenderunt. ¶ Omnes homines salvandi, in utero materno, ut & Johannes, Spiritu S. replentur. ¶ Infans ex recepto in fœderis societatem progenitus, hæreditario jure, secundum promissionis formulam, jam à matris utero in fœdere continetur.

Beza in Colloq. Momp. In Creographia f. 176.

In Tractat. de Baptism. Genev. Annn 1588. Calvi. Inst. lib. 4. c. 16. §. 24.

REFUTATIO.

Peccatum originis Adversarij in quibusdam (Electis) negant, dum eos sanctos nasci, nihilominus tamen fide carere, sed hæreditario jure, per fidem parentum in fœdere contineri, atque sic salutis participes esse somniant. Multa itaque hoc errore continentur,

ex quibus nos, tractatione de fide infantum suo reservatâ loco, his illam quæstionem, quæ hujus loci est, decidemus: An infantes sancti nascantur, atque sic sine peccato sint, atq; hæreditario jure in fœdere contineantur? Cujus negativam, quam & quidam ex illis (a) amplectuntur, sequentibus fundamentis & rationibus demonstratam, constanter amplectimur.

a) Vrsini Catech. par. 1. quæst. 7. de Peccato orig.

1. Primum immotum fundamentum & ratio solidissima in S. S. Scripturæ luce meridianâ clarioribus dictis continetur (b): quæ affirmant Protoplastos non ad Dei imaginem, jam amissam, sed ad peccato pollutâ imaginem liberos genuisse, & non in sanctitate, sed in peccatis, eorum posteros concipi & nasci; atq; hæreditario jure, seu naturâ, omnes esse filios iræ: ac propterea non posse dari mundum, de immundo conceptum semine: imò & omne figmentum cordis humani tantummodò malum esse à pueritia. Vndè & Christus carnalem nativitatem, ut immundam damnat, inquiens: Dedit potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri: sed ex Deo nati sunt. Quicquid enim ex carne natum est, caro est, id est, peccato sic pollutum & inquinatum, ut caro & sanguis, qualis ex parentibus nascitur, regnum Dei videre nequeat. Non enim qui filij carnis, hi filii Dei: sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine. Et Deus de populi sui transgressione & apostasia, ad quam ab ipsa nativitate proni fuerint, conqueritur, inquiens: Scio quia prævaricãs prævaricaberis, & transgressorem ex utero te vocavi. Durus es & nervus ferreus, cervix tua; & frons tua, ænea.

b) Gen. 5. 3. Psal. 51. 7. Ephes. 2. 3. Iob. 14. 4. Gen. 6. 5. c. 8. 21. Ioh. 1. 12. c. 3. 6. Rom. 9. 8. Es. 48. 4. 8.

2. His addi possunt innumera S. S. Scripturæ exempla, quibus sanctitatem non à natura & nativitate, sed à Dei immerita gratia & misericordia, mediisq; illis quibus suam gratiam alligavit, dependere & provenire, testantur: de quibus unum atq; alterum, cum instituti ratio non ferat omnia perpendere, videbimus. Abraham,

bam, quantum vis ex populo Dei oriundus, non tamen propter prosapiam; sed quia vocatus à Deo ex Vr Chaldæorum credidit Deo, & vocati obedivit; justus & sanctus dictus & habitus est. Credidit n. Abraham Deo, & hoc reputatum est illi ad justitiam (c). Sic de Jacobo Paulus inquit: Cum nondum nati fuissent (ergò non à nativitate) aut aliquid boni egissent aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: major serviet minori: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Et Paulus de seipso; non se naturâ, sed gratiâ Dei esse, quod sit.

c) Gen. 15. 6. Rom. 4. 14. c. 9. 11. Gen. 25. 23. Mal. 1. 2. 1. Cor. 16. 10.

3. Tùm redemtione à Christo facta pro omnibus hominibus, atque sic etiam infantibus, non eos absque peccato nasci, evidenter demonstratur. Non enim Christus redemptor est, nisi peccatorum & eorum qui perierunt: Ergò infantes ab utero etiam materno esse peccatores, eosq; absque Christo perditos, id quod Christus ipse de parvulis expressè affirmat (d), sequitur: aliàs enim, si absq; contagio peccati in sanctitate nati essent, hoc mediatore non indigerent.

d) Matt. 18. 11.

4. Et nisi infantes in ipsa nativitate sub peccatum concluſi essent, utiq; in eadem & post eam, nihil juris & potestatis in eos mors haberet, quæ nõ nisi peccati est stipendium, sine quo ceu aculeo, mors illis nocere non posset (e): per peccatum enim suum in homines dominium acquisivit. Cum verò etiam in ipsa nativitate & statim post eam infantes sæpè, antequam actu peccare possint, morte immatura præveniantur, atque sic aculeum mortis sentiant, ob hoc ipsum etiam concedi necesse est, eos hæreditario jure, labem originalem ex parentibus traxisse. Atq; propterea ab ipso in vitam ingressu, seu per eum, salutis participes esse, & sancti nasci, non possunt.

e) Rom. 5. 12. c. 6. 23. 1. Cor. 15. 55.

5. Quia salutis participem esse & contineri in fœdere Dei, justum & sanctum esse; non sunt naturæ sed gratiæ, neque subjectivè

sed relativè, tanquam donata & non innata hominibus insunt. Quarè cum sint hæc præternaturalia, non possunt cum natura naturaliter transfundi; sed sicut fuerunt in majoribus dona gratiæ, sic manent quoque in posteris dona libera, & minimè fiunt hæreditaria.

6. Quæ tàm non per carnalem nativitatem in sobolem transmittuntur, ut potius, si exempla consideres, ex parentibus justis & piis, haud rarò effusè impii & flagitiosi liberi prognati sint; & econtrà. Qualis fuit Cain ex Protoplastis: Ismael ex Abrahamo: Esau ex Isaaco: Absolon ex Davide: Filij Eli & Samuelis ex piis suis parentibus progeniti. Sic ex Abia idololatrâ, Assa Rex pius & felix bellator: Ex Achazo homine prodigiosè impio & insigni hypocritâ, maximè religiosus & Deo charus Hiskias: Ex Amone vestigiis parentis Manassis insistente, Josias in pietate nulli regum secundus nascitur (f). Ex hisce dissimilimis exemplis, quibus ex piis impij, & ex impiis pij prognati probantur, liquidò constat, pietatem & sanctitatem à carnali generatione non pendere.

f) Gen. 4. 1. c. 16. 11. 12. 15. c. 25. 25. 2. Sam. 3. 3. c. 13. 28. c. 15. 1. 1. Sam. 2. 22. c. 8. 3. 1. Reg. 15. 8. 2. Reg. 18. 1. c. 21. 26.

7. Id quod & in liberis ad aliquam jam ætatem progressis videre licet, qui non primæ indicia pietatis & sanctitatis, quasi sibi hæreditariæ, produnt: sed in quibus ipsa malitia non tantùm fructuosa fertilitate suppullulat, sed etiam plenâ vi erumpit, ita ut severiori disciplinâ vix coërceri possit. Undè verò illa actualis malitia, si in sanctitate nati sunt? nonne illa, originalem labem, tanquam radicem congenitam omnium defectuum, ἀσεβείας & ἀσεβείας præsupponit?

8. Notentur itaq; hujus erroris absurda. Pietas & Sanctitas erit naturalis, habitualis, non ex dono gratiæ, sed vi nativæ potentiæ inhærens; atq; propterea ut ipsa natura, ita & hæc sanctitas propagabitur, ut qui sit homo, etiam sit pius & sanctus: quin & quamdiu homo manet, & sanctitas ab eo non sejungetur, sed cum homine morietur. Quin & omnes Judæi, imò & omnes homines pij & sancti erunt, quia ortum suum à pijs & sanctis habent.

Error

Error Quartus.

Mihi videtur hanc distinctionem (Peccati Mortalis & venialis) ex Ecclesia penitus eliminandam, tùm ut impropriam, quocunq; modo explicetur, tùm ut pernitiosam.

Beza Coll. Mompelg f. 69.70.71.72 Calvin Inst. lib. 2. cap. 8. §. 58. 59.

REFVTATIO.

Consultò hic prætereo alios, de peccato originis errores; quod non sit peccatum damnans, aut cum lege pugnans, aut pro peccato habendum: sed tantùm infirmitas adhærens, servilis conditio & status, atq; peccatum alienum &c. (a) *Quibus admodùm Pelagianizantes, peccatum originis extenuant, contra expressa S. S. Script. dicta, & quotidianam experientiam, quarè & refutatione eos non dignamur, præsertim cum paucos ex gente Sacramentaria habeant applausores. Quin hic breviter tantùm ad hanc quæstionem; quam hic error, cui tamen non omnes subscribunt* (b), *proponit, de distinctione peccati Mortalis & venialis: An ea penitùs ex Ecclesia, ut impropria & pernitiosa eliminanda sit? Respondemus, omne quidem peccatum etiam minimum, respectu sui esse mortale, quemadmodùm in non renatis omnia sunt; sed propterea tamen, non prorsus hanc distinctionem rejiciendam esse, sequitur ex sequentibus rationibus.*

a) Cinglius cont. Luth. Ad Carolū Imper. Vid. Calvinum Redivivum D. Selnec. loc. 9. Von der Erbsünde.

b) Sohnius tom 2. operum. artic. 2. de peccat. orig. f. 661.

1. Quia S. S. Scriptura eam habet & retinet. De renatis affirmans, eos per fidem in Christum habere remissionem omnium suorum peccatorum: & peccantibus ex infirmiate Deum esse propitium; eumq; illi spiritu, facta carnis mortificare, in spiritu ambulare, & desideria carnis non perficere, sed carnem suam cum affectibus ac concupiscentiis crucifigere pergant, Christum pro iis intercedere, ne moriantur sed vivant (c). *At mortalia peccata in renatis, & omnia in non renatis, ita S. S. Scriptura describit, quod mereantur mortem, præsentes & æternas pœnas* (d).

c) Ioh. 3. 16. Act. 10. 43. Rom. 7. 15. 18. c. 8. 13. Gal. 5. 16 24.

d) Gen 2. 17. 1. Sam. 15. 23. 2. Sam. 12. 5. Iohan. 3. 36. Actor. 5. 3. Rom. 5. 12. c. 6. 23. c. 8. 6. 13. 1. Cor. 6. 9. 10. c. 10. 6. 7. 8. 9. 10. Gal. 5. 19. 20. 21. Eph. 5. 5.

2. Tùm

2. Tum & hoc discrimen constituit imparitas & dissimilitudo Personarum, quarum respectu unum idemq; peccatum in renato est veniale, in non renato verò mortale. Vt in renato, propter fidem qua præditus est, & luctam Spiritus & carnis, concupiscentia ex infirmitate invita operans, est & dicitur venialis, propter veniam, quã indulget propitius pater ei, qui contra illam, fide & spiritu luctatus est, sed propter infirmitatem stare non potuit, resurgit autem per veram pœnitentiam; cujus insigne exemplum habemus in Paulo (e). Sed in non renato eadem hæc concupiscentia, secundum affectus carnis & vagam libidinem ex mera lubentia sciens peccans, & in delicto perseverans, sibiq; securè & licentiosè placens, est mortalis; quemadmodùm ea passim hoc effectu in S. S. Scriptura describitur. (f)

e) Rom. 7. 8. 1. Cor. 6. 11. c. 9. 27. Gal. 6. 24. Col. 3. 5.

f) Rom. 6. 12. cap. 8. 6. 1. Cor. 6. 9. 10.

3. Deniq; propter maximam utilitatem, distinctio hæc in Ecclesia retinenda. Vt impij deterreantur, ne in peccatis pergendo, gravioribus seipsos implicent pœnis, sed per veram pœnitentiam, veniam suorum peccatorum petant & consequantur. Et pij in suis quoque multiplicibus nævis, & præsertim luctâ spiritus & carnis, sæpè non exiguâ, spem veniæ non prorsus abjiciant, neq; ob magnitudinem delicti desperent, sed gratiam Dei, ad remissionem & veniam impertiendam admodùm proclivem, longissimè supra peccatum exuberare, & propterea illorum infirmitati succurrere, neq; linum fumigans exstinguere, aut calamum quassatum conterere velle, certissimâ fiduciâ sibi persuadeant (g).

g) Rom 5. 21. c. 8. 1. 14. Esa. 42. 3.

Error Quintus.

Zanchius (de natura Dei lib. 3. c. 4. quæst. 3. f. 315. quæst. 9. f. 339.

Impii reprobi, dum faciunt contra doctrinam legis, eoq; contra suum officium: non faciunt contra absolutam, veramq; & propriè sic dictam voluntatem Dei, sed velint nolint, voluntatem h. e. æterna Dei decreta implent, usq; adeò immutabilia sunt.

REFUTATIO.

Quæ vos jam Calviniani dementia capit, quod ita canonizatis omnia

omnia, quantum vis maxima impiorum scelera & flagitia? Vix credibile esset, hujusmodi crassa absurda, quæ tantùm non insaniæ eos arguunt, hujusmodi acutos & argutos habere patronos.

1. Sed sic satis se produnt, quod ij sint, de quibus Apostolus inquit (a): quod charitatem veritatis non recipiant, ut salvi fiant: ideò Deum mittere illis operationem erroris, ut credant mendacio: ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati. Est n: aperta & admodum perspicua Dei veritas, homines obediendo legi, facere voluntatem Dei, & propterea à suis affici præmiis; transgressores verò legis, gravissimè contra illam peccare, & contra suum officium Deo debitum, in lege descriptum, & contra voluntatem Dei in lege patefactam agere: atque propterea ex sententia legis transgressæ, & voluntatis Dei violatæ & non præstitæ, in præsentes & æternas pœnas incurrere (b). Quam Dei voluntatem, ut nimirùm homines in præceptis ejus ambulent, & mandata ejus observent, propositis præmiis & pœnis, subindè in S. S. Scriptura repetitam & inculcatam invenies (c). Ergò si servare legem, est facere voluntatem Dei; certè non servare, erit non facere, sed eam transgredi.

2. Et quomodò impii peccando & transgrediendo legem, voluntatem Dei implerent; cum Deus debortetur severissimè à transgressione; nolit imò aversetur peccata; expetat maximè hominis conversionem, atque propterea omnes seriò per varia media, rogando etiam, & instando, ad pœnitentiam à peccatis vocet? Hæc omnia, quæ satis superq; in hac & superiori disputatione, ob oculos posuimus, nos de voluntate Dei certos reddunt. Ergò cum homines committunt, quod non vult Deus: & omittunt, quod vult: certè hujusmodi peccatis commissionis & omissionis, non dicentur voluntatem ejus implere, sed contra eam multipliciter peccare.

3. Id quod & ex triplici illo fine propositæ legis Dei satis constat.

a) 2. Th. 2. 10. 11.

b) Gen. 4. 7. c. 6. 5. 6. c. 18. 20. 21. Exod. 20. 5. 6. 12. Levit. 26. 1. 14. Deut. 6. 24. 25. c. 28. 1. 15. Matt. 5. 21. 22. 28. Luc. 10. 27. 28.

c) Gen. 9. 6. c. 17. 1. 2. Deut. 5. 6. c. 6. 1. c. 8. 1. c. 11. 1. 1. Sam. 12. 24. c. 15. 22. 23. Matt. 19. 17. Luc. 10. 28. Rom. 13. 7. 8. 9. 12. 13. 1. Cor. 7. 19. 1. Ioh. 2. 4. 15. 16. 17. c. 3. 23. 24. & 5. 3.

stat. Vt nobis voluntatem Dei patefaciat: ut hominum natura cum hac norma congruat: & denique, ut omne peccatum non congruens cum hac norma monstret, accuset & æternis pœnis damnet. Si itaque Deus in lege nobis suam voluntatem patefecit, utique extra eam, non nobis aliam eamq; huic contrariam fingere licet. Si hominum natura congruere debet cum hac norma, certè non congruens, contra eam aget. Et denique si Lex accusat, & æternis pœnis damnat non congruentes; certè hi voluntatem Dei non implebunt, nisi Deum voluntatem suam facientes damnare, ἀλόγως καὶ ἀθεολόγως statuere velis.

4. Ergò hic error nimis crassus & satis absurdus, infinita secum fert absurda. Sequetur enim indè: Deum diligere peccatores, quia faciant voluntatem suam: non velle eum, ut mandata sua observentur: eum velle idem cum diabolo: & diabolum incitando homines ad peccata, promovere voluntatem Dei, & sic rem gratam facere Deo: tàm secundum legem, quàm contra eam viventes, facere voluntatem: atque propterea inter pios & impios, quoad opera eorum, non esse discrimen: transgredientes legem non peccare: servire & Deo & diabolo: atq; sic à Deo non posse puniri aut damnari &c.

DE CALVINISMO

DISPUTATIO ELENCTICA
NONA,
Complectens Mataeologiæ Calviniana
examen, in loco
De

LIBERO ARBITRIO,

Quam
Doctore & Ductore S. S. Spiritu
Sub Præsidio
M. PETRI HINKELMANNI,
Verbi Divini Ministri.
privatim defendendam suscipiet
GEORGIUS BREMERUS
Lubecensis.
Habebitur disputatio V. Cal. Aprilis.

ROSTOCHII
Litteris Reusnerianis, Anno 1610.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0233
DFG

ΣΥΝ ΘΕΩ

DISPVTAT. ANTICALVINIST. IX.

DE LIBERO ARBITRIO.

CONTINUATIO.

CUM in hoc articulo, præcipua & maxima nobis, cum Adversarijs intercedat controversia, de statu post lapsum, quid homo in eo non renatus ante conversionem; & renatus in conversione & post eam, possit: convenienti ordine eum præcedenti disputationi subjungentes, in duobus propositis capitibus, quam poterit fieri brevissimè, heterodoxiam Calviniacam examinabimus.

CAPUT PRIMUM.

De statu πλειότητος καὶ ἀπραξίας.

Error Primus.

Adam non potuit nisi ex Dei decreto, voluntate & ordinatione labi. Necessariò itaq; lapsus est. Beza cont. Castellionē f. 119. 120.

REFUTATIO.

Si itaq; necessariò lapsus est, Deo decernente, impellente & cogente, de quo superiori disputat: egimus: sequitur etiam planè tolli libertatem arbitrij, in statu perfectionis (a): quod ut heterodoxum & impium dogma hoc loco refutandum erit.

1. Idq; primò ex S. S. Scriptura, quæ expressè affirmat (b): Deum ab initio constituisse hominem, & reliquisse illum in manu consilij, adjecisse mandata & præcepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te. Et Ecclesiastes inquit: solummodo hoc inveni, quod fecit Deus hominem rectū, & ipsi quærunt adinventiones mul-

a) Hunnius de Lib. arbit. De statu hom. ante lapsum.

b) Syr. 15. 14. Eccles. 7. 30.

tas.

tas. Ex quibus apertissimè libertas Adami ad bonum & ad malum evincitur.

2. Deindè & ex creatione Protoplastorum, ijs liberum arbitrium fuisse collatum, dupliciter probari potest. 1. Quia ad Dei imaginem fuerunt creati, quæ fuit conformitas cum Deo; in mente, perfectâ notitiâ discernente recta & prava: in voluntate, liberrimo arbitrio expetente recta & justa: in corde, omnibus viribus & affectibus obedienti legi Divinæ. 2. Quia homo non sine ratione, ut reliqua animalia, sed cum ratione conditus fuit; cujus est proprium de re proposita, ex mente judicare, & prout mens judicavit, ex voluntate liberâ eligere vel aversari. Quæ certè omnia & singula, Protoplastorum liberum arbitrium, sine ulla contradictione, stabiliunt.

3. Accedit ipsum Dei mandatum de vetita arbore, Protoplastis propositum: quod satis indicat eos libertate arbitrij fuisse præditos, ex qua potuerint de proposito mandato judicare, & ex judicio mentis, secundum liberam voluntatem de eo decernere. Aliàs enim Deus, proponens mandatum, quod vel non intellexissent, vel transgressionem ejus liberè declinare non valuissent Protoplasti, eos ludificasset.

4. Sed contrarium probatur ex colloquio Evæ cum serpente, in quo se satis prodit, sibi tenorem & vigorem propositi mandati non esse incognitum, atq; propterea ad ejus observationem in initio satis fuit prona, sed auscultans serpenti, & ab eo aliud falsò edocta & persuasa, in diversum & priori planè contrarium sensum & voluntatem declinat & rapitur, & secum persuadet & seducit Adamum. Id quod, mentis judicium & voluntatis decretum, omnino in Protoplastis fuisse liberum, satis superq; demonstrat.

5. Qualis enim aliàs illa concreata Protoplastorum fuisset perfectio, quæ facultate & libertate arbitrij, pariter se ad utrumq; oppositorum habentis, imò facilius in bono perseverantis, quam ad malum declinantis, absolvitur. Hæc itaq; αὐτεξουσιότης, facultas & libertas

bertæ applicandi sese in utramq; partem, si Protoplastis denegatur; & eos necessariò & coactè lapsos esse docetur; certè eos in perfectione conditos esse negatur: sed ἀθεολόγως καὶ ἀλόγως.

6. Tum & ex Theodoreti definitione peccati; qua illud, cujusdam legis transgressionem spontaneam significare, inquit; probari potest, Adamū non necessariò, aut ex decreto Dei, sed ex libertate arbitrij, in qua posit⁹ erat, peccasse; atq; propterea hāc illi denegari non posse.

7. Denique & Patrum suffragijs libertas arbitrij in Protoplastis stabilitur. Augustinus inquit (c): Sic hominem prius oportebat fieri, ut & benè posset velle & malè. Nec frustrà, si benè, nec impune, si malè. Idem: Ecce bonus factus est homo per liberum arbitrium: servare se non potuit bonus bonum, & facturus est se malus bonum? cum esset bonus, non se servavit bonum: & cum sit malus, dicit, faciam me bonum? Idem: Voluntas est, quæ se, cum esset libera, servam fecit peccati, peccato assentiendo. Hieronymus: Nos ex eo differimus à brutis animalibus, quod in libero arbitrio conditi sumus.

c) In Enchiridio. De verbis Apostoli serm. 18. In Can. Serm. 81. Contra Pelagianos.

Error Secundus.

Calviniani asserentes omnia ex Divina Providentia fieri inevitabili necessitate, Liberum Arbitrium hominis in rebus externis & civilibus negant.

Vide D. Olearij vorzeichnuß mehr den 200. Calv. Irthumb art. 18. f. 109.

REFUTATIO.

Non tantùm per bonam consequentiam, verùm etiam ex verbis satis manifestis, hujus erroris, quem tamen apertè confiteri, more suo, nolunt; convincuntur, quemadmodum ex Cinglii, superiori disputatione (a) citatis verbis patet. Nos verò etsi libertatem arbitrij in rebus spiritualibus, esse rem de solo titulo, ac propterea nullam, ultrò largiamur: non tamen idcirco prorsus omnem vim & facultatem humanæ voluntatis exstinctam esse sequitur: manstt enim ipsum velle, seu animæ naturalis facultas, quamvis infirmata & sæpè impedita, in rebus externis & civilibus.

a) Cap. 1. Err. 4.

1. Quemadmodum id dictis Sacrosanctæ Scripturæ probari potest.

b) Syr. 15. 14. 18. Ier. 21. 8. 1 Cor. 7. 36. Rom. 2. 14.

tes. Ecclesiasticus enim inquit (b); Deum reliquisse hominem in manu consilii sui. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur ei. Hoc verò non tantùm ante lapsum, sed & post eum, de hominis libertate intelligendum esse, probat ipse Deus, per Prophetam ad populum suum inquiens: Ecce ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis. Sic Paulus de libertate nubendi, vel extra conjugium in cælibi vita manendi differens, inquit: quod vult, faciat. Et de gentibus, eas naturâ, quæ legis sunt, facere, pronunciat. Huc faciunt & dicta superius (c) citata, de hominis electione libera inter bonum & malum, ejusdemq; velle & nolle pædagogico, seu externo & civili.

c) Disput. 8. cap. 1. Err. 2.

2. Deindè & sexcenta exempla ex SS. Scriptura produci possent, quibus in rebus civilibus homini libertatem relictam esse demonstratur. Cain fratricidium non perpetrasset, si verbis Domini obediens fuisset, quibus illum à tam nefanda cæde dehortatus fuit, dicens: Ad ostium peccatum cubat, & ad te erit desiderium ejus? sed tu dominare ei (d). Supersedeo lubens recensendis aliis exemplis; prioris mundi, incolarum Sodomæ & Gomorrhæ, Pharaonis, Israëlitarum in deserto, Saulis Regis, Jeroboami & aliorum Regum Israëlitarum, Pharisæorum, Scribarum, & seniorum populi Judaici tempore Christi: Hymenei, Phileti, Alexandri, tempore Pauli, &c. qui omnes libertate sui arbitrii abusi, à semita recta declinaverunt: quibus eâdem rectè usi in rebus externis & civilibus, ex S. codice addi possunt (e).

d) Gen. 4. 7. c. 6. 3. c. 19. 4 Exod. 5. 2. c. 16. 2. 3. c. 17. 3. 1 Sam. 15. 8. 9. 15. 1 Reg. 12. 28. 29. Matt. 22. 15. 23. 34. 1 Tim. 1. 20. 2 Tim. 2. 17. 18

e) Gen. 4. 17. 21. 23. c. 9. 23 c. 12. 4. c. 13. 9. 10. c. 21. 22. 23. c. 24. 3. c. 27. 8. 9. c. 29. 1. Exo. 1. 17. c. 18. 18. 24. Levit. 26. 1. Deut. 18. 1. Ios. 9. 3. 4. &c.

3. Nec parum momenti, ad liberi arbitrii in politicis assertionem, adferunt scripta Philosophorum; ut, officia Ciceronis, Ethica & Politica Aristotelis, sententiæ Platonis & Homeri, quæ multa præclara, quantum ad locomotivam in externis virtutum moribus regendam attinet, tradiderunt: tùm & Legumlatorum placita & statuta, de disciplina instituenda, & pœnis contemptoribus inferendis: Quin & præclaræ virtutes gentilium passim celebratæ; velut, justitia Aristidis, temperantia Socratis, castitas Lucretiæ, &c. ex discrimine honestorum & turpium ortæ.

4. Cu-

4. Vniuscujusq; etiam ἕξις in rebus civilib. dijudicandis & æstimandis, ex quotidiana experientia, idipsum satis comprobat. Quando nimirum quis ex nativa cognoscendi, ratiocinandi, concludendi & constituendi facultate, multa deliberato consilio liberè facit, quæ potuisset omittere; & multa intermittit, quæ facere posset: testimonium perhibente propriâ illius conscientiâ, & cogitationibus inter se accusantibus vel excusantibus. Quæ certè omnia aliquam mentibus hominum noticiam, & eligendi libertatem voluntati insitam esse, haud obscurè indicant.

5. Denique unum atq; alterum testimonium ex Patribus allegasse sufficiat. Augustinus inquit (f): voluntas in nobis semper est libera, sed non semper bona. Ergò in malis arbitrium liberum, in bono servum, non enim valet nisi ad peccandum. Idem: Liberum arbitrium neq; adeò in peccatore non periit, ut per illud peccent maximè homines, qui cum delectatione peccant, & amore peccati, hoc eis placet, quod eis libet. Ambrosius: Liberum arbitrium ne tunc quidem homo perdidit, quando Diaboli voluntati se subdidit, à quo judicium voluntatis depravatum est, non ablatum. Ibidem: Homo à Diabolo spoliatus non voluntate, sed voluntatis sanitate privatus est.

f) Lib. 1. de gratia & lib. arbitrio c. 15 Tom. 6. cont. Pelag. lib. 1. 2. Lib. 1. de vocat. gent c. 3.

Error Tertius.

Cinglius, & qui cum illo faciunt, peccatum originis definiens, infirmitatem adhærentem, servilem conditionem & statum: Pelagianam liberi arbitrii assertionem defendit.

Vide Calvinum Redivivum D. Seln. loco 9. Von der Erbsünde Item, Vorrede D. Olearii über 200. Calvinisch. Irrthumb.

REFUTATIO.

Superiori disputatione hunc errorem tantùm nominavimus (a), hic verò consequentiam illius, quâ Pelagiana Liberi Arbitrij assertio, in statu ἀποστασίας, inde deducitur, refutabimus.

1. *Ex S S. Scriptura, quæ Liberum hominis Arbitrium in spiritualibus ante conversionem esse nullum, innumeris ferè locis probat: menti omnem spiritualem intellectum derogans: voluntati à*

a) Cap. 2. Err. 4. Refutat.

Deo

Deo aversionem tribuens: Cordi & affectibus malitiam, & viribus humanis insufficientiam, imò ἀδυναμίαν ascribens (b). Hinc liquidò constat, liberum arbitrium in rebus spiritualibus esse rem de solo titulo, & non liberum, sed potius servum appellandum.

2. Id quod & exempla SS. Scripturæ quamplurima, ex quibus pauca notasse sufficiat, satis abundè nos docent. De Abrahamo enim legimus eum non proprio motu, ex arbitrij sui viribus, se ad Deum applicasse, sed Deum ex mera gratia eũ ex Idolomania Ethnica evocatũ, jussisse migrare in terram Chanaan (c): undè & Deus sapissimè Israëlitis inobedientibus exprobravit merè gratuitam illorum ex omni totius orbis terræ populo electionem. Sic & Naaman Syrus primò inobediens verbo Domini ad eum, ex ore Prophetæ Elisei facto, sed postmodum rogatus & admonitus à servis suis, obedivit; atq; sic non nisi verbo Domini & miraculo in proprio corpore facto convictus, abjectâ ignorantiâ gentili, verum Deum colere desideravit. Magis apertè Præfectus Candaces Reginæ Æthiopum suam in lectione Prophetæ Esaiæ ignorantiam confessus, Philippo quærenti ex eo, an intelligeret, quæ legeret? respondit: quomodo possum, si non aliquis ostenderit? His adjungi possunt omnium Ethnicorum Sapientum & Philosophorum exempla, qui tantùm abest, quod vigore ingenii summè docti, & libertate sui arbitrii, quicquam ad veri Dei veram & salutarem cognitionem contulerint, ut potius Deum præ nimia sapientia non cognoverint, atq; sic longius ab eo recesserint.

3. Sed quid multùm Ethnicorum & non conversorum exempla recensemus; videmus in renatis & conversis, quemadmodum capite secundo exempla habebimus, quod illorum voluntas in genere rerum spiritualium & piarum, maxima cum infirmitate & imperfectione operetur, imò sæpè propter ingentem Spiritus & carnis luctam, captivetur in lege peccati: quemadmodum de hac sua infirmitate & captivitate, tragicè admodum D. Apostolus exclamat (d). Id si accidit renatis à Spiritu S. ductis, quid fiet non renatis, qui

suopte

b) Gen. 6.5. c.8.21. Prov. 20.24. Ier.10.14.23. Matt.16.17. Ioh. 14. 17. Rom. 3. 11. c.8.7. 1 Cor. 2.14. 2 Cor. 3. 4. Psal.5.10.& 14.3.& 53.4. Gal. 5. 17. Phil. 2. 13. Ioh. 14.4.

Esa. 1. 6. c. 48. 8 Ier. 17. 9. Matt 15.19. Ioh.3. 6. 27. c.6. 44. 63. 65.

c) Gen 12 1. Exo. 3. 7.8. c.12. 27. 36. c.18.10. c.19. 4. c. 20. 2. c. 29. 46. Deut. 4.20. c.6. 10. 11. 21 22. 2. Reg 5. 11. 13.

Act. 8. 30 31. c. 17. 16. 21. 32. Rom. 1. 22. 23. 28. 1 Cor. 1. 21. 23.

d) Rom. 7. 23. 24.

suopte regimine, instar equorum rectore excusso & destituto, feruntur in quævis præcipitia.

4. Quin & ex pluribus aliis S. S. Scripturæ dictis solidissimæ, contra liberum arbitrium in spiritualibus extra conversionem, demonstrationes desumi possunt (e). Vt quod non renati dicuntur servi peccati, servi corruptionis, utpote ab ea superati, mortui in peccatis; & cervix illorum nervus ferreus, facies dura, frons ærea; & cor lapideum & indomabile: unde comparantur adamanti, petræ, trunco, tenebris, &c. Hæc omnia penitus, vi apodicticæ consequentiæ, quam ex singulis vocibus cuilibet nectendam relinquimus, vires liberi arbitrii, in illo quem diximus statu, prosternunt.

5. Tùm & merito quantulocunq; quod prorsus denegatur homini renato, nedum non renato; eum planè (in spiritualibus puta) libero arbitrio destitui probatur. Si enim homo ex sese vel modiculum tantùm illud Erasmi, ad spiritualia conferret, illi tanquam hominis proprio, suum relinquendum esset meritum: sed homo suis actionibus, ex totis viribus præstitis, non tàm quicquam meretur, ut potius eæ sint Deo contrariæ & abominabiles, & nil nisi iram ejus & æternam damnationem mereantur. Ergò hominem non renatum, prorsus nullum in rebus merè spiritualibus arbitrium habere, ultrò sequitur.

6. Sed quid opus operosa probatione, ubi rerum testimonia affatim ex quotidiana experientia nobis suppetunt. Est enim quasi αὐτόπτων, & non rationibus magis, quàm experientiâ ipsâ omnium temporum, omnium locorum & omnium gentium: non tantùm exterarum, & loco & tempore remotiorum, sed & internarum & proximarum, ἀποδεικτον καὶ ὀφθαλμοφανὲς, quam ne mica quidem facultatis & libertatis arbitrij, homini non renato in rebus mere spiritualibus relinquatur.

7. Cui & sententiæ Patres ex Orthodoxa antiquitate subscribunt. Augustinus (f): Ista libertas ad benefaciendum nunquam erit homini addicto & vendito sub peccato, nisi eum redimat qui dicit:

e) Ioh. 8. 34. Rom. 6. 17. 20. 2 Pet. 2. 19. Eph. 2. 5. Col. 2. 13. 1 Tim. 5. 6. Esa. 48. 4. Ezech. 2. 4. c. 36. 26. Zach. 7. 12. Ier. 5. 3. Eph. 5. 8. Ioh. 1. 5.

f) In Enchiridio c. 29. De verbis Apostoli ser. 18. Libero cont. Pelag. In 1 Cor. 15.

cit: si filius vos liberaverit. Quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quicquam de libero arbitrio gloriatur, qui nondum est liber ad operandum benè? Idem: quid boni operari potest perditus, nisi quantum fuerit à perditione liberatus? Maxentius: Liberum aut naturale arbitrium ad nihil aliud valere credimus, nisi ad discernenda tantùm, & desideranda carnalia sive secularia, quæ non apud Deum, sed apud homines fortassis possunt videri gloriosa. Ad ea verò quæ ad vitam æternã pertinent, nec cogitare, nec velle, nec desiderare, nec perficere posse, nisi per infusionem & operationem intrinsecus Spiritus Sancti. Hazmo: Deus operatur omnia in omnibus. Quibus verbis tollitur humana arrogantia, cum sine Spiritu Sancto, nec magna nec minima bona operari possit nostra fragilitas.

Error Quartus.

Vide D. Mamphrasij Erotemata in 4. artic. visit. articul. de Prædestin.

Hominem non renatum, verbum Dei serio & cum studio discendi audire posse, negant Calviniani.

REFUTATIO.

Etsi Calviniani peccatum originis extenuantes admodum Pelagianizent, tamen sui quasi obliti, aut consequentiam illam Pelagianam non animadvertentes, homini nondum renato externam Pædagogiam audiendi verbum, cum studio discendi conjunctam, concedere nolunt.

1, Sed refutantur perspicuis S. S. Scripturæ dictis. Posse enim hominem non renatum desiderare verbum Dei, & illud studio discendi audire, testatur Deus ipse apud Prophetam Amos, ubi inquit (a): Ecce dies venient, & mittam famem in terram, non famem panis, nec sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini: *& current à mari usq; ad mare, & ab aquilone usq; ad orientem circumibunt,* quærentes *verbum Domini, & non invenient. Et de infidelibus & reprobis Iudæis inquit Paulus; quod quidem habeant zelum, sed non secundum scientiam: & id, quod quærebant, non sint assecuti: quod semper discant, nec tamen unquam ad agnitionem veritas,*

a) Amos 8. 11. Rom. 10. 2. c. 11. 7. 2 Tim 3. 7. Ioh. 5. 39.

veritatis venire possint. De ijsdem inquit Christus; quod putent se habere vitam æternam in scripturis, & propterea monet, ut eas scrutentur. Quæ certè liquidò satis confirmant, non renatis studium discendi verbum, negari non posse.

2. Quod & Exemplis ex S S. Scriptura depromptis, probari potest. De Herode enim, viro minimè renato, testatur Euangelista (b); quod metuerit Iohannem, eumq; observaverit, & audito eo multa fecerit, & libenter, ἡδέως, eum audiverit. Tum ex tota πράξει Apostolica, omnium prædicatione verbi conversorum exemplis probari potest, eos cum studio discendi auscultasse verbo. Quemadmodum de tribus millib. conversis concione prima Petri dicitur, quod receperint sermonē ejus. Sic & Præfectus Reginæ Candaces cum desiderio intelligendi legit Esaiam, rogans Philippum, ut ascendat ad se in currum. Expressius Lucas de Paulo Sergio gentili pronunciat, quod accersitis Paulo & Barnaba, desideraverit audire verbum Dei. Et de Athenienſibus inquit Lucas, quod Paulum allocuti sint his verbis: nova quædam infers auribus: volumus ergo scire, quidnam ista sibi velint. Felix præfectus Cæsarienſis, dicitur vocasse Paulum, & audivisse ab eo fidem tanto desiderio, ut secunda vice, tempore commodiori eum accersiverit. Agrippa Rex quoq; ad Festum inquit: Volebam & ipse hominem (Paulum) audire.

3. Quin & teste experientia satis superq; constat, quod & nemo negat, hæreticos quosq; in legendis libris Biblicis magnam diligentiam adhibere, & in ijs explicandis, ad defensionem suæ heterodoxiæ, operam haud contemnendam collocare. Imò & Concionatores, adde & auditores in doctrina aliàs synceri, sed vitâ & moribus impij, ideoq; in renatorum censu non habendi, accurato studio horis destinatis legunt & scrutantur Scripturam Sacram, sæpè non sine insigni quodam profectu.

4. Si verò nullum studium discendi S S. Scripturam homini relinquatur, sequetur sine eo, venire homines ad intellectum verbi, & eos quoq; qui non audiunt, vel non seriò audiunt, imò contemnunt verbum,

b) Mar. 6. 21. Act. 2. 37. 38. 41. c. 8. 30. 31. c. 13. 7. c. 17. 20. c. 24. 25. cap. 25. 28.

lum, converti; id quod evidenter falsum est & absurdum. SS. Scriptura n. testatur non contemptores, neq; inanes & desides auditores, sed diligentes & cum desiderio discendi auscultantes verbo, ad agnitionem veritatis pervenire.

5. Alias n. & hoc sequeretur, & plura alia; homines omnes converti, vel causam, quare non convertantur, non in hominibus sed Deo residere: nec externa obstacula impedire posse, quò minus in contemptoribus verbum fructificet: neq; illa homines non renatos posse, neq; debere, aut necessum esse, removere, ne fructificationem impediant, ut ita studium excitetur: quod tamen habere, aut ad auditum verbi adferre non possint. Ex his certè omnibus evidenter apparet, non omne studium discendi, hominibus non renatis, negari posse.

Caput Secundum.

De statu παλιγγενεσίας καὶ καταλλαγῆς.

Error Primus.

Homines gratiæ Dei συνεργοῦσι: id verò qui negat, primæ gratiæ efficacitatem negat.

Beza lib. 1. quæst. & Resp. ad D. Camerariũ. Amelingus in Epist. ad Princip. Anhald. Consiliarios.

Necesse est ut concurrat vel adsit voluntas seu mens hominis, quæ debet converti: Ergò concurrit vel adest tanquam causa suæ conversionis.

REFVTATIO.

Poterit huic errori satisfacere refutatio erroris tertij, superioris capitis. Cui ad majorem explicationem, addimus verum statũ quæstionis: qui est non de præsentia motuum piorum in Conversione, quos adesse oportet, si vera conversio esse debet; sed de eorum causa efficienti, unde illi sint. Neq; de Conversionis medio & fine, quatenus insequens renovatio comprehenditur; sed de ejusdem initio, quo homo è statu corruptionis in statum gratiæ transfertur, ab incredulitate ad fidem convertitur; est quæstio: An homo quicquam in illo puncto conversionis possit aut valeat? Nos negativam contra errorem amplectimur.

1. Quæ solidissimè in SS. Scripturâ fundata; ignoratione & cæcitate

tate mentis, aversione voluntatis, pravitate cordis & defectu omnium virium describitur & demonstratur (a). De mente enim & intellectu hominis sic loquitur Apostolus: ὁ ψυχικὸς ἄνθρωπος οὐ δέχεται: *quam ἀπόφασιν Paulinam esse καθόλου, plurima alia dicta S S. Scripturæ testantur. Voluntatem hominis planè esse à Deo aversam, tàm est in S S. Scriptura decantatum, ut nihil magis. Et inter reliqua passim dicta (b), illud Classicum, summam omnium continens, & ter repetitum in Sacris, eminet: Omnes declinaverunt, simul abominabiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usq; ad unum (c). Cor hominis cum suis affectibus, in Sacris, nusquam non à pravitate, duritie & impænitentia, describitur (d). Omnium deniq; virium hominis* ἀδυναμία *& imbecillitas tanta dicitur esse, ut homo non sit idoneus cogitare aliquid boni à seipso, nedum perficere; imò sit mortuus in peccatis (e). Quemadmodum itaq; corporaliter mortuus, seipsum in vitam revocare non valet, ita neq; spiritualiter mortuus, seu non conversus, ad sui conversionem vel tantillum conferre potest.*

2. *Et quî hoc posset, cum conversio hominis in solidum, etiam confessione omnium piorum, Deo tribuatur (f): qui passim dicitur illuminare mentes, flectere voluntates, vires ac robur largiri, per verbum suum esse potens ad salutem, nos salvos facere per lavacrum regenerationis, atq; sic homines ad se trahere. Vnde & omnes sancti pro remissione suorum peccatorum, & sui conversione Deum invocant, dicentes: Sana me Domine, & sanabor; salvum me fac, & salvus ero; Converte me, & convertar.*

3. *Qnarè & Conversio & justificatio hominis peccatoris, tanquam solius Dei actio, merè gratuita & immerita nobis proponitur & describitur. Sic n: Apostolus (g): Justificamur gratis per gratiam ipsius. Et, qui non operatur (ergo* συνέργεια *nulla) credenti a. in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam. Gratiâ salvati estis, per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Si a. gratia, jam non ex operibus: alioquin*

a) 1 Cor. 2. 14 Rom. 3. 11. c. 8. 7. 1 Cor. 1. 21. Eph. 4. 18. Esa. 9. 2. c. 60. 2. Matt. 16. 17. Luc. 8. 10. Ioh. 1. 5.

b) Ps. 10. 7. 8. & 20. 8. & 32. 9. & 41. 7 & 55. 12. & 62. 10. & 78. 57. Esa. 59. 7. 12. c. 65. 2. Ier. 2. 13. c. 4. 22. c. 6. 10. c. 8. 6. 7. 10. c. 9. 8. c. 11. 15. &c.

c) Ps. 5. 3. & 53. 3. Rom. 3. 12.

d) Gen. 6. 5. c. 8 21. Psal. 62. 5. Esa. 1. 6. Ier. 17. 9. Ezec. 36. 26. Zach. 7. 12. Matt. 15. 19.

e) 2 Cor. 3. 4. 5. Eph. 2. 5. Col. 2. 13.

f) Deut. 30. 6 Ezech. 36. 25. 26. Ioh. 1. 9. 16. c. 15. 4. 5. 2 Cor. 5. 18. Phil. 2. 13. c. 4. 6.

Eph. 2. 5. Rom. 1. 16. Tit. 3. 6. Ioh. 6. 44. Ps. 32. 6. & 51. 12. Ier. 17. 14. c. 31. 18. g) Rom. 3. 24.

Eph. 2. 8. Rom. 11. 6.

quin gratia, jam non est gratia. Si a. ex operibus, jam non ex gratia, quandoquidem opus jam non est opus. Manet ergò, quia conversio merè est gratuita, ne tantillum quidem humanis viribus adscribi posse; tùm n: non esset gratuita, sed meritoria.

4. Atq; sic indè hoc etiam absurdum, vel blasphemia potius emergeret; quod, quantum viribus humanis in conversione tribueretur, tantum gratiæ Divinæ detraheretur: atq; sic non totalis causa conversionis Deo relinqueretur, sed opus conversionis inter Deum & homines divideretur. Quo nomine magis omnibus orthodoxis invisa esse debet hic, cum Pelagianorum, Pontificiorum & Synergistarum maleferiatis opinionibus, consentiens error.

5. Quin & ex lucta carnis & spiritus in renatis, omnem συνέργειαν homini in conversione adimi, solidissimè probatur. Si n: renati, acti à Spiritu S. hujusmodi in se luctam & concertationem experiuntur, ut, quod agũt, maxima cum infirmitate vix, aut ne vix quidem perficiant, teste Apostolo (h): quid fiet non renatis, in primo puncto conversionis, in quo non lucta, sed aversatio inimicitia & fremitus repugnans Spiritui S. & voluntati Divinæ, plenis indicijs se prodit? num illi, Spiritui S. in initio conversionis cooperari, existimãdi sunt? minimè gentium. Vbicunq; enim est aversio & inimicitia adversus Deum, ibi nulla consensio aut cooperatio cum Deo locũ habere potest.

h) Rom. 7. 15. 18. 19. 23.

6. Vltima deniq; probatio contra Liberi Arbitrij Assertores ex Patribus peti potest. Augustinus n: inquit (i): Dices, hoc potest volũtas mea, hoc potest liberum arbitriũ meũ: Quæ voluntas? quod liberum arbitrium? nisi ille regat, cadis: nisi erigat, jaces. Idem: Quapropter ut in eum credamus, & piè vivamus, non volentis, neq; merentis, sed miserentis est Dei. Idem: Deus præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incepit. Quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Vt ergò velimus sine nobis operatur: cum a. volumus, & sic volumus ut faciam⁹, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valem⁹. Idem: Nolẽtem prævenit ut velit, volentem subsequitur ne frustrà velit.

i) De verbis Apostoli Rom. 8. Serm. 13. Ad vitalem Epist. 107. De gratia & lib. arbit. cap. 17. In Enchiridio Cap. 32. In præfat. 4. Psalmi. In 1. Cor. 15. Super Ps. 91.

Albinus:

Albinus: Sine Sp. S. gratia, remissionem accipere nemo potest. Ibidem: Sordidare me potui, sed mundare nequeo, nisi tu Domine Iesu sancti sanguinis tui aspersione mundum me facias. Haymo: Per liberum arbitrium Paulus cooperatus est gratiæ Dei. Ipsa tamen gratia prævenit eum, ut vellet, & subsecuta est, ut posset implere, quod volebat.

Error Secundus.

Rationi humanæ, quæ post regenerationem spiritualis facta est, & probat, non errores Philosophiæ, sed vera principia de humani corporis propriis essentialibus, quatenus verum testimonium creaturis perhibet; fidem non derogamus.

Grynæus in Disp. Heid. habita An. 84. th. 25.

REFUTATIO.

Non Calviniani rationi regeneratæ & illuminatæ, quantū debebant tribuunt, ut SS. Scripturæ illa subsit; sed nimium eam extollendo, Scripturæ præesse volunt, cui ultra nihil concedunt, nisi quantum natura & ratio eos docet.

1. *Idq; contra expressa D. Apostoli verba, quibus graviter monet,* omnem intellectum, *non tantùm carnalem non renatorum, sed & spiritualem renatorum,* captivandum *esse ad obsequendum, non rationi, sed Christo. Atq; sic hæc verba vult de renatis intelligi, ad quos hanc Epistolam & priorem scripsit, de quibus prædicat (a): quod in omnibus divites facti sint in Christo, in omni verbo & in* omni scientia: *imò quod testimonium Christi in illis confirmatum sit: ita ut nihil illis desit in ulla gratia: quod sint templum Dei, in quo Sp. S. habitet. Nihilominus tamen illorum intellectum & sapientiam in spiritualibus omninò rejicit, inquiens: nullus seipsum seducat; si quis videtur sibi esse sapiens inter vos in hoc seculo, stultus fiat, ut sit sapiens. Imò & de seipso & suis coadjutoribus inquit:* Non in doctis humanæ sapientiæ verbis; *sed in doctrina spiritus* spiritualibus spiritualia *comparamus. Quarè & Petrus monet, ut is, qui vult in Ecclesia loqui, non ex ratione quantumvis renata, sed ut eloquia Dei loquatur: & τὸν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, & non rationis, ut Paulus inquit.*

b) 1 Cor. 1. 5. 6. 7. c. 3. 16. 18. c. 8. 2. c. 2. 11. 1 Pet. 4. 11. Rom. 12. 7. Ier. 23. 28.

2. Et,

2. *Et ut abrumpamus, quomodo rationis quantumvis in doctrina summæ, ex naturalibus principijs producto testimonio, in rebus Divinis & spiritualibus fidem daremus: 1. Cum hæc non à ratione sed fide dependeant, neq; rationi subjecta, sed supra omnem rationem sint. 2. Quæ vera fide amplecti & non videre debemus. 3. Quare & Christus beatos prædicat, qui non videntes, tamen credunt. 4. Vndè si sciremus & intelligeremus, non essemus beati, imò omnes articuli fidei corruerent. 5. Quia ad unum omnes cum ratione pugnant. 6. Quarè hæc eos dijudicare non potest, quia terrena & naturalia non percipit. 7. Atq; propterea cælestia sapientibus abscondita esse dicuntur. 8. Et ipsa sapientia humana in rebus Divinis, pro stultitia habetur, imo inanis fallacia, secundum traditionem hominum & Elementa mundi indigitatur (c). Ex hisce rationibus, hîc συνηβδην brevitatis studio nominatis, solidissimæ demonstrationes desumi possunt, nos non, in dijudicandis rebus cælestibus & spiritualibus, rationem, principijs naturalibus nitentem, sed S S. Scripturam ducem & judicem sequi debere.*

c) Matt. 16. 17. 1 Cor. 2. 14. Ebr. 11. 1. Ioh 20 26. Matt. 11. 25. 1 Cor. 1. 21. 26. c. 2. 7. Col. 2. 8.

3. *Quod & ex testimonijs Patrum haud obscurè patet (d): Hieronymus n: inquit: ubi de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum scripturarum certis clarisq; documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in alteram partem declinãdo. Idem: Non audiamus, hæc dico, hæc dicis; sed, hæc dicit Dominus. Ibidem: Auferantur de medio quæ adversus nos invicem, non ex Divinis Canonicis libris, sed aliundè recitamus. Quærat fortasse aliquis: Cur vis ista auferre de medio? Quia nolo humanis documentis, sed Divinis oraculis Ecclesiam sanctam demonstrari. Ibidem: Quicquid attulerint, & undecunq; recitaverint, audiamus potius, si oves ejus sumus, vocem Pastoris nostri. Origenes: Necesse nobis est Scripturas Sanctas in testimonium vocare: sensus quippe nostri & enarrationes, sine his testibus fidem non habent.*

d) De peccatorũ meritis lib. 2. cap. 36. De unitate Eccles. cap. 3. In Ieremiã.

DE CALVINISMO

DISPUTATIO ELENCTICA
DECIMA.

Complectens Mataeologiæ Calviniane examen, in loco

De

LEGE

DEI,

Quam

Doctore & Ductore S. S. Spiritu

Sub Præsidio

M. PETRI HINKELMANNI,

Verbi Divini Ministri.

privatim defendendam suscipiet

VALENTINUS SCHACHTIUS
Rostochiensis.

Habebitur disputatio VII. Cal. Maji.

ROSTOCHII
Litteris Reusnerianis, Anno 1610.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0249
DFG

ΣΥΝ ΘΕΩ

DISPVTAT. ANTICALVINIST. X.

DE LEGE DEI.

CONTINUATIO.

LEgis Dei perfectam cognitionem mentibus Protoplastorum in prima creatione insitam, per lapsum ijdem amiserunt: Quarè Deus eandem repetens, solemniter in monte Sinai voce & scripto promulgavit, ut homines de ejus necessaria observatione admonerentur. Quam promulgationem nostri adversarii non intactam relinquunt, dum 1. De divisione Decalogi, & imaginibus. 2. De fine & officio Legis: non Orthodoxè sentiunt; ut breviter hac συζητήσει, σὺν Θεῷ, videbimus.

CAPUT PRIMUM.

De Decalogo ejusq; divisione.

Error Primus.

Non de numero, (Præceptorum Decalogi) sed secandi ratione ambigitur. Qui sic partiuntur, ut tria præcepta dent primæ tabulæ, reliqua septem in secundam rejiciant, *præceptum de imaginibus numero expungunt*, vel certè sub primo occultant: quùm mandati loco haud dubiè à Domino distinctè positum sit. Decimum verò, de non concupiscendis proximi rebus, ineptè in duo concerpunt.

Calvin. Inst. lib. 2. cap. 8. §. 12. viva praxis.

REFUTATIO.

Etsi non tantum referre, quomodo numeres, quàm quomodo observes Decalogi Præcepta, dummodo vera tabularum distinctio & Præceptorum numerus denarius, qui expressè habetur in S. S. literis (a), observetur, ultrò largiamur; & haud ignoremus, hanc non Adversariorum tantùm esse opinionem, sed eam quosdam etiam,

a) Exod. 34. 28. Deut. 4. 13. c. 10. 4.

jam, ex Patribus (b), amplexos esse, sed quàm certò, videre licet in Synopsi doctrinæ Calvinianæ D. Heilbrunneri (c): Quia tamen eos, suam distinctionem, tanquam Dei & Mosis, & propterea necessariam urgere & ostentare, & nos insimulare constet, quod Decalogum ἀπάκτως καὶ κολοβῶς tractemus, omninò decebit, ne sibi, se non errare, & reprehendere nos justò, videantur; illis respondere.

b) Origenes Homil. 2. in Exod. Ambrosius in epist. Eph. 6. Hieronymus in idē cap.

c) Loco 6. Von abtheilung der zehen Gebot. f. 56.

1. Idq; primò ex ipsa Decalogi sede. Non enim esse illud, de non faciendis sculptilibus, peculiare præceptum, sed prioris tantum explicationem & quasi appendicem, probatur ex textu (e): 1. Quia non simpliciter & absolutè Deus vetat facere sculptilia, sed addit; non adorabis eos, neq; coles: propter hunc finem, qui prioribus verbis, non erunt tibi Dii alieni, includitur & comprehenditur, structuram ipsam severissimè prohibens. Quemadmodum & in aliis S. S. Scripturæ locis expressius hic finis additur (d): non facietis vobis Sculptile, LEHISCHTAHAEVOTH, ad adorandum. Sic: Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus conflatile, & quod docet vanitatem? quia speravit in figmento fictor ejus, ut faceret simulachra muta. 2. Quin & facere sculptile non tàm de externâ, (nisi ob finem idololatricum) quam interna πόησει hic accipitur, & idem significat, quod colere Deos alienos, quemadmodum & in aliis locis ita usurpatur (e). 3. Atq; propterea hîc sculptile pro idolo & omnis generis imaginibus, idololatriæ inservientibus, intelligitur, quemadmodum & alibi sæpè in S. S. literis hæc vocabula tanquam ὁμώνυμα conjunguntur (f). 4. Id quod & vocabulū additum, THEMUNAH, probat; quod non tantùm significat figuram vel imaginem externam, quæ arte humanâ effecta & sculpta se ingerit oculis: Verùm etiam phantasma seu Ideam internam, menti se offerentem & animo conceptam. 5. Quam hujus vocis significationem addita explicatio confirmat his verbis: non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis, sub terra. Hæc certè verba non de externa aliqua

d) Lev. 26. 1. Habac. 2. 18. Esa. 44. 17. c. 46. 6. Ps. 115. 8.

e) Exo. 32. 8. Levit. 19. 4. Deut. 9, 12.

f) Lev. 26. 1. Deut. 4. 16. Esa. 2. 8. c. 48. 5. Ier. 51. 17. Amos 5. 26.

statuæ

statuæ aut simulachri fabricatione, sed de interna aliqua Idoli, ejusq; cultus ideâ & imaginatione accipi debere, per se tam est manifestum, ut id negari non possit. 6. Deniq; subjuncta appendix, quæ à Divo Luthero Decalogo postponitur, haud obscurè indicat, priora verba omnia esse primi Præcepti, cujus severiorem demandationem & accuratiorem observationem, ea nobis ob oculos ponat. Quia itaq; ex hisce sole meridiano clarius patet, sculptilia & imagines hoc solo respectu à Deo prohiberi, quemadmodum hic finis superstitiosus expresse etiam additur, ne fiant videlicet ad adorationem & cultum, utiq; & ultrò sequitur præceptum de non faciendis sculptilibus, non esse peculiare; sed prioris exegesin, atq; propterea non à nobis expungi, sed cum priori conjungi.

2. Quod & pluribus alÿs rationibus evincitur. Vt; quod primum præceptum ἀφικῶς καὶ ἀποφατικῶς *effertur; hac enim ratione, sequentia verba, quæ perfectioris explicationis gratiâ addita, non diversum à primo præcepto, sed idem volunt; validius includit & comprehendit. Posito enim universo genere Idololatrias, ejus una aliqua eaq; crassior species subjungitur: & negativa prohibitio universalis, quæ latissimè se extendit, omnium sculptilium & imaginum, quocunq; modo aut ratione institutum cultum, rejicit ac damnat, ne opus sit eum novo Præcepto prohiberi. Quin & utriusq; negativæ enunciationis, de Dÿs alienis & sculptilibus, eadem est sententia affirmativa, videlicet, tantùm unum Deum coles: Ergò & negativas unum idemq; velle necesse est, & sic unum numero, & non duo erunt præcepta.*

3. Id quod & ex sensu verborũ evidentissimè demonstratur. Non enim illa intelligenda tantùm esse de sola & nuda fabricatione sculptilium, ratione causæ efficientis materialis aut formalis, indè patet: quia illa non fuit ἀπλῶς *prohibita, quod probat structura sanctuarÿ ejusq; imaginum; serpens æneus ultra 700. annos, usq; ad Ezechiæ tempora servatus; altare erectum ad Jordanem à quibusdam Israëlitis in testimonium societatis, in hæreditate Domi-*

g) Exod. 25. & seq. Num. 21. 8. 4 Reg. 18. 4. Ios. 22. 10.

ni (g), &c. Quare sequitur eadem verba accipi debere, de fabricatione sculptilium, ratione finis idololatrici; atqui sic idem de eadem re, quam primum continet præceptum, præcipiunt, illudq; explicant, ac propterea peculiare præceptum constituere non possunt.

4. Quin & si communem finem horum verborum legis, de Diis alienis non habendis, & sculptilibus non faciendis, spectes; qui est ut damnent idololatriam; ultrò sequi necessum est, non posse hæc verba duo, sed unum tantùm facere præceptum. Quarè & mutilationis argui non possumus, cum de sensu nihil minuamus, etsi posteriora verba hujus præcepti brevitatis gratiâ omittamus, ut & in alijs præceptis factitatum esse constat.

5. Hisce, quæ pro distinctione Noni & Decimi Præcepti faciunt, summatim subjungimus. Non posse enim illa duo Præcepta pro uno accipi, his constat rationibus. 1. Eadem vox THACH MOD posita in Nono, repetitur in Decimo, quæ esset inanis & frivola πωπολογία, si utraq; ad unum referretur Præceptum. 2. Quarum vocum duplicem esse sententiam ex Deuteronomio probatur; ubi non eadem repetitur, sed alia (THITHAVVAE) ponitur. 3. Vnum itaq; Præceptum radicem & conceptum Concupiscentiæ, & omne illud quod facit concupiscere: alterum verò, fructum, partum, actum & modum concupiscendi damnat: quæ duo longissimâ Διαφόρει inter se differunt, non itaq; possunt nec debent uno Præcepto conjungi. Vndè patet non tàm ex objectis, quæ in Deuteronomio transponuntur (quâvis ea repetitio Decalogi, promulgationi quæ in Exodo fundatur, nihil derogare potest) quam ex diversâ concupiscentiæ naturâ, hanc Præceptorum distinctionem oriri.

6. Deniq; concludimus authoritate Augustini, qui tamen sibi hanc distinctionem non adscribit, sed alios sui temporis authores ejusdem fuisse fatetur. Quemadmodum ante eum plurimos, quantumvis Anonymos, eandem amplexos fuisse, testatur Origenes, ab eâ aliàs alienus. Quin & Augustinum secuti sunt non pauci (h). Nec authoritatem Augustini minuit quæstio tractata de distinctione duorum priorum

h) Beda. Bernhardus Abbas Clarevallensis. Nicolaus de Lyra. Petrus Lomb.

priorum Præceptorum, quod propterea inconstantiæ arguendus sit, quia videatur (i) inclinare ad Calvinianorum distinctionem; idq; propterea. 1. Quia possunt hæ quæstiones Augustino falsò tribui. 2. Vel potest ille eodem in loco ὡς ἐν παρόδῳ & ex historica relatione aliorum, non propriam suam opinionem recitare: Quod ei insolitum non esse, noverunt illi qui Augustinum pervolverunt. 3. Vni huic loco plures alios, in quibus hanc nostram defendit, opponimus (k): undè, cujus sententiæ Augustinus fuerit, satis aperte constat. Quin & nec Calviniani inter se consentiunt, quibusdam sibiipsis (l) contradicentibus: quibusdam cum suorum complicum distinctione non facientibus.

i) Quæst. 7. in V. T.

k) Lib. 2. quæst. super Exod. quæst 71. Lib. Epist. c. 11. Epistola 119. ad Ianuar. Cont. Man. lib. 15. c. 4. Lib. de decem chordis. Lib. 3. Confess. c. 8. Sermone de tempore 95. 148. Carlstadius de imaginibus.

l) Hemmingius in Syntagmate. f. 407, 488. Vide contrariam opinionem in Catech. f. 20. Oecolampadius de ordine Decalogi, in lib. de Confess. auriculari. f. 113. 116.

Error Secundus.

Imagines ac statuæ sunt in templis contra primum Decalogi Præceptum, & in universum sunt tollendæ ac removendæ.

REFUTATIO.

Ex hisce Antesignani & Parentis Iconomachorum, qui hoc certamen hisce postremis temporibus ab orco revocavit, verbis patet, eum nostram Decalogi usitatam distributionem retinuisse; in qua non, sed in Iconomachia eum posthumi strenuè, non tamen omnes, ut mox vidimus, imitantur, deformantes & desolantes non tantùm sua templa, verùm etiam nos, quod non eos imitemur, sed imagines in templis toleremus, propterea q; nullam religionem habeamus, ad Rhadamanti tribunal ablegantes.

1. Sed Respondemus, non posse illis præceptũ hoc patrocinari, etiamsi, ut volunt, de externa tantùm πρόσκυνησει accipiatur; non enim hoc jubet frangere, sed non facere sculptilia, eaq; in usum & finem Idololatricum, de quo inter nos non disceptatur. Nihil itaq; hoc, contra usum imaginum historicum & liberum, qui ornatus quoq; causa ex liber-

libertate Christiana in nostris templis retinetur. Illud n. quod in primo hoc Præcepto ceremoniale est, facere nimirum sculptile, Israelitis, aliàs ad Idololatriam proclivibus, non licuit, ob periculum defectionis à vero cultu: nobis v. illud est abrogatum, & adiaphoron factum: Ast ne illud adoremus, morale est, & nos quoq; obligat. Imagines itaq; facere vel pingere cultus causa, superstitiosum est & severissimè prohibitum; facere vero eas in alium finem & usum, id neq; voci Divinæ, neq; rectæ rationis indicio est contrarium.

2. Quod ex praxi Prophetica, Apostolica & Politica patet. In veteri enim Testamento Sanctuarium duob⁹ Cherubin alÿsq; imaginibus ornatum, ex mandato Dei exstruxit Moses (a): postea æneum serpentem suspendit, qui tàm diu fuit toleratus, donec Israelitæ more Ægyptio eum colere cæperunt, tùm enim Ezechias Rex pius, ut instrumentum & ansam Idololatriæ tolleret, eum confregit. Quod exemplum Mosis, Salomon Rex in fabrica templi imitatus, illud æquè duobus Cherubin & insuper bobus fusis aureis, & alÿs figuris sculptis exornavit. Christus ipse imaginem Cæsaris in moneta non improbavit. Apostolus Paulus in N. T. videns apud Athenienses aram ignoto Deo dicatam, non illam tumultuariè dejecisse, sed verum cultum proposuisse scribitur. Nec in tota Apostolica praxi aliam reformationem legimus. Quin & politicus imaginum usus tanto est in pretio, ut in signis militaribus, in moneta, in insignibus familiarum, in ornamentis ædium publicarum & privatarum, non aboleatur, sed maximè requiratur & expetatur.

a) Exod. 25. & seq. Num. 21. 8. 4. Reg. 18, 4. 1. Reg. 6. 18. 23. Matt. 22. 20. 21. Act. 17. 23.

3. Non itaq; tàm ipsa structura & fabrica, ratione causæ efficientis materialis aut formalis; quàm finalis superstitiosæ prohibetur. Quæ superstitio & abusus, ut D. Lutherus monet, non est in ipsa imagine, sed in animo & mente intuentis, cui si prava opinio eximatur, eadem imago, quæ antea propter adjunctum finem superstitiosum, fuit lege Dei prohibita, fit res libera. Tollatur itaq; abusus ex mente, & maneat verus & liber imaginum in templis usus.

4. Qui vel est historicus, memoriæ & majori intentioni & considera-

ſideratione ſerviens, juxta ſententiam. Theodor: Martyris qui inquit: ſolet pictura tacens in pariette loqui maximeq; prodeſſe. Hominum enim plebeiorum, per prædicationem verbi factam informationem, quodammodo adjuvat, & fædam ac craſſam Papiſticam Idolomaniam, poſteritati in mutis picturis ad oculum demonſtrat: Vel ornatus cauſa inventus, qui ſine ſuperſtitione liberè retinetur.

5. Animadvertentes hoc, qui litem in Eccleſia de imaginibus renovatam defendunt, ita limitant: ſe non in genere omnium imaginum uſum ſublatum velle, ſed tantùm in cultu Dei nullas imagines ferre poſſe. Sed inane, hoc eſt κενοφώνητον, in quo Reformatores novi ineptè admodum triumphant. Cum n. extra controverſiam ſit, nullam partem cultus, imaginibus relinquendam eſſe, utiq; de loco, in quo cultus Dei peragitur, hoc intelligi volunt, in quo nullas imagines ferre poſſunt: atqui ſic hæc limitatio nullius erit ponderis: 1. Eſt enim contra Praxin Propheticam & Apoſtolicam ante allegatam. 2. Quin & inde ſequeretur, ex omni loco, in quo vera adoratione colitur Deus (b), imagines eſſe removendas. 3. Cum tamen non agatur de imaginum præſentia, ſed confidentia. 4. Neq; certorum locorum in primo Decalogi Præcepto fiat mentio, ſed in univerſum omnium imaginum, quibus cultus Divinus affingitur, quocunq; loco ſint poſitæ fiat prohibitio. 5. Deniq; ipſo facto cõtrariũ teſtantur, dùm in tẽplis, imagines & ſtatuas politicas, in locũ exciſorum Eccleſiaſticorum ſimulachrorũ reponũt: imò crucẽ Chriſti in altari expungunt, & inſigne Principis reſtituunt. Statuas quæ idololatriæ in Papatu inſervierunt, propterea demoliuntur; ſed tẽpla, ſuggeſtus & parietes non minùs Idololatricè conſpurcatos & fædatos, ſuo uſui retinent. Imò & imagines monetis aureis & argenteis impreſſas, non abjiciunt; ſed ſecum in loculis, orantes etiam, circumferunt, & in templa inferunt.

b) Ioh. 4 23.

6. Quarè, non tantùm politicas ſed & Eccleſiaſticas imagines, in templis habere & retinere, rem eſſe merè liberam & adiophoriſticam, teſtimonio etiam Patrum conſtat. Apud Euſebium enim

c) Lib. 7. c. 14. Lib. 7. Epist. 109. Lib. 9. Epist. 9.

nim (c) legitur historia de Hæmorrhoüsa, à Christo curata; quod in civitate Cæsareæ Philippi, præ foribus domus suæ, æneam mulieris effigiem genibus flexis, & huic è regione viri imaginem, exprimentem effigiem Christi, porrigentis mulieri manum, collocaverit. Ad cujus pedes in ipsa basi peregrina herbæ species enata, ubi ad ænei vestitus fimbriam excreverit, morbis cujusq; generis medicandi facultatem habuerit. Hanc verò statuam ab Hæmorrhoüsa positam Apostoli in ÿs locis prædicantes, nec reprehenderunt nec dejecerunt, sed tanquam historicum monumentum & memoriale reliquerunt. Idem inquit eodem in loco: nos Petri & Pauli Apostolorum, & ipsius etiam Christi imagines, in picturis colorum varietate expressas & conservatas aspeximus. Quibus verbis Politicum & historicum imaginum usum describit. Lactantius simulachrorum infectator accerrimus, tamen de politico seu historico usu imaginum, ita scribit: Nego esse quenquam, qui non optet inprimis id sibi post mortem contingere, quod etiam Reges maximè concupiscunt. Cur enim sibi homines sepulchra magnifica, cur statuas sibi imagines comparent, nisi quod immortalitatem de memoria nominis sperant? Gregorius Magnus circa annum Domini 600. ad Serenum Episcopum Massilien sem scribit his verbis: Pervenit ad nos quod fraternitas vestra, quosdam imaginum adoratores aspiciens, easdem imagines confregit atq; dejecit. Et quidem zelum vos habuisse, ne quid manu factum adorari posit, laudavimus, sed frangere easdem imagines non debuisse judicamus. Idcirco n. pictura in Ecclesiis adhibetur, ut hi qui literas nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. Tua igitur fraternitas & illas servare, & ab earum adoratu prohibere debuit, quatenus & literarum nescÿ haberent, undè scientiam historiæ colligerent. Idem ad eundem: Quia eas adorari vetuisses, omnino laudavimus: fregisse verò reprehendimus. Aliud n. est picturam adorare, aliud per picturæ historiam, quid sit adorandum addiscere. Nã quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura. Frangi v. non debuit,

debuit, quod non ad adorandum in Ecclesiis, sed ad instruendas solummodo mentes nescientium fuit collocatum. Et quia in locis venerabilibus, Sanctorum depingi historias, non sine ratione vetustas admisit, hortamur, ut eorum animos, quos à tua disjunctos unitate cognoscis, revocare festines. Et Mox: Unde si quis imagines facere voluerit, minimè prohibe. Adorare v. imagines, omnibus modis devita. Ex hisce, historicum imaginum usum, qui & in Sexta Synodo Oecumenica, circa annum Domini 608. celebrata, confirmatus est, in Ecclesia licitum & concessum fuisse constat.

7. Quem abrogantes Calviniani, interim sunt pessimi Idololatræ, dum sibiipsis crassiores imagines in animo, corde, concionibus & scriptis, de Deo, Persona Christi, & plurimis articulis fidei, fingunt, quas unicè exosculantur & adorant; atq; sic revera inter eos, qui à Papatu secessum fecerunt, maximi sunt hujus Præcepti violatores. Non est itaq; quod ita glorientur, de ejusdem stricta observatione, quando securi templa invadentes, ex ijsdem statuas & imagines tumultuariè dejiciunt; non enim Præcepta Dei externo tantùm opere implentur, sed insuper internarum virium requiritur conformitas & summa perfectio.

Caput Secundum,
De fine & officio Legis.
Error Primus.

Cum promissiones legales audimus, an illas vult Deus in nobis præstari? nihil minus.

Non est voluntas Dei, ut impij legem servent.

REFUTATIO.

Beza Resp. ad acta Mompelg f. 225. 226. Zāchi de nat. Dei lib. 3. cap. 4. quæst. 3. f. 230.

Status controversiæ hîc non est; An homo possit, quod utrinq; negatur; sed an debeat & teneatur servare legem? Calviniani negativam, ut non tantùm ex errore hoc, sed & Disput. octava patet (a): nos verò Affirmativam, amplectimur.

a) Cap. 2. Err. 5.

1. *Eamq; in promulgatione ipsius Decalogi fundatam, in cujus singulis præceptis hic finis expresse ponitur, tùm in S. S. literis pas-*

sim, cum severissimis comminationibus transgredientibus propositis, & amplissimis promissionibus, observantibus promissis, inculcatur. (b) Quæ dicta hic brevitatis studio omissa, ex S. codice peti possunt, ÿsq; adjungi exempla illorum, quos severissimè ob legis suæ transgressionem Deus vindicavit.

2. Quod certè nullo jure facere potuisset, nisi id ob hunc finem legis suæ hominibus propositum, sed non assecutum, fecisset. Ubi enim nulla proposita legis observatio & impletio, ibi etiam nulla transgressio & prævaricatio, quæ est à lege defectio: Si nulla prævaricatio, nulla quoq; maledictio atq; damnatio, neq; pœna quæcunq; metuenda: quod enim sub conditione impletionis non est mandatum, illud ipsum non impletum puniri non potest. Sed contrarium testantur S.S. literæ, nusquam non transgressionum & pœnarum hominum facientes mentionem, ob non servatam & impletam legem: Ergò quin sub conditione impletionis lex proposita sit, nullum est dubium.

3. Id quod & impletione legis à Christo præstita, vel maximè probatur; hanc enim ille non sui, sed nostri causa fecit: Si nostri causa, negari non potest, nos debuisse implere; id verò cum non valemus, propterea sub maledictione manendum nobis fuisset, nisi Christus nos de maledicto legis redimens, pro nobis factus fuisset maledictum, imò factus sub lege, ut nos qui sub lege eramus redimeret (c).

4. Non verò indè hoc inferre licet: Si Christus pro nobis implevit legem, Deus jam non vult nos præstare legem, præsertim cum id non possimus: Manet n. nihilominus obligatio erga legem, quam si servare non possumus, impletione Christi absolvimur: ut sic hoc fine lex proponatur, non quod possimus servare, sed ut admoneamur, quid debeamus, & agnoscamus quid non valeamus; & agnoscentes nostram infirmitatem & imperfectionem, non nosipsos persuasione justitiæ seducamus, sed gemamus, ad Christum clamemus, & auxilium Spiritus S. in studio bonorum operum imploremus & accipiamus.

b) Gen. 2. 16. 17. c. 4. 7. c. 9. 4. 6. c. 12. 1, 2. c. 17. 1. 2. c. 19. 17. 26. c. 31. 3 24. Exod. 5. 1. c. 12. 3. c. 13. 1. c. 19. 5. c. 20. 1. & seq. c. 24. 3. c. 32. 7. 8. Levit. 18. & seq. c. 26. 1. & seq. Deut. 4. 1. 2. 5. 6. c. 5. 6 & seq. c. 6. 4. 5. 6 7. 13. 16 25. c. 8 3. 4. 5 25. c. 10. 12. 13. 16. c. 11. 1. 13. 14. 16. 17. 18. 19. 20. 21 22. c. 12. & seq. c. 28 1. & seq. 1. Sam. 15 22. Ier. 4. 4. c. 7. 5. 6. c. 8. 7. c. 9. 23. c. 11. 3 Mich. 6. 8. Luc. 10. 28. 1 Ioh. 2. 4. c. 3. 23. c. 5. 3.

c) Rom. 8. 3. c. 10. 4. Gal. 3. 13. c. 4. 4.

1. Hoc

5. *Hoc si de renatis verùm est, quibus satisfactio, legi præstita à Christo, applicatur, multò magis de impijs & non renatis erit; quibus cum Christi impletione, nulla propter incredulitatem, est participatio: esse nimirum hanc Dei voluntatem, ut illi legem tanquam justitiæ normam servent, atq; illorum natura cum eâdem congruat. Alias enim Deus vel approbaret eorum malitiam & injustitiam; vel eam tanquam ἀνομίαν, & contemptum mandatorum, juste & jure punire non posset. Sed ad hæc & id genus alia ἀτοπολογία, quæ quilibet hinc emergere facilè videt, evitanda, cum S. S. Scriptura contra Calvinianos statuendum: omnino esse Dei voluntatem, ut impij quoq; vel maximè legem servent.*

6. *Quemadmodum & de hoc fine, nunquam non præclaras Patrum Orthodoxorum sententias annotatas legimus. Sic n. Augustinus (d): Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt: non juberet Deus, quod sciret ab homine non posse fieri. Quis hoc nesciat? sed ideo jubet aliqua quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus. Idem: Ad hoc Lex dixit, Non concupisces, ut medicinam gratiæ quæreremus, & in eo præcepto sciremus, & quò debeamus in hac mortalitate proficiendo conari, & quò possit à nobis in illa immortalite beatissima perveniri. Nisi enim esset quandoq; perficiendum, nunquam jubendam fuisset.*

d) De Lib. Arbit. C. 16. Ad Valerium Lib. 1. C. 29. Super Cantic. Serm. 50 In Gnomis.

Error Secundus.

Qui Putant Legis esse proprium prædicare Pœnitentiam, gravissimè impingunt. Nam quod Euangelij est proprium, legi attribuunt.

Hemming. in Syntagm. De Lege Divina §. 29.

REFVTATIO.

Non hîc verùm sequenti disput. quæstionem illam, etiam inter A. C. socios ortam & in Form. Concord. decisam: An Euangelium proprie sit concio Pœnitentiæ? *attingemus: sed tantùm ad errorem, quatenus est hujus loci, & per ἀποφασιν, Legis proprium esse non vult, prædicare Pœnitentiam; καταφαλικῶς quam brevissimè respondebimus.*

1. Quia S S. Script. Pœnitentiam Legi tribuit, μετανοίαν eam pro lege accipiens, ut: Pœnitentiam agite, & credite Euangelio (a). Item: Sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorũ. Sic & gentium Apostolus summam universæ suæ doctrinæ propositæ comprehendens, in duo refert capita: Pœnitentiam nimirum erga Deum, & fidem in Dominum nostrum I. C. Pœnitentiam pro Lege, & fidem pro Euangelio accipiens. Quodcunq; itaq; S S. Script. Legi tribuit, imò pro Lege ponit, id eidem quoq; à nemine negari nec potest, nec debet.

a) Mar. 1. 15. Luc 24. 47. Act. 20. 21.

2. Discrimine Legis & Euangelij, quod certissimum & evidentissimum ab utriusq; fine & officio petitur, maximè id, quod negatur Legi, Legis esse obtinetur. Proprium n. hoc est Legis, ut ostendat quid Deus à nobis exigat, quid præstare debeamus, & cum nõ valeamus, nos accuset, & vel damnet vel ad Christum ducat: Vndè de admissis peccatis incipit homo pœnitere; quam pœnitentiam, facit Euangelium, ut sit salutaris & utilis. Prædicat itaq; primum & efficit seu incipit Lex, tanquam ex proprio suo officio, Pœnitentiam, quam deinde Euangelium perficit, absolvit & facit ut sit ad salutem. Atq; sic ipsum Pœnitere legi; at quod in Pœnitentia est salutare, Euangelio tribuitur.

3. Cujus itaq; est ad agnitionem peccatorum perducere, ejus etiam est Pœnitentiam concionari: quia agnitio peccatorum est initium & præcipua Pœnitentiæ pars, sine qua homo ad Deum Converti, & in gratiam redire non potest, non ratione causæ sed ordinis; nisi n: contritio & agnitio peccatorum præcedat, vera fides sequi non potest: At agnitionem peccati ex lege esse S S. Script. nos docet (b): Ergò etiam Pœnitentiam concionari, proprium Legis erit.

b) Rom. 3. 20. c. 7. 7.

4. Quod etiã ex ipso Pœnitentiæ actu satis constat: qui est motus & quasi Pædagogia ex statu ἀπιστίας, in statum καταλλαγῆς, & verus ac serius dolor de admissis peccatis, quando homo agnoscens suam infirmitatem & miseriam, pœnam metuit, & mediatorem ac salvatorem desiderat ac quærit. Hæc certè Pœnitentiæ maxima pars, etsi non præci-

præcipua; circa opera & dolorem occupata, non Euangelio, quod tantùm gratiam & promissiones gratuitas habet, & Mediatorem ostendit, tribui potest, sed Legi, tanquam ei propria, necessariò relinquenda erit.

5. Quam & sententiam ex Patribus, haud obscurè colligere licet: Augustinus n. inquit (c): Si homo, quid sibi impossibile aut arduum in Mandatorum *effectibus experitur, non in se remaneat, sed ad adjuvantem recurrat, qui ideo* Præceptum *dat, ut excitetur desiderium, & præstet auxilium. Bernhardus: mandando impossibile, non prævaricatores homines fecit, sed humiles, ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo. Accipientes quippe* Mandatum, *& sentientes defectum, clamabimus in cælum, & miserebitur nostri Deus. Theodoret: Lex nos ad Dominũ Christum deduxit: qui itaq; credit Domino Christo, is scopum Legis adimplet.*

c) Serm. 65. de temp. Super Cantic. Serm 50. In cap. 10. ad Rom.

Error Tertius.

Calviniani docent disciplinam externam esse Pædagogiam ad Christum.

Anti Lutherani Witeb. in Catechesi sua f. 52.

REFUTATIO.

Nos quidem externæ disciplinæ libenter suam laudem & præmia relinquere volumus, sed tantum ei, quod nos ad Christum perducat, concedere non possumus.

1. Quia hoc ipsum Apostolus non externæ disciplinæ sed Legi tribuit inquiens (a): Lex Pædagogus noster fuit ad Christum, ut ex fide justificaremur. Per legem v. Paulus non externam disciplinam tantùm, tanquam unicam & minimam legis partem, sed totum illius officium, & præsertim illud intelligit, quo nobis ad agnitionẽ nostrorum peccatorum perductis, & magnitudine iræ Divinæ atq; atrocitate panarum territis, simul stimulum addit, ut de remedio seriò cogitemus, & ad medicum Christum vera fide confugiamus.

a) Gal. 3. 24.

2. Quem modum ad Christum perveniendi, exempla conversorũ in S S. Script. passim nobis describunt. David non externâ Pædagogiâ, sed internâ seriâ agnitione & confessione suorum peccatorum, excitatâ voce legis damnantis, cõvertitur (b). Ninivitæ territi denunciatione

b) 2 Sam. 12. 7. 13. Ion. 3. 4. 5. Luc. 18. 13. Act. 2, 37.

ciatione deletionis urbis, ex lege illis per Ionam factâ, pœnitentiam agunt. Publicanus non externâ disciplinâ, sed internâ peccatorum agnitione & detestatione motus, percutit pectus suum, & gratiã Dei in Christo promissam implorat. Maria Magdalena in convivio & Petrus in atrio, profusis lachrymis ex corde contrito & propter peccata consternato, cõfugiunt ad Christum Mediatorem. Et de tex mille conversis prima concione Petri dicitur, quod compuncti corde, pœnitentiam egerint.

3. Tùm quia ad Christum venire, non est res externa sed interna & spiritualis, non etiam ab externa disciplina dependere potest. Aliàs n. sequeretur hominem, qui externam disciplinam præstare potest, etiam seipsum ad Christum ducere, gratiæ Dei applicare, & ad eam præparare posse: Imò & Honestiores Ethnicos qui in plurimis rebus, quo ad externam disciplinam, Christianos longè antecellunt, citius ad Christum venisse, quàm nos, vel saltem eorum disciplinam, fuisse Pædagogiam ad Christum. Id quod ἄτοπον καὶ ἀθεόλογον.

4. Non itaq; externa disciplina prodest, nisi ad externam loco motivam, in civili hominum societate, gubernandam. Ad Christum v. venire, non per eam possumus; nisi trahat nos pater cælestis, illuminet S. S. Spiritus, & cor aperiat (c). Nemo n. potest Jesum dicere Dominum, nedum ad illum venire, sine Spiritu Sancto, qui operatur omnia in omnibus, & dat velle & perficere. Quod igitur S. S. Spiritus est & dicitur opus, id externæ disciplinæ tribui nec potest nec debet.

c) Ioh. 6. 44. Act. 16. 14. 1 Cor. 12. 3. 6 Phil 2.

5. Vndè Ambrosius inquit (d): Ex Deo utiq; esse, ut homo viam Dei eligat, & ut surgat à lapsu, Psalmus Davidicus canit, dicens: à Domino greßus hominis diriguntur. Et Augustinus: Quando Pater intus auditur, & docet ut veniatur ad Filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum. Idem: Omnis qui didicit, venit; quisquis a. non venit, profectò non didicit. Quis a. non videat, & venire quenquam, aut non venire arbitrio voluntatis? sed hoc prodest esse solum, si non venit: non a. potest, nisi adjutum esse, si venit: & sic adjutum, ut non solum quid faciendum sit sciat, sed quod scierit, etiam faciat. At per hoc quando Deus docet, non per Legis literam, sed per Spiritus gratiam, ita docet, ut quod quis q; didicerit, non tantùm cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendo q; perficiat.

d) Lib. 1. de vocat. gent. Cap. 9. De Prædestin. Sanctorum cap. 8. Cont. Pelag. & Cæl. de gratia cap. 4.

DE CALVINISMO

DISPUTATIO ELENCTICA
VNDECIMA.

Complectens Matæologiæ Calvinianæ
examen, in loco

De

EVANGELIO,

Quam

Doctore & Ductore S. S. Spiritu

Sub Præsidio

M. PETRI HINKELMANNI,
Verbi Divini Ministri.

privatim defendendam suscipiet

IOHANNES NÜMSENIUS
Husano-Holsatus.

Habebitur disputatio Idibus Iunij.

ROSTOCHII
Litteris Reusnerianis, Anno 1610.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0265
DFG

ΣΥΝ ΘΕΩ

DSIPVTAT. ANTICALVINIST. XI.

DE EVANGELIO.

CONTINUATIO.

ETsi proprijs suis finibus & officijs Lex & Euangelium longissime differant: tamen πρᾶξει καὶ χρήσει mutuas planè tradunt operas, ubi enim desinit Lex ibi incipit Euangelium, peccata per legem agnita & indicata, remittens, tegens & condonans. Atq; sic ordine naturæ, quamvis non promulgationis, Euangelium Legi subjicitur, quæ ut insita in prima creatione mentibus humanis, sed per lapsum obscurata; promulgatione dulcissimæ promissionis Euangelicæ quodam modo recompensata fuit: ita & in ipsa πράξει conversionis, Lex necessario præcedere debet, ut homo agnito morbo, ex Euangelio medicinam sumat. Quarè & nos convenienti ordine, Euangelij tractationem Legi subjungentes, Calvinianorum opiniones primò de promissionibus Euangelij: deindè de ejusdem officio & usu examinabimus.

CAPUT PRIMUM.

De Promissionibus Euangelij.

Error Primus.

In verbis quidem Mosis nulla est ambiguitas. De sensu verò mihi non convenit cum alijs. Nam semen de Christo sine controversia accipiunt, ac si dictum foret; exoriturum ex mulieris semine aliquem, qui serpentis caput vulnerabit. Eorum sententiam libenter meo suffragio approbarem, nisi quod verbum Seminis, nimis violenter ab illis torqueri video. Quis enim concedet, nomen collectivum de uno homine accipi? Calvinus in Genesin f. 30.

Deinde sicut dissidii perpetuitas notatur, ita per continuam ætatum seriem promittitur victoria soboli humanæ. Generaliter ergo semen interpretor, de posteris.

REFUTATIO.

Non tantùm hanc primam Euangely promulgationem, sed & plures alias de Christo promissiones & sententias, tàm V. quàm N. T. quæ ad Euangelium propriè spectant, nimis sacrilegè & blasphemè in sensum alienum Calvinus detorquet, ut non tantùm maxima janua Iudæis aperiatur, verùm etiã omnis Euangelij ejusq; promissionum certitudo debilitetur. Quid enim fieret de reliquis dictis, si hanc primam & primariam de Christo promissionem, liceret ita interpretari, ut per serpentem ejusq; semen, serpentes naturales; per semen mulieris, posteri ejus; per inimicitias, dissidium illud naturale, quod est inter homines & serpentes, intelligeretur? Quarè hoc tàm præclarum & primarium de Christo oraculum; quod in scriptura Prophetica multoties repetitum & explicatum, postea in plenitudine temporis ipso rei eventu completum & obsignatum est; quodq; multorum de Christo dictorum illustrationem continet, quorum corruptela, minus hoc sarto tecto conservato, metuenda; à sacrilega illa Calvinianorum glossa vindicabimus.

1. *Continere itaq; hanc Dominicam vocem Proteuangelium, seu primam Euangelicam promissionem de Christo, qui Diaboli serpentis antiqui caput contriturus, & hic vicissim Christi calcaneum, quo sancta ejus humanitas notatur, morsurus esset; constat repetitione & explicatione SS. Scripturæ. Subindè enim illud Patriarchis repetitum (a), & à Prophetis fusissimè, omnium autem clarissimè ac solidissimè explicatum à gentium Apostolo, interprete αὐτοπίστῳ & omni exceptione majori, qui nomen collectivum semen, de unico homine Jesu Christo disertissimè exponit, inquiens: Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini ejus. Non dicit in seminibus tanquam de multis, sed tanquam de uno, & in semine tuo, qui est Chri-*

a) Gen. 21. 12 c. 22. 18. c. 26. 4. c. 28. 14. Gal. 3. 16.

stus.

ſtus. Huic Divinæ interpretationi, Calvinus abſq; fronte, abſurditatis & violentæ torſionis notam impingere non veretur. Sed quis hic non miretur hominis profligatam excæcationem, cum blaſphemâ malitiâ conjunctam.

2. Tum & res ipſa figuratis verbis indicata, eventu ipſo ſecundum omnes promiſſionis partes in Chriſto completa, Calvini interpretationem eſſe textus manifeſtam corruptionem, ſatis indicat. Non enim moroſius τῷ ῥητῷ inhærendum, ubi allegorica rei indicatæ proponitur enunciatio, ut hoc fit in loco; qui alibi de Chriſti triumpho adverſus exſpoliatos principatus fortis armati, & victoria pro Electis reportata explicatur (b). Imò & in Chriſto ipſo ſatis ſuperq; completa demonſtratur.

b) Luc. 11. 21. 22. Coloſſ. 2. 15.

3. Quam orthodoxam de Chriſto ſententiam, ſubjectum propoſitionis confirmat. Semen enim dicitur mulieris tantùm & non viri, ne collectivè hic de tota poſteritate Adæ accipiatur, quemadmodum & alijs dictis explicatur (c). Neq; hoc eſſe vel abſurdum vel impoßibile, ex alijs locis probari poteſt (d) in quibus vox Seminis non collectivè, ſed individuè accipitur.

c) Eſa. 7. 14. Ier. 31. 22. Luc. 1. 31. Gal. 4. 4.

d) 2. Sam. 7. 12. Ebr. 2. 16.

4. Accedit ipſius prædicati vis planè Divina, quæ hujusmodi ſubjecto, quale ſibi fingit Calvinus, minimè competit. Conterere enim caput ſerpentis, eſt ſolius iſtius ſeminis, quod inſtructum ſit Divina virtute, quâ potenter Satanæ regnum evertere & homines ex illius tyrannide liberare, ac benedictionem cunctis gentibus afferre poßit. At hujusmodi virtute nemo ex ſemine collectivo poſteritatis Adæ, præter unicum illud, nimirum Chriſtum, inſtructus erat, hic enim hoc opus ſolus, quamvis fructus ejus operis in poſteros Adæ redundârit, perfecit. Cui itaq; non competit prædicatum propoſitionis, ei quoq; ſubjectum competere non poteſt: atq; propterea vox ſeminis non hic collectivè pro tota Adæ poſteritate, ſed individuè de ſolo Meßia, qui ſit ſemen mulieris, accipi debet.

5. Quod & ex σωρεπείᾳ textus ſatis luculenter conſtat. Certùm enim eſt hunc Dominicum ſermonem, de ſemine mulieris contritu-

ro caput ſerpentis, Protoplaſtis & eorum poſteris in conſolationem proponi. Qualis verò illa eſſet conſolatio, ſi de naturali ſerpente, quem ſuperaturus foret homo, intelligeretur? Certè nulla. Niſi itaq; hæc promiſsio de futuro Meſsia intelligatur, Protoplaſti, quia nulla alia illis propoſita legitur, absq; conſolatione manſerunt, nec ullam conſolationem habuerunt, qua ſe adverſus lapſum ſuum & comminationem æternæ mortis erigerent. Imò & Patriarchæ, quia hæc de promiſſo ſemine conſolatio, illis fuit repetita, ſi ſenſu Calviniſtico acceptanda ſit, nullam ſalutis & vitæ æternæ conſequendæ notitiam, quæ ex ſolius Chriſti cognitione efflorescit, habuerunt. Quod quam ſit abſurdum, nemo non videt.

6. Sic ſi pœnam ſpectes, quæ eſt, ut à Semine mulieris conteratur caput ſerpentis, non ea ad naturalem ſerpentem, ſed ad Diabolum, à Chriſto mulieris vero ſemine ei infligenda, referri poteſt. Quæ enim aliàs inſignis illa eſſet abſurditas; pœnam hîc dictari tantùm naturali ſerpenti, imò & Protoplaſtis; Sataneæ verò graviſsimi hujus lapſus & ſeductionis authori, nullam in hoc actu judiciario pœnam infligi. Si itaq; hîc Sataneæ excidium & pœna denunciatur, ultrò ſequitur, ut & ante probatum, nullum ex poſteris Adæ, præter Chriſtum, eam exequi valere; atq; propterea de nullo alio, quam de Chriſto, ſemen illud intelligi debere.

7. Alias n. ſi nimirum hæc promiſsio Protoplaſtis facta, non de Chriſto propriè acceptanda ſit, non multum de antiquitate noſtræ Euangelicæ religionis, quod illa ſtatim poſt lapſum in Paradiſo inceperit gloriari poterimus, quia ejus demonſtratio in hac promiſsione, quæ accipi debeat de naturali inter ſerpentes & homines diſsidio, fundata non ſit. Atqui ſic fieri poſſet, cum non ſit noſtrum Euangelium antiquiſsimum, ut ſuſpicione falſitatis laborare inciperet, ſecundum illam Tertulliani regulam: Veriſsimum eſt quodcunq; primum, adulterimum, quodcunq; poſterius.

Err or

Error Secundus.

Promissiones de gratuita Dei misericordia, & salute æterna, pertinent tantùm reipsa ad Electos. Zanch. in Miscell. f. 3.

REFUTATIO.

Etsi promissionum Euangelicarum universalitas, tàm clarè atq; perspicuè proponatur in S.S. literis, ut nullâ sophisticâ eludi aut particulari interpretatione enervari possit, atq; propterea multa probatione non indigeat, præsertim cum plurimi sint ex adversarijs, qui suis gregalibus contradicant (a): tamen quia maxima nostra consolatio in universalitate illarum promissionum consistit, paucis rationibus eam stabiliemus.

a) Hemmingius in Syntag. loc. de Præd. th. 29. 15. 44. Bulling. in 1. Tim. 2. Hyperius lib. 1. Meth. f. 251.

1. Sunt promissiones ipsæ per se satis perspicuæ & immotæ, ex quibus has tantùm annotasse sufficiat. In semine tuo, inquit Dominus ad Abraham, repetens eandem promissionem Isaaco & Iacobo, benedicentur omnes *gentes terræ (b). Sic jurejurando confirmat se nolle mortem* peccatoris, *id est, ullius hominis, cum omnes sint peccatores, ut Paulus & Petrus explicant: Deus non vult quenquam perire, sed* omnes *ad pœnitentiam reverti, & salvos fieri. Quarè & Christus universalem instituit invitationem inquiens: Venite ad me* omnes, *qui laboratis & onerati estis. Iussit quoq; discipulos ire in mundum universum & docere* omnes *gentes, prædicare Euangelium* omni *creaturæ. Id quod & Apostoli fecisse dicuntur. Vndè Maria inquit: Ex hoc beatam me dicent* omnes *generationes. Et Simeon: Salutare tuum parasti ante faciem* omnium *populorum. Sic Apostolus: Apparuit gratia salutifera* omnibus *hominibus. Item: Conclusit Deus* omnes *in incredulitatem, ut* omnium *misereatur. Quarè & promissiones Euangelicæ incredulis & impijs oblatæ leguntur. Hæc omnia dicta, & illis plura alia, tanta perspicuitate promissionum universalitatem asserunt, ut de ijs mens Christiana non dubitare possit, neq; meritò debeat.*

b) Gen. 22. 18. c. 26. 4. c. 28. 14. Ezech. 18. 32. c. 33. 11. 1. Tim. 2. 4. 2. Pet. 3. 9. Matt. 28. 19. Mar. 16. 16. Luc. 24. 47. Act. 17. 30. Col. 1. 28. Luc. 1. 48. c. 2. 31. Tit. 2. 12. Rom. 11. 32. Esa. 65. 2. 12. Matt. 23. 37. Prov. 1. 24.

2. Quibus rationes alias, præter eas, quæ ab universali Dei gratia

tia & vocatione ex allegatis desumi possunt, addimus. Solidissima namq; demonstratio à Catholico Christi merito & redemptione totius mundi, quam superius confirmavimus (c) petitur, ex qua de promissionum universalitate certò statuendum est. Nihil enim illa prodesset, absq; annunciatione & promissione. Ergo qualis est meriti acquisitio, talis etiam necesse est ut sit promissio.

c) Disp 6. Cap. 2. Err. 2.

3. Nec minus firmam probationem suppeditat verus Sacramentorum usus, qui tàm non cuiquam denegatur, ut potius omnes homines in cœtu vocatorum versantes, ad eum mandato Divino invitentur. Quo usu fit collatio & obsignatio promissionum Euangelicarum. Sic itaq; usus Sacramentorum ad omnes spectat, utriq; & nullus à promissionibus, tanquàm fructibus eorum, nisi propriæ incredulitatis & indignitatis vitio, excludi debet.

4. Natura quoq; & proprietas promissionum Dei, quæ est merè gratuita, eas particulares esse non permittit. Debent enim, cum sint gratuitæ, esse universales, aliàs vel Deus προσωποληψίας, cum huic gratiam, alteri non offerret, crimen effugere non posset: vel causam in hominibus residere sequeretur, ob quam Deus motus uni promissiones daret, alii, ob defectum istius causæ, denegaret; sed sic non essent gratuitæ.

5. Certitudo praterea omnis consolationis concideret, si ad paucos tantùm promissiones Euangelicæ, de gratia Dei & reconciliatione per Christum facta, restringeretur, ob particularitatem enim promissionum ad paucos tantùm pertinentium, nullus de quacunq; Euangelica Promissione certus esse posset, an ad se quoq; spectaret, cum non omnibus, sed paucis solummodo sit proposita; atq; sic, quia pius quilibet semper in dubio versaretur particularitas promissionum sæva esset conscientiarum carnificina: quod Papizat, & ἐκκένωσιν τὴν πληροφορίαν τῆς πίστεως enervat & penitus tollit. Manet itaq; hoc firmum fixumq; promissiones Euangelicas per se esse & manere universales, neq; ad paucos quosdam, nisi ex accidenti, vitio nimirum incredulitatis hominum, esse restringendas.

6. Quæ

6. Quæ incredulitas certissimum est indicium, Promissiones Euangelicas ad eos quoq; pertinuisse, cum sua incredulitate iis exciderint. Nam si illis, ut eas vera fide amplecterentur, propositæ non fuissent, non quoq; ad eas fide amplectendas obligati fuerunt, neq; neglectus illarum atq; incredulitas illis obesse potuit, ut propterea punirentur, quia illud, quod ad se non pertinuit, non curarunt sed neglexerunt, quod potius virtutis est quam vitii, & magis præmio quam pœna dignum. Quia verò impiis & incredulis promissionum neglectus est exitialis, indè sine omni contradictione sequitur, ad eos quoq; Promissiones Euangelicas pertinuisse, atq; propterea esse universales.

7. Quemadmodum & de hac promissionum universalitate testimonia Patrum extant. Chrysostomus enim inquit (d): Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quonam pacto tot homines sine lumine permanent? neq; enim omnes Christum cognoscunt, quomodo ergò illuminat omnem hominem? illuminat profectò quantum in ipso est, si qui autem sponte sua mentis oculis conniuentibus, ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura in tenebris perstiterunt, sed ex malitia sua tanto se dono indignos reddiderunt. Ambrosius: Sol justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit: si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat, ut si quis clausis fenestris radios solis excludat. Prosper: Neq; ob hoc excusabiles sunt nationes, quæ alienatæ à conversatione Israël, spem non habentes, sine Deo in hoc mundo sub ignorantiæ tenebris perierunt; quia hæc abundantia gratiæ, quæ nunc universum mundum rigat, pari antea largitate non fluxit? Adhibita enim est semper universis hominibus quædam supernæ mensura doctrinæ, quæ etsi pauciori occultioriq; gratiæ fuit, sufficit tamen, sicut Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium.

d) Homil. 7. in Iohan. Serm. 8. in Ps. 118. Lib. 2. Cap. 14.

Caput Secundum.

De Officio & usu Euangelij.

Error Primus.

De Euangelio docent nostræ Ecclesiæ, quod sit universalis prædicatio Pœnitentiæ.

Euangelium est prædicatio Pœnitentiæ per se.

REFUTATIO.

Orta quoq; est inter A. C. socios controversia de hac quæstione: An Euangelium sit concio Pœnitentiæ? sed negativè decisa est: quam & nos contra adversarios hoc loco breviter, quia super. Disp. eam Legi tribuendam esse probavimus; sequentibus demonstramus rationibus.

1. Quia ipsum etymon vocis Græcæ τὸ Εὐαγγέλιον, usurpatum loco Ebræi BISCHER, *quod lætum gratum & acceptum nuncium significat in sacris literis (a); cum voce Pœnitentiæ non convenit, quæ certè, à dolore & contritione initium sumit, atq; propterea non grata vel læta, sed maximè tristis est & ingrata. Quarè & Euangelium eam concionari non potest.*

2. Deinde & definitioni rei non competit. Quatenus enim Euangelium κατ' ἐξοχὴν Legi opponitur, & εἰδικῶς accipitur, tantùm de Dei gratia, favore, misericordia ac dilectione, qua totum mundum amplexus est; Christi satisfactione, redemptione & merito; de gratuita peccatorum remissione, & justitiæ Christi per fidem applicatione; concionatur: ut passim plurimis Euangelicis dictis idipsum demonstratur (b): Ergo pœnitentiæ concio dici non potest.

3. Præsertim cum Euangelium sit promissio, & meras tantùm contineat promissiones & consolationes (c); utiq; ei tribui non potest Pœnitentia, quæ est mandati, & ab accusatione oritur, dolore in animo excitat, atq; hoc respectu longissimè à promissione gratiæ distat.

4. Tùm quia Euangelium est potentia Dei ad salutem (d), in quo revelatur justitia Dei, ex fide in fidem, quæ est aliena illa Christi, per absolutionem annunciata: utiq; Pœnitentiæ illius, quæ fide vacua est, concio per se dici non potest. Hæc enim qualis fuit Caini Iudæ & aliorum infidelium, illis revelavit propriam illorum injustitiam, propter incredulitatem retentam, ac propterea quoq; cessit illis in damna-

Hemming. in præfat. in Epist. N. T. Idē in Syntagm. in loco de Pœnit. §. 10. de Euangelio §. 1.
a) Psal. 40. 10. & 68. 12. & 96. 2. Esa. 52. 7. c. 61. 1. 2. 3. Zach. 9. 9. Rom. 10. 15. Luc. 4. 18.
b) Gen. 3. 15. c. 15. 6. c. 22. 18. Deut. 4. 31. c. 33. 3. Psal. 32. 1. & 103. 8. Esa. 1. 18. c. 40. 29. 31. c. 41. 10. c. 42. 3. c. 43. 1. 25. c. 44. 2. c. 49. 15. c. 53. 4. 5. 6. 11. Ier. 31. 20. Hosæ. 11. 8. Ioel. 2. 21. Matth. 9. 2. c. 11. 28. Mar. 5. 34. Luc. 1. 50. 53. Ioh. 1. 16. 17. c. 3. 16. c. 6. 40. c. 11. 25. Act. 4. 12. c. 10. 43. Rom. 3. 23. c. 4. 3. 5. c. 5. 1. 8. 19. 21.

damnationem. Quis verò affirmaret, illorum pœnitentiam non à Lege sed Euangelio esse? nisi Euangelium propriam hominibus injustitiam per se revelare, eamq; illis retinere, & damnationem propterea concionari, ἀθεολόγως statuere velit.

5. Deniq; hujus pernitiosi erroris notentur ἀθεόλογα. Legem cum Euangelio confundit, imò Euangelium in Legem transformat, quod est initium multorum errorum. Atq; sic etiam Pontificijs erroribus magnam januam aperit, ignorantia enim discriminis Legis & Euangelij, ut Lutherus inquit, Papatum peperit. Opera Euangelio attribuit, quod tantùm gratiam & remissionem peccatorum tractat. Obscurat imò penitus eripit veram & gratuitam consolationem fidelib^s quam ex Euang: haurire debent. Maneat itaq;, etsi fides altera pars Pœnitentiæ sit ex Euangelio, quod nõ tamen propterea Euangelium propriè & per se sit concio Pœnitentiæ. Quia Euangeliũ non efficit Pœnitentiam, quod est Legis, sed tantum facit eam salutarem.

c. 8. 13. Gal. 2. 16. Eph. 2 8. Phil. 3. 9. c) 1. Ioh. 2. 25. Ioh. 3. c. 11. Act. 4. 12. c. 10. 43. d) Rom. 1. 16. 17. Phil. 3. 9.

Error Secundus.

Beza Resp. 2. ad Acta Colloq. Momp. f. 149.

Idcirco promiscuè & indefinitè, non quidem omnibus, sed quibus Deo visum est, etiam ad iram destinatis, non ad salutem, sed ad judicium, non ut eorum corda Divinitùs emolliantur; sed ut per suum ipsorum cor indurentur, Euangelij vox promulgatur.

REFUTATIO.

a) Disp. 7. Cap. 1. Er. 4.

Prius Erroris membrum, de vocationis particularitate, superius (a) est refutatum: Quarè hîc tantùm ad posterius respondendum; de Euangelij efficacia, quam ad iram destinatis, non ad salutem, fiduciam & consolationem, sed ad judicium, indurationem & desperationem; non per accidens, vitio & incredulitate hominum, sed perse & suâ naturâ cedere volunt.

b) Rom. 1. 2. 16. 17. 2 Cor. 2. 12. c. 10. 14. Gal. 1 7.

1. Verùm solidissimè hæc quoq; blasphemia ex S. S. Scriptura refutatur, quæ Euangelium nominat potentiam Dei ad salutem omni credenti (b), in quo revelatur justitia Dei ex fide in fidem. Vndè & Euangelium Christi, DEI, regni Dei, fidei, gratiæ, reconciliationis, salutis, vitæ, &c. vocatur; quod sit ministerium

1 Theſſ. 2. 2. 8. 9. Rom. 3. 27. Matt 24 14. Mar. 1. 14. Eph 6. 15 2 Cor. 5 19. Act 13. 26. Phil. 2. 16. 2 Cor. 3. 8. 1. Cor. 4. 15. Coloſſ. 1 5. 2. Theſſ. 2. 14. 2. Tim. 1. 10.

rium ſpiritus in gloria, per quod gignantur homines in Chriſto Ieſu, vocentur in acquiſitionem gloriæ Domini noſtri Ieſu Chriſti; qui deſtruxerit mortem, & illuminaverit vitam & incorruptionem per Euangelium. Hæc certè & ſexcenta alia Euangelij elogia, abundè ſatis teſtantur, non poſſe illi hæc effecta, quæ in Errore ponuntur, tribui.

2. Vtpote quæ & definitioni nominis & rei maximè ſunt contraria, ut ante probatum, Euangelium namq; ipſo ſuo nomine auditui offert lætum, gratum ac bonum nuncium, quo aures mulcentur, & cor erigitur; Et reipſa etiam meras ac gratuitas promiſſiones de gratia ac miſericordia Dei, merito Chriſti, remiſſione peccatorum, juſtitia & vita æterna, omnibus credentibus offert & confert: Ergo ad judicium, indurationem & deſperationem, quæ omninò ſunt ingrata & mala auditu, quibus homo in corde compunctus, damnationis reus agitur, & in deſperationis barathrum præcipitatur; proponi, exiſtimandum non erit.

c) Mar. 1. 15.

3. Et quomodo ad judicium & indurationem promulgaretur Euangelium, cum eidem credere jubeamur (c)? num fides nos judicabit & indurabit? nimis hoc eſt palpabile. Non itaq; ut judicemur, ſed ut fide ſalvemur, Euangelium promulgatur. Atq; propterea non obedientes neq; credentes Euangelio, judicium Dei non effugere poſſe dicuntur (d), ut indicetur, in Euangelio cauſam, viam & modum effugiendi proponi: atqui ſic contrarius finis prorſus exſpirat.

d) 2. Theſſ. 1. 8. 1. Pet. 4. 17.

4. Tùm ſi Euangelium non electis in hunc finem non proponitur, ut corda eorum convertantur & emolliantur, ſed ut judicentur, indurentur & damnentur, idq; effectu Euangelij proprio, utiq; carebũt illi medio, per quod convertantur, atq; ſic non propriâ culpâ, ſed defectu mediorum ad ſalutem peribunt. Id quod univerſalem Dei gratiam tollit: meritum Chriſti ſufficientiſſimum evacuat: efficaciam miniſterij Euangelici enervat: Euangelio duo, eaq; διαῤῥήδην inter ſe contraria effecta tribuit: atq; epicureum, non tantùm Euangelij ſed totius S. S. Scripturæ, contemptum inducit,

DE CALVINISMO

DISPUTATIO ELENCTICA
DVODECIMA.

Complectens Matæologia Calviniana
examen, in loco
De

JUSTIFI-
CATIONE,

Quam
Doctore & Ductore S. S. Spiritu
Sub Præsidio
M. PETRI HINKELMANNI,
Verbi Divini Ministri,
privatim defendendam suscipiet
GEORGIUS HELMICHIUS
Rostoch. Meglaburgus.
Habebitur disputatio 5. Idus Iulij.

ROSTOCHII
Litteris Reusnerianis, Anno 1610.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0277
DFG

ΣΥΝ ΘΕΩ

DISPVTATIO ANTICALVIN. XII.

DE JUSTIFICATIONE.

CONTINUATIO.

AUgustissimus est & amplissimus hic locus, in quo reliqui ferè omnes conveniunt & absolvuntur: quique fluit & capitur ex Euangelio: quare illius tractationi, hunc de Justificatione locum subjungere placuit, in cujus singulis causis, gratiâ nimirum Dei, merito Christi, & fide; Calviniani suos eosque satis multos & crassos profitentur errores horum quidam, præsertim de gratia Dei & merito Christi, superioribus Disp. sunt excussi, reliquos eosq; precipuos, quos primò de Justificatione in genere: deinde de fide in specie fovent, brevi hoc loco examini subjiciemus.

CAPUT PRIMUM.

De Justificatione.

Error Primus.

Tunc nos demum participare Christi bonis agnosco, postquam Christum ipsum obtinemus. Obtineri autem dico, non tantùm, cum pro nobis factum fuisse victimam credimus, sed dum in nobis habitat, dum est unum nobiscum, dum ejus sumus membra ex carne ejus, dum in unam denique & vitam & substantiam, ut ita loquar, cum ipso coalescimus. Calvinus in Epist. Pauli 1 Cor. 2.

REFUTATIO.

Etsi hic error, de formali justificationis nostræ causâ, quam cum Osiandro, per essentialem Dei in nobis inhabitationem definiunt, jam pridem ex Ecclesiæ agro eradicatus & profligatus sit, tamen hic, quia ordo eum nobis exhibet, examinabimus, idq; quam brevissimè

a) Instit lib. 3. c. 11. §. 5. & seq.

simè: præsertim cum ipse Calvinus in postrema institutionum suarum editione, vel sui oblitus, vel ab aliis rectius edoctus, eundem refutaverit. (a)

1. Respondemus itaq; hunc errorem vel maximè S. S. Scripturæ esse contrarium, quæ nostram justitiam, quâ coram Deo consistere possumus, non essentiali Christi, sed ab eo partâ justitiâ describit (b): & justificationem nostram non inhabitationem Christi in nobis, sed remissionem peccatorum nostrorum, & imputationem justitiæ Christi vera fide factam indigitat, atq; sic non inhabitatione, sed imputatione, quâ nobis peccata quæ insunt, non ineſſe reputantur, & Christi justitia, quæ non ineſt, verè imputatur; nos coram Deo justificari, nusquam non luce meridianâ clarioribus dictis edocet. (c)

b) Esa: 43. 24. 25. c. 53. 4. 5. 11. Matt: 1. 21 Rom: 3. 24 c. 5. 10. c. 8. 32 2. Cor 5. 15 Col. 1. 20. 1 Tim. 2. 6. 1 Joh. 2. 2.

c) Gen. 15. 6 Psal. 32. 1. 2. Rom. 3. 9. c. 4. 3. 22 c. 1. 5. 19. c. 10. 4. 10 Gal. 2. 16. Phil. 3. 9.

2. Deinde & totum opus redemptionis, obedientia & satisfactio Christi, hoc commentum humani cerebelli penitùs prosternit. Quorsum enim hæc omnia; quod filius Dei incarnatus, passus, mortuus, resurrexit, pœnam peccato promeritam in se derivavit, eamq; sustinuit, pro nobis satisfecit, legem implevit, nosq; patri suo cœlesti reconciliavit, &c. si essentiali eâq; Divinâ Christi justitiâ nobis inhabitante salvaremur, quam antè illud opus redemptionis susceptum habuit, & in nos derivare potuisset? Quia itaq; propter nos & nostram salutem de cœlo filius Dei descendit, & homo factus pro nobis satisfecit, utiq; antea eum, quo nos justificare voluerit, non habuisse, sed suo merito & obedientia nobis justitiam, qua nos justificaremur, peperisse, oraculis divinis edocemur.

3. Tùm & essentialis illa Dei & Christi justitia nulli creaturæ, nisi tribus in Divinitate Hypostasibus est communicabilis: non itaque illa simpliciter in nobis habitare potest, ut sic cum Christo unum simus, & in unam vitam & substantiam cum ipso coalescamus, nisi illa inhabitatione & justitiæ essentialis communicatione, homines Deos, vel Deo similes in essentia fieri, absurdè statuere velis. Illa itaq; justitia, essentialis cum sit, per se maneat oportet.

4. Aut si communicari nobis inhabitatione dicatur, non illa inhabita-

habitatio, formalis causa, ut Calviniani cum Osiandro sentientes volunt, esset nostræ justificationis, sed condemnationis & consumptionis. Absolutè enim consideratà illa essentialis & activa Dei justitia, nos homines peccatores non justificat sed condemnat, pœnis præsentibus & æternis vindicat: undè & secundum illam suam justitiam, ignis consumens (d) & devorans, Deus zelotes visitans iniquitates hominum dicitur.

d) Deut. 4. 24. c. 9. 3. Ebr. 12. 29 Exod. 20. 5.

5. Quando verò inhabitationis Christi in cordibus hominum fit mentio in sacris (e), ea non de causa efficiente aut formali, nostræ justificationis, sed de effecto ejusdem est accipienda: quando Christus in piis, imputatione meriti sui per fidem justificatis, habitat, novos in illis motus renovationis & sanctitatis excitans, habitumq; justitiæ illos perfundens: ut sic passivè justificati, activè quoq;, Christo in iis operante, fructus justitiæ ferant. Perperã itaq; illa inhabitatio, quæ est effectum nostræ justificationis, ad formalem causam ab adversariis refertur.

e) Eph. 3. 17.

6. Quæ opinio & orthodoxæ antiquitati ignota fuit, longè enim aliter ea de nostra justificatione loquitur. Sic enim Oecumenius inquit (f): Justitia Dei est justificatio ex Deo, absolutio ac liberatio à peccatis, à quibus lex ipsa absolvere non potuit. Item: Quomodo fit justificatio? per remissionem peccatorum, quam in C. I. consequimur. Primasius: Christus nos justificat, qui est rex justitiæ, & ipse pacificat omnia, quæ in cœlis & quæ in terris sunt, qui nascendo & moriendo, resurgendo atq; ascendendo pacem attulit mundo. Chrysostomus: Quam primum homo crediderit, confestim simul justificatus est. Haymo: Justitia Dei, h. e. justificatio, qua justificat in se credentes, in Euangelio manifestatur, dum dicitur: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, id est justus. Hæc est justitia, qua omnes credentes, dono Patris & Filij & Spiritus Sancti justificantur. Ambrosius: Christus non frustra mortuus est: mors enim eius, justificatio peccatorum est.

f) in 3 cap. ad Rom. In 7 cap. ad Ebr. In 3. cap. ad Rom. Serm. 7. In 1 cap. ad Rom. In 4 cap. ad Gal.

7. Deniq; hujus erroris notentur maxima & plurima absurda.

Dei enim justitiam immediatè peccatis ignoscere fingit, imò cum iis stare posse asserit. Plures esse Dei essentiales justitias, quam unam, & proindè plures Dei essentias, aut Deos esse somniat. Merito Christi detrahit, & totum opus redemptionis negat, incarnationem non necessariam statuit, imò humanam naturam prorsus aboler, Christum solvit, Divinam naturam ab humana discerpens. Media omnia salutis; verbum Dei, sacramenta, fidem, &c. abjicit. Habitu justitiæ infusæ, atq; sic non gratis, Dei gratiâ, obedientia & satisfactione Christi, sed meritis operum nos coram Deo justos esse, & & perfectos fieri, esse & manere: post justificationem non manere discrimen inter creatorem & creaturam: remißionem peccatorum non esse nostram justitiam: justificationem nostram esse aliud quiddam, quam redemptionem à Christo factam, & absq; illa homines justificari, statuit.

Aret. probl. par. 1 loc. 24. f. 281. 283

Error Secundus.

Organica causa nostræ justificationis, est meritum Christi.

REFUTATIO.

Nolunt quidem videri Calviniani, cum non omnes eodem modo de merito Christi loquuntur, se tàm frigidè & abjectè de eodem sentire, sed ex verbis propriis dijudicantur. Nos itaq; contra hanc blasphemiam, Christi meritum, non organicam, sed efficientem, materialem ac fundamentalem causam esse nostræ justificationis, constanter asserimus, ex sequentibus rationibus.

a) Esa. 43. 25 c. 53. 5. 11. Matt. 1. 21. Act. 10. 28. Rom. 3. 24. Col. 1. 20. 1. Tim. 2. 6. 1. Joh. 1. 7. c. 2. 2.

b) Matt. 20. 28 Gal. 3. 13. c. 4. 4. Phil. 2. 8.

1. Quia Sacro sancta Scriptura, ex qua meritò prima probationum nostrarum fundamenta desumimus, Christo tanquam causæ efficienti seu meritoriæ nostram justificationem ascribit (a): & rem ipsam seu materiam, qua justificamur, seu illud ipsum, quod Deus in judicio suo respicit, quando peccatorem justificat, & propter quod eum justum reputat; meritum Christi, ejusq; obedientiam & satisfactionem esse pronunciat (b): Imò & Christum ipsum, fundamentum solum & solidum, extra quod aliud poni

nec

nec possit nec debeat, nostræ iustificationis facit (c). Quæ certè elogia omnia majora sunt & augustiora, quàm ut Christo illis organicam tantùm causam nostræ justificationis ascribi, statuatur.

2. Accedunt nomina Majestatis & efficaciæ plenissima, quæ in S. S. Scriptura Christo tribuuntur; ut, quod dicitur nostra justitia, sapientia, sanctificatio, redemptio, via, veritas & vita, noster Dominus, Rex, Iustus, Magister ad salvandum, Salvator, Mediator, Redemptor, Sacerdos, propitiatio pro peccatis nostris, propitiatorium à Deo nobis propositum; Item, Imago Dei invisibilis, splendor gloriæ, & character substantiæ eius, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sint, & in quo omnis plenitudo Divinitatis corporaliter inhabitet, &c. (d). Quis verò hujusmodi Divinis titulis ornatum Dominum, causam tantùm organicam, diceret nostræ justificationis?

3. Sed neq; sunt tituli sine re, quin & effecta & operationes planè Divinæ Christo in S. S. Scriptura tribuuntur; ut, conterere caput serpentis; Delere iniquitates nostras; Languores nostros portare, livore suo nos sanare, in scientia sua justificare multos, & iniquitates eorum portare; In sanguine testamenti sui emittere vinctos suos de puteo, in quo non est aqua; Salvum facere populum suum à peccatis eorum; Sanguine suo redimere Ecclesiam; Sanguine suo emundare ab omnibus peccatis; Reconciliare Deo mundum (e); Et quæ sunt his similes plures aliæ actiones Θεανδρικαὶ (f), quæ Christum nullo modo, eo, quo à Calvinianis collocatur, loco, in actu nostræ justificationis esse, concedunt.

4. Aliàs enim, si nimirùm Christus organica tantùm causa statueretur nostræ justificationis, non hanc necesse habuisset perficere Christus, sed φιλοπάθειαν eam sustinere potuisset. Cum enim secundum regulam Thomæ (g), omne instrumentum agere debeat dispositivè ad virtutem agentis principalis; utique & φιλοπάθεια quantumvis imperfectus, ita tamen à Deo tanquam agente principali,

c) 1 Cor. 1. Eph. 2. 20 1 Pet. 2. 6. Esa. 28. 16.

d) Ier. 23. 6 1 Cor. 1 30. Joh. 14. 5. Phil. 1. 21. 2 Cor. 5. 21. Mich. 5. 2. Zach. 9 9. Esa. 43. 3. c. 63. 1 Tim. 2. 5. 6. Ebr. 6. 20. c. 9. 11. 1 Ioh 2. 2. Rom. 3. 25 Ebr. 1. 3 Col 1. 15. c 2 3. 9.

e) Gen. 3. 15. Esa. 43. 25. c. 53. 4. 5. 11. Zach. 9. 11. Matth. 1. 21 Act. 20. 28 1 Ioh. 1. 7. Rom. 5. 10

f) Ioh. 1. 9 12. 16. 29. c. 6. 51. Act 4 12. Gal. 2. 20. c. 4. 4 Col. 1. 20. 1 Tim. 1. 15. 1 Tim. 2. 6.

g) 1 Part. sum. q. 44 art. 5.

pali,

pali, ad virtutem hujusmodi organo convenientem disponi potuisset, ut opus redemptionis sic ὀργανικῶς perficere valuisset. Sed ἀδύνατον hoc καὶ ἀθεόλογον; quod plura alia non minus absurda comitantur, quæ brevitatis studio omissa, quilibet ex se facilè videbit.

Error Tertius.

Pretium, quo Electi sunt redempti & liberati, est mors Christi, & quidem sola.

Piscator in Matt. 20, v. 28.

REFUTATIO.

Etsi huius Erroris superius sit (a) mentio, & ratione eius loci etiam facta decisio: tamen cum indè proximis annis Piscator, non sine applausu, novum hunc fœtum produxerit, ac publicè defenderit: Quod sola passiva obedientia Christi sit nostra justitia; *aliquantò quidem plus Christo quam prior Error tribuens, attamen obedientiam Christi activam à passiva auerruncans, illamq; ex actu & circulo justificationis proscribens & eliminans: omninò ordo flagitat, Errorem hunc, quatenus est huius loci, refutare, & ex S. S. Scriptura & rationibus apodicticis probare, non tantum Christum moriendo, & sic passivè, sed & obediendo & satisfaciendo, atq; sic etiam activè nobis justitiam peperisse.*

a) Disp. 6 cap. 1. Er. 4.

1. *Demonstratio ex sacris hæc est. Paulus inquit (b): Sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sumus multi: ita & per unius* obedientiam *justi constituentur multi. Item: Christus perfectio legis ad justitiam omni credenti. Et alibi: Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus filium suum mittens in similitudine carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis. Item: Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, natum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret: Ergò etiam obedientiâ activâ erga legem, cujus respectu eramus sub lege, nos ab eadem redemit. Quod & Christus expressis verbis indicat, inquiens: Non veni solvere legem, sed adimplere. Ecce venio, in volumine libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem*

b) Rom. 5. 19. c. 10. 4. c. 8. 3. 4. Gal. 4. 4. 5. Matt 5. 17. Ps. 40. 10. Ebr. 10. 7. 9. 10.

tatem tuam volens, & legem tuam in medio cordis mei.

2. Deindè & ex perfectißima Christi justitia legi præstita, & nobis parta, evidentißimè constat, ad eam, non solam passivam Christi obedientiam sufficere, quia ea non est perfecta impletio Legis. Lex enim non tantùm requirit pœnam trangressione meritam, quam Christus patiendo & moriendo sustinuit, sed insuper perfectißimam obedientiam activam externam & internam, secundum totam legem, ex toto corde, mente, anima, omnibusq; viribus præstitam: Ergò nisi imperfectam justitiam somniare velimus, Activam Christi obedientiam sequestrare non debemus.

3. Id quod & imputatione Christi & nostra commutativa apodicticōs demonstratur, quam Apostolus ponit, inquiens (c): Eum qui non novit peccatum, pro nobis fecit peccatum, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso. Quibus verbis ostendit, nos eodem modo, quo Christus factus est pro nobis peccatum, effici etiam in Christo justitiam: At Christus factus est pro nobis peccatum, seu peccata nostra non tantùm commissionis & omissionis, atq; sic pœnæ & passionis, verùm etiam debiti, obligationis, obedientiæ ac satisfactionis, & sic quoque actionis & meriti; sunt Christi imputata; Utramque enim à nobis Lex requirebat, & pœnam, quæ passione sustinetur, & satisfactionem, quæ actione impletur. Ergò & eodem modo nos facti sumus justitia Dei in ipso, seu utraq; Christi justitia tàm Activa quæ est satisfactionis, quam Passiva, quæ est pœnæ, nobis imputatur. c) 2. Cor. 5. 21.

4. Quam Christi integram & perfectam justitiam, fides nostra Catholica & Symbolica, unâ copulativâ comprehendit. Non enim tantùm credimus in D. N. I. C. passum, crucifixum & mortuum, verùm etiam resuscitatum & ad dextram Dei exaltatum: & hæc fides, posteriores redemptionis partes, quæ ad passionem & mortem referri non possunt, prioribus conjungens, reputatur nobis ad justitiam: Ergò non tantùm passio & mors Christi, verùm etiam eius victoria, resurrectione, ascensione in cœlum, & exaltatione

ad dextram Dei parta & declarata, est illud quo justificamur. 5. Deniq; horrenda ex hoc errore paradoxa sequuntur: Nam si obtinere debet ille, quod sola mors sit nostra justitia: Excludentur reliquæ Christi passiones, eius resurrectio, ascensio & exaltatio, omnesq; θεανδρικὰς actiones; atq; sic dimidium tantùm habebimus Christum, & dimidiam justitiam; Et propterea adhuc obedientiâ nostrâ tenebimur legi satisfacere, unde sequetur, si coram Deo justi simus, id fieri partim Christi imputata, partim nostra habituali, à nobis ipsis præstitâ justitiâ; at sic principium & finis nostræ justitiæ, cum eius totalis causa non sit, Christo ascribi non poterit, &c. Plura vide in prius allegata Disputatione.

Error Quartus.

Rennecher. in catena c. 26. f. 188.

Peccatorum remissio respectu Dei, vocationem ipsam præcedit, nam Deus non alio modo, quam gratuita peccatorum remissione, hominem sibi reconciliat & in gratiam recipit. Respectu verò nostri vocatio præcedit, ex ea enim nos justificatos esse cognoscere & intelligere incipimus.

REFUTATIO.

Somnium Calvinisticum de absoluto Dei decreto, verè organicam nostræ justificationis causam illam, quam offerentem vocamus, non admittit, neq; nostri respectu eam organicam esse vult, sed peccatorum remissionem respectu Dei, vocationem ipsam præcedere fingit. Id etsi quidam illorum apertè non profiteantur, ex verbis tamen quorundam quid sentiant & illi, haud obscurè constat.

a) Rom. 6. 17 19 1 Cor. 2. 14: Gal: 3. 1 6. 5. 19. Eph. 2. 1. 2: 3 12. c 4. 17. 22. b) Esa. 55. 10 Joh. 17. 20 Mar. 16. 20. Act. 2, 37 c. 8. 34. 35. c. 10 44. 13 48. 16. 16. 14.

1. Sed solidè refutantur ex S. S. Scriptura, quæ remissionem peccatorum, vocationem, ut illi volunt, respectu Dei præcedere minimè concedit, id quod in omnibus Epistolis Paulinis videre licet, in quibus miserrimum suorum auditorum statum ante vocationem in peccatis mortuum, & à Deo alienum describit (a). Et vocationem ipsam, seu verbi prædicationem, non indicium saltèm, sed organum & efficax medium esse nostræ justificationis, plurimis in locis, qui in S. Codice videantur (b), probatur.

2. Tum

2. Tum quia remissionem peccatorum per fidem nos habere, eamq; ex auditu verbi esse, expressis S. S. Script. testimoniis docemur, utiq; fieri non potest, remissionem peccatorum vocationem quocunq; respectu præcedere posse. Quomodo enim credent, inquit Apostolus (c), quem non audierunt? quomodo autem audient, sine prædicante? c) Rom. 10. 14. 18.

3. Præterea si remissio peccatorum ipsam vocationem præcederet, utiq; Deus sine ullo medio, Enthusiastico nimirùm modo, οὐκ ἀπὸ προσωπολημψίας eam huic largiretur, alteri non: atq; sic vocatio esset nullius, vel saltem admodùm exigui pretii, quia non efficaciter justificationem nobis offerret, sed nos jam antè justificatos esse & remissionem peccatorum habere, saltem indicaret.

4. Quia itaque hinc sole meridiano clarius erroris vanitas patet, non quoq; ulteriori refutatione chartam implebimus, sed hîc sequentia inde etiam oriunda ἄτοπα & ἀθεόλογα notasse sufficiat. Error hic satis crassus insuper absolutum decretum stabilit: Meritum Christi annihilat: Fidem enervat, imò absq; fide remissionem peccatorum pollicetur: non vocatos, quales sunt omnes extra Ecclesiam, remissionem peccatorum habere, & sic Deo acceptos esse, atque salvari posse, somniat: remissionem peccatorum mediante vocatione, ex fide per auditum verbi, oblatam & applicatam, non gratuitam esse falsò existimat: Non Prædicantes vel non audientes verbum, si modò finem vocationis, ut nimirùm intelligant se esse justificatos, assecuti sint, excusatos habet, atq; sic Epicureum contemptum verbi inducit, &c.

Error Quintus.

Iustificatio tantùm ad Electos & salvandos pertinet. Rennecherus in catena c. 23. f. 215.

REFUTATIO.

Et hic error ex figmento absolutæ particularitatis, quâ justos & renatos excidere non posse somniant, promanat: sed eo insuper:

a) Disp. 7. cap. 1. Er. 7.

disp. (a) diruto, quod superstructum sponte corruet, ne longiori opus sit refutatione.

1. Non itaq; justificationem tantùm ad Electos pertinere, S. S. Scriptura dictis manifestis probat. Sic enim Dominus apud Ezechielem: Si averterit se justus à justitia sua & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas solet operari impius, nunquid vivet? omnes justitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur: in prævaricatione, qua prævaricatus est, & in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur. Item: justitia justi non liberabit eum, in quacunq; die peccaverit. De Judæis inquit Apostolus, propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time, Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Et alibi inquit: quod multi circa fidem aberrarint & naufragium fecerint.

b) Ezech. 18 24. c. 33, 12. Rom. 11, 20. 1 Tim. 1, 19. 6, 6. 21.

c) Gen. 4, 7 1 Sam. 9. 16. c 10 6. 9. 10 2 Chron. 24, 2. 17.

2. Deinde exempla idipsum quoq; satis superq; demonstrant. Cainum Deus ipse, si benè egerit, remissionem habere dicit (c). De Saule testatur S. S. Scriptura, quod Deus eũ miserit ad Samuelẽ, ut ungeret eũ ducem super populũ suum Israel; Et unctio immutaverit cor aliud: quod spiritus Domini insilierit super eum, & prophetaverit in medio eorum, mutatusq; sit in virum alium: unde ei justitiæ titulum denegari haud posse, satis apertum est. Joas Rex Juda, vivente & eum regente Sacerdote Ioiada, pius est & religiosus sed eo mortuo Principes adulatores eius mores corrumpunt. Quibus alii haud multum absimiles, ut Salomon, Roboam, Judas, Demas, Hymenæus, Alexander; addi possunt, quos justos fuisse; minimè, sed de quorundam salute vel maximè dubitatur, vel quosdam Electos non fuisse certò constat.

3. Quin & vim & efficaciam Sacramenti initiationis utriusq; Testamenti, circumcisionis nimirùm & Baptismatis, si spectes, justificationem non Electis negari non posse, concedi oportet. Extra n. aleã dubitationis positum est, (etsi id Caluiniani non velint) omnes infantes V. T. octavo die circumcisos, unà cum fideli Abrahamo signum eir-

circumcisionis, signaculum nimirum justitiæ fidei accepisse: tum & infantes N. T. omnes baptismate tinctos, ex aqua & spiritu regenerari, atq; sic justis annumerari: Ast quam multi ex illis, qui ad annos discretionis perveniunt, malitiâ huius mundi seducti, fœdere hoc cum Deo inito vicissim excidant, atq; propterea in Electorum numero non sint, probatione non indiget.

Caput Secundum,
De Fide.
Error Primus.

Fides nequaquam ex verbis desumi vel addisci potest, sed Doctor hujus Deus est.

REFUTATIO.

Adversarij varias de causis fidei fovent opiniones, dum vel eam naturæ tribuunt, vel sanctitatè à parẽtibus propagari volunt, (a) vel etiam à Spiritu S. per immediatam revelationem nulla intercedente prædicatione eam effici asserunt: sed de prioribus actum est superius (b): quarè hic ad postremam, ipsissimum Enthusiasmum redolentem opinionem, breviter respondebimus, fidem nimirùm non immediatè à Deo nobis infundi, sed per verbum Dei prædicatum, auditum, lectum & meditatum conferri, & ex eo desumi atq; addisci.

1. De hujusmodi enim mediata fidei collatione, expressè extant S. S. Scripturæ testimonia. Christus in precibus suis inquit (c): Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum *eorum in me. Et Paulus: Quomodò credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? Et paulò pòst: Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Vnde & pax, quæ est ex justificatione fidei, fructus dicitur labiorum. Et non sine causa bis illud Esaiæ; quis credit auditui nostro; in N. T. repetitum legimus; ut nimirum studium Verbi & modum consequendi fidem, quâ solâ justificamur, nobis haberemus quam commendatissmum. Ideò enim Verbum Dei conscriptum est, ut credamus, teste Euangelista.*

Cinglius ad serm. Luth: cont. Suerm Tom. 2. f. 372 Thesaurus Orth. fidei class. 3. loc. 2. th. 2.

a) Beza Coll Mompelg. f. 118. Thesaurus Orth. fidei class. 3. loc. 2.

b) Disp. 1. c. 1. Er. 2. c. 2. Er. 3 4. Dis. 8. cap. 2. Er. 3.

c) Iob. 17, 20 Rom. 10, 14 17. c. 5. 1. Esa. 57, 19. c. 53. 1. Ioh. 12, 38. 6. 20, 31.

2. His dictis vel solis ad refellendum errorem sufficientibus, addi possunt Exempla, prædicatione Apostolorum, conversorum, quos ex auditu verbi, fide, sine qua conversio nulla fieri aut cogitari potest, donatos fuisse negari non potest. Vt, ter mille animæ apponuntur ad numerum credentium prima concione Petri. Præfectus Reginæ Candaces lectione Prophetæ, & explicatione ejusdem per Philippum facta, ad fidem perducitur. Super Cornelium cum tota familia audientem verbum, loquente adhuc Petro, cecidit Spiritus S. Lydiæ aperuit Dominus cor, sed per auditum verbi (d).

d) Act. 2, 41 c. 8, 30: 31. 37 c. 10, 44 c. 16, 14.

3. Vnde & egregiis elogiis insignitur. Nam vocatur verbum fidei, veritatis & vitæ æternæ, potentia Dei ad salutem omni credenti, vivus sermo Dei & efficax, utilis ad doctrinam, quæ nos possit erudire ad salutem, præter sapientiam & illuminet oculos: per quod verbum Dei vivi regeneremur, justificemur, sanctificemur, & æternum salvemur (e). Quæ tum appellationes verbo Dei tributæ, tum & effecta ejusdem, quæ ex fide proficisci oportet, satis superq; demonstrant, fidem non aliunde quam ex verbo Dei, tanquam peculiari ejusdem medio desumi atq; addisci posse ac debere.

e) Rom. 10, 9 Iacob. 1, 18 Ioh: 6, 68 Rom: 1, 16 1 Pet. 1, 23. Ebr. 4. 12. Rom. 15, 4. 2 Tim: 3, 15 Psal. 19. 8, 9. 1 Cor. 4. 15. Ioh: 17, 17 Eph: 5, 26 1 Tim: 4, 16

4. His, Erroris huius absurda subjungi possunt. Vt quod Epicureum verbi Divini contemptum inducit: S. S. Scripturam omni planè fructu & usu privat, dum ex ea literam mortuam cum Swenckfeldianis & Pontificiis facit: fidem, carentibus hoc medio concedit, atq; sic absq; hoc medio salvari eos posse statuit: cognitionem Christi, quæ prima pars fidei, extra verbum promittit, &c.

Error Secundus.

Grave & molestum non debet, neq; potest censeri, quod communi sensui & naturæ convenit, qualem omninò esse constat fidei & morum doctrinam.

Gualtherus super Euan die Matth. ex Matt: 11 f. 185. part. 3.

REFUTATIO.

Nihil est apud Calvinianos decantatius, quàm quod doctrinam

ctrinam fidei ex ratione metiantur, cui eam convenire imò ancillari volunt, unde & pro symbolo ferè in ore ferunt, ut D. Polycarpus Lyserus quoq; annotat (a): Nihil est in fide mea, nisi prius fuerit in sensu & intellectu.

1. At contrà fidei doctrina ita nobis describitur, quod sit mysterium magnum absconditum à seculis (b) & generationibus in Deo; & tacitum æternis seculis, quod maximè miratur Apostolus exclamans: O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia eius, & investigabiles viæ eius? Quis cognovit mentem Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Vnde & Christus ad Petri confessionem respondet: Caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus, qui in cælis est. Et Apostolus inquit: Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Quare & monet, in captivitatem redigere omnem intellectum, in obsequium Christi. Hæc certè & id genus alia dicta doctrinam fidei communi sensui & rationi convenire minimè concedunt.

2. Quibus rationes συλλόγους subjunxisse sufficiat. Quodcunq; cõtra rationem est, id cum ratione cõvenire minimè potest: At fides est contra rationem, ut antea probatum, & etiam ex exemplo Abrahæ constat, de quo scriptura testatur (d), quod contra spẽ in spem crediderit, non considerans corpus suum nec uxoris emortuum, sed confortatus sit in fide, dans gloriam Deo: plenissimè sciens, quia quæcunq; promiserit Deus, potens sit & facere. Ergò fides quæ ita cum ratione pugnat, cum eadem convenire minimè potest.

3. Deinde si fides cum ratione & natura conveniret, sequeretur 1. fidem esse naturalem & naturâ notam. 2. Esse omnium. 3. Et maximè sapientum. 3. Tum quoq; gentilibus Philosopis non fuisse ignotam. Sed fides non est naturâ nota, neq; est omnium sed maximè electorum, sapientibus verò hujus mundi abscondita (e): Ergò cum ratione & natura minimè convenit.

4. Deniq; ex effectis fidei eam naturæ haud tribui posse, solidissimè demonstratur. Quia fides nos Dei filios facit, justificat, purificat corda, re-

a) In Calvinismo suo f. 129.

b) 1 Tim. 3. 9. 16. Col. 1. 26. Eph 3. 9. Rom: 16 25. c. 11. 33 Matt: 16, 17 1 Cor. 2. 14 16. 2 Cor. 10 5.

c) Joh: 3. 9. 10. 11. c. 20 25. 31. 1 Cor: 13, 12 2 Cor: 5, 7

d) Rom. 4, 18

e) Joh. 1, 18 2 Petr. 1, 21 2 Thess: 3. 2 Joh: 12. 39 Act. 13, 48. Tit: 1, 1. Matt. 11, 25. 1 Cor: 1, 21.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0291
DFG

da, remissionem peccatorum & vitam æternam impertit (f) &c. At si quis hæc omnia naturæ & rationi tribuere vellet, is omnia fundamenta religionis orthodoxæ everteret. Impossibile itaq; est fidei doctrinam, cum ratione & natura comparari posse.

f) Ioh. 1. 12 Gal. 3. 26. Genes. 15. 6 Abac. 2 4. Actor. 15. 9 Luc 7. 50 Eph. 2. 8. Ioh 3. 15 36 Act 10. 43

5. Quam & sententiam Apophthegmata Patrum illustrant atque confirmant. Sic n. August. (g) Mentis humanæ acies invalida in tam excellenti luce non figitur, nisi per justitiam fidei emendetur. Idem: Quid est fides, nisi credere quod non vides? Vnde & quomodò capitur Trinitas, rectè ô homo, interrogas: quomodo creditur, non benè interrogas, imò ideò benè creditur, quia citò non capitur, nam si citò caperetur, non esset opus ut crederetur, quia videretur. Ibidem: Noli intelligere, ut credas, sed crede ut intelligas, intellectus merces fidei est. Idem. Aufer argumenta, ubi fides quæritur, in ipsis gymnasiis suis, jam Dialectica taceat: piscatoribus creditur non Dialecticis. Gregorius: Divina operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis, nec fides habet meritũ, cui humana ratio præbet experimentum. Bernhard: Transgreditur fides, fines rationis humanæ, naturæ usum, experientiæ terminos.

g) Lib. 1. de Trin. In Ioh. de Trinit. Homil. 26. super Euãg. serm 67.

Error Tertius.

Fides est donum Dei gratuitum, solis Electis peculiariter destinatum.

Beza in Crephagia f. 194. Zanchius in Miscellan. f. 112. Rennecher. in Catena f. 154.

REFUTATIO.

Quod fidem dicunt donum esse gratuitum, si indefinitè ponatur, orthodoxum est; etsi sciamus, quomodò illi non mediatè sed absolutè gratuitum illud accipiant, quod suo loco (a) refutatum, hîc non attingemus: Sed quod hujusmodi donum sit, quod, quemadmodùm de justificatione docent, solis tantùm Electis sit destinatum, id heterodoxum est & S. S. Scripturæ contrarium.

a) Disp. 7 c. 1. Er. 1, 5.

1. Etsi enim fides non sit omnium, ut ante probatum, neq; omnes homines auscultantes verbo, fide donentur, tamen inde non sequitur eam esse peculiarem Electis. Christus n. ipse de προσκαίροις illis, inquit (b): quod ad tempus credant, sed tempore tentationis recedant. Et Apostо-

b) Luc. 8. 13 14 1 Tim 1 19 c. 4. 1. 2 Pet. 2, 20 1. Ebr. 6. 5. 6.

Apostolus testimonio Spiritus S. confirmat, discessuros quosdam à fide. Idem graviter adhortatur Timotheum, ut militet bonam militiam, retineat fidem & bonam conscientiam: quam, inquit, quidam repellentes, circa fidem naufragium fecerunt, ex quibus est Hymeneus & Alexander. Et Petrus de illis, qui in cognitione Domini & Salvatoris nostri I.C. effugerunt coinquinationes mundi, dicit; si his rursus implicati superentur, fieri illis posteriora deteriora prioribus. At hos omnes, vel plurimos ex illis, nõ fuisse Electos, Adversarii ultro largientur, nihilominus tamen de illis dicitur, quod fide præditi fuerint. Quibus dictis, Exempla superius (c) allegata, & alia plura ex sacro Codice addi possunt. b) c. 1. Er. 4

2. Deindè cum medium illud, per quod S. S. Spiritus operari se velle fidem in cordibus auscultantium & obedientium, promittit; nulli hominum denegetur, sed sine discrimine omnibus offeratur; utiq; & fides, non ita absolutè ad solos Electos astringi debet, quasi S. S. Spiritus in illis tantùm, & non quoq; in aliis summa diligentia verbum tractantibus, fidem accendere velit.

3. Sic enim προσωποληψίας argui posset Deus, qui hominibus quidem omnibus offerret medium conferendæ fidei, quam tamen non nisi in Electis operari vellet: atq; sic h. e medium nõ nisi apud Electos esset efficax: quin & omnes qui Electi non sunt, carerent medio suæ conversionis, atq; sic essent excusabiles. Imò nec Deus posset seriò nolle mortem peccatoris, sed ut convertatur; si fides absolutè tantùm esset Electorum. Et Christus frustrà omnes, qui laborant & onerati sunt mole peccatorum, ad se vocaret, cum non posset eos reficere, qui extra numerum electorum, à fide excluſi essent.

Error Quartus.

Fides sufficit ad apprehendendam salutem, non ad eam conservandam: sed amplius requiritur vitæ emendatio. ¶ Vitæ emendatione perficitur conversio & fides, & salus in nobis conservatur. Praxis & medulla Catechetica Marpurgi edita Anno 1606. q. 67. 70.

REFUTATIO.

C Hoc Er-

Hoc Errore quoq; Calvinianí ad castra Pontificiorum descendunt, dum fidem, etsi ad apprehendendam & applicandam, tamen non ad conservandam salutem sufficere, sed vitæ emendationem, quæ est nova obedientia, etiam requiri existimant, ut eâ fides perficiatur & salus conservetur.

1. Sed non vitæ emendationi, aut bonis operibus, verũ fidei, Salus & vita æterna, à Christo ipso tribuitur, quandò inquit: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Item. Hæc est vita æterna, ut cognoscant *te solum verum Deum & quem misisti I.C. Idem & fit à Paulo, qui inquit: Gratia salvati estis, per fidem. Item: Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Vnde & Petrus dicit, nos virtute Dei custodiri per fidem in salutem: & finem fidei, esse salutem animarum nostrarum. Hæc & hisce similia (b) dicta, quæ fidei soli salutem & vitam æternam ascribunt, tam sunt manifesta, ut illis contradici non possit.*

a) Ioh. 3. 16. c. 17. 3. Eph. 2. 8. Rom. 10. 10. 1 Pet. 1. 5. 9.

b) Rom. 5. 2. c. 11. 20. 1 Cor. 1. 8. 2 Cor. 1. 21. Phil. 1. 6. Col. 1. 23. c. 2. 10.

2. Quibus rationes addi possunt. Cum enim in Christo ut nostra justitia, ita & salus ac vita æterna sit fundata, ita ut ille utriusq;, tam salutis ac vitæ æternæ quã justitiæ sit, non tantùm ἀρχηγὸς sed & τελειωτὴς (c): quare & α & ω, principium & finis, imò & vita æterna dicitur (d), cui & eadem pluribus in locis ascribitur (e): Certè fieri nullo modo potest, ut vitæ emendationi perfectio fidei & salutis conservatio, absq; insigni in meritum Christi sufficientissimum blasphemia & sacrilegio, tribui possit. Quantum enim vitæ emendationi tribuitur, tantum merito Christi detrahitur.

c) Ebr. 12. 2.
d) Esa. 41. 5. c. 44. 6. c. 48. 12. Apoc. 1. 8. c. 21. 6. c. 22. 13. 1. Ioh. 5. 20.
e) Matt. 1. 21. Luc. 19. 10. Act. 4. 12. c. 15. 11.

3. Et si emendatione seu novitate vitæ perficeretur fides, tùm sequeretur causam perfici à suo effectu, eoq; esse deteriorem & debiliorem: ἄλογον hoc. Si eâdem conservaretur salus, non esset hæc imputativa, sed habitualis & meritoria: ἀθεόλογον hoc. Donum enim Dei est vita æterna: Et, gratiâ Dei salvati estis, inquit, Apostolus (f). Si itaque ex gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia. Gratia enim non est ullo modo, quæ non est gratuita omni modo.

f) Rom. 6. 23. c. 11. 6. Eph. 2. 8.

4. Præ-

4. Præterea cum eadem sit ratio consequendæ salutis, quæ est justificationis, necesse quoque est easdem utriusque esse causas: præsertim cum ipsa salus sit consummata justificatio, & justificationem perficiat, eâque major, constantior & perfectior sit: utique non vitæ emendatione, tanquam effecto fidei imperfectiori, sed ipsa fide, ut justificatio, sic & salus conservabitur.

5. Aliàs enim ea nimis infirmo eoque incerto, instabili & dubio niteretur præsidio: Imò assumento nostrorum operum indigeret: atque sic Christus non æternam & perfectam ἀπολυτρωσιν acquisivisset: nec esset consummator nostræ justificationis, non enim in ultimo agone illud exclamatum consummatum valeret: neq; ab eo, per eum & in eo essent omnia &c.

Error Quintus.

Quid vult in prædictis (si quis viderit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petet & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem) aliud quàm ut fiducia nostra in Domino, etiam ad aliena peccata abolenda valeat.

Oecolampa. in 1. Ioh. 5.

REFUTATIO.

Etsi non omnes uno ore cum Oecolampadio loquantur, tamen idem cum eodem sentire eos, vel inde constat, quod infantes dicant sanctos nasci, sed fide eos prædictos esse concedere nolint, interim tamen, quia hereditas regni cœlorum in Euangelio illis promittitur, eos justificari non negare ausint, quod fide fieri necesse est, sine qua nemo placere Deo potest. Quarè aliena fide, parentum nimirum, cum propriam illis non concedant, eos justificari, non sine insigni absurditate sentiunt.

1. Quæ vel unico illo insigni in S. S. Scripturæ bis repetito dicto: Iustus suâ fide vivit (a); satis refutatur. Vnde & passim in S. S. literis omnis qui credit, propriâ nimirùm fide prædictus, non perire, sed remissionem peccatorum justitiam & vitam æternam habere dicitur.

a) Haba 2, 4. Rom. 1. 17 Ioh 3. 16. Act. 10. 43. Rom. 3. 26. c. 4 5. Ezech 18. 20. 22.

dicitur. Justitia enim justi super eum, dicit Dominus: Et in hac justitia suâ vivet.

2. Tùm & exempla in S. S. Scriptura passim obvia, erroris absurditatem satis detegunt (b). Abraham enim credidit Deo, & reputatum est illi, scilicet suum credere, ad justitiam: cujus exempli, ut valdè illustris, ita & non sine causa, ejus quater in S. S. literis fit mentio: Ut nimirùm indicetur, ad Exemplum Abrahæ, tanquam patris omnium fidelium, quibuscunque sectantibus vestigia eius, & fidem illorum illis reputari ad justitiam. Unde & Christus leproso mundato & reverso, Mariæ Magdalenæ, mulieri hæmorrhousæ; unicuique singulatim dicit: fides tua te salvam fecit. Tùm & à duobus cæcis requirit fidem cum dicit: creditis, quia hoc possum facere; & respondentibus, utique Domine, inquit: secundum fidem vestram fiat vobis. Sic & Patri Lunatici dicens, potes credere, omnia possibilia credenti; necessitatem fidei propriè inculcare voluit. Quarè & Centurionis, Chananæa & aliorum fidem eximiam, Christus maximè prædicavit.

b) Gen. 15. 6 Rom. 4. 3. 11 Gal. 3. 6. Iacob. 2. 23 Luc. 7. 50. c. 17. 19. Matt. 9. 22. 28. 29. c. 8. 10. c. 15 28.

3. Hisce quia ulteriores probationes, ex rationibus desumptas, copiosius addere spacio chartæ deficientis impedimur, relinquimus eas ex subsequentibus absurdis cuilibet colligendas. Si enim fides ad aliena peccata abolenda valet, tum sequitur: Infantes imò omnes posteros piorum parentum salvari, impiorum verò damnari: posse quempiam quantumvis flagitiosum, imò & in finali impœnitentiâ perseverantem, tamen aliena fide à damnatione liberari: atque sic ad omnis generis scelera & iniquitates viam sterni & magnam fenestram aperiri: Homines sine verbo & Sacramentis, atque adeò hisce mediis carentes, ut Turcas, Tartaros aliosque barbaros, aliena fide, credentium scilicet, salvari posse, &c.

DE CALVINISMO

DISPUTATIO ELENCTICA
DECIMA TERTIA.

Complectens Matæologia Calviniana
examen, in loco
De

BONIS OPERIBUS,

Quam
Doctore & Ductore S. S. Spiritu
Sub Præsidio
M. PETRI HINKELMANNI,
Verbi Divini Ministri,
privatim defendendam suscipiet
IOHANNES PARISIUS
Frid. Megap.
Habebitur disputatio 6. Idus August.

ROSTOCHII
Litteris Reusnerianis, Anno 1610.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0297
DFG

ΣΥΝ ΘΕΩ

DISPVTATIO ANTICALVIN. XIII.

DE BONIS OPERIBUS.

CONTINUATIO.

EFfecta & fructus sunt justificationis Bona opera, non enim, secundum illud Augustini (a), præcedunt justificandum, sed sequuntur justificatum, ita ut, nisi justus quis sit, bona opera præstare non possit. Quare convenienti ordine tractatio de Bonis operibus, Iustificationis doctrinâ est posterior. Præcipua verò cum Calvinianis in hoc loco nobis est controversia de necessitate bonorum operum; quâ primo capite decisâ: Secundo videbimus, quid de bonis operibus sentiant.

a) Tom. 3. de spir. & lit cap. 26. f. 587. Et Tō. 4. De fide & operibus c. 14. f. 47.

CAPUT PRIMUM.

De Necessitate Bonorum operum.

Error Primus.

Nemo adultus potest salvari sine charitate in Deum & proximum. Nemo potest salvari, nisi (si per ætatem licet) bonis etiam operibus studeat, inque illis ambulet.

Zanchius in miscell. f. 97.

REFUTATIO.

Hanc opinionem de necessitate bonorum operum, quam Calviniani cum quibusdam A. C. sociis communem habent, variis verborum floribus pictam & ornatam, in eorum scriptis reperies; sed decisa atq; rejecta ea est in Form. Concordiæ.

1, *Repugnat enim S. S. Scripturæ, quæ quamplurimis particulis exclusivis utitur, ut:* non ex operibus, *quæ verba,*

vel quater in Paulo invenies (a): Sine operibus legis; qui non operatur; non per legem; non habens meam justitiam, quæ ex lege est; non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos; non secundum opera nostra, &c. Quæ certè vel singulæ loquendi formulæ, indefinitè & sine ulla exceptione, justificandi & salvandi vim omnibus operibus derogant, excludentes ea ex actu justificationis & salvationis.

a) Gal. 2. 16. Eph. 2. 8. Rom. 3. 28. c. 4. 5. 13 Phil. 3. 9. Tit. 3. 5. 2. Tim. 1. 9.

2. Deindè cum Justificatio & salus æterna tanquam merè gratuita nobis in S. S. Scriptura describatur: Justificantur enim inquit Apostolus, gratis, per gratiam ipsius (b): Gratia salvati estis: Secundum misericordiam suã salvos nos fecit: Vita æterna est donum DEI: utique fieri minimè potest, ut possint Bona opera quocunque modo, ad salutem necessaria esse. Si enim ex gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia, jam non est gratia. Gratia enim, ut super. disputat. quoque monuimus, non est ullo modo, quæ non est gratuita omni modo. Exspirat itaq; necessitas bonorum operum ad salutem.

b) Rom. 3. 23 c. 6. 23. c. 11. 6. Eph. 2. 8 Tit. 3. 4.

3. Tùm quia sufficientissimo Christi λύτρῳ, quo nos redemit, justitiã & vitã æternã S. S. Scriptura, non ex parte vel semisse, ita ut laudem meriti inter Christum & homines partiatur, sed ex asse & toto ὁλικῶς sine nostra συνεργείᾳ (c) ascribat: etiam προσθήκλω illam operum per necessitatem, λύτρου & meritum illud Christi sufficientissimum, unicam & totalem nostræ salutis causam, obscurare & extenuare (d) necesse est.

c) Ioh. 11. 25. 26. Act. 4. 12 Rom. 3. 24. 1 Cor. 1 29. 1. Pet. 1. 18. 1 Ioh. 1. 7.
d) Galat. 2. 21. c. 5. 4.

4. Sed neque ullibi operum necessitas ad salutem à nobis exigitur in S. S. Scripturâ, verùm fide apprehendenda & obtinenda salus & vita æterna nobis proponitur his verbis: Vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam: Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit vivet: Gratia salvati estis per fidem: Omnis qui credit in eum non confundetur (e). Quod itaque fidei tanquam causæ instrumentali tribuitur, id de ejus-

e) Ioh. 3. 16. c. 11. 25. Eph. 2. 8. Rom. 10. 11

de ejusdem effectis & fructibus, operibus nimirum, dici non potest.

5. Præterea cum eædem sint causæ salutis quæ & justificationis; utique & necessitas operum, quam Patroni istius propositionis de justificatione intelligi nolunt, non quoq; de salute intelligi debet. Aliàs enim ἀθεολόγως Christus diceretur solus acquisivisse nobis justitiam, non verò salutem, atq; sic non esset consummator salutis. Imò statueretur planè diversa ratio consequendæ salutis, quam justificationis. Quod quàm sit absurdum, nemo non videt.

6. Et quomodò dici possent opera necessaria ad salutem, cum comparentur panno menstruatæ, damno & σκυβάλοις, & propterea tanquam imperfecta, ad justitiam atque satisfactionem inutilia habeantur (f), imò debita sint, atque idcirco nihil mereantur, sed potius venia & miseratione, quam remuneratione digna: tùm denique nulla omninò ne minima quidem proportio, neq; κατὰ τὸ πόσον, neq; κατὰ τὸ ποῖον, operibus renatorum cum vita æterna intercedat.

f) Esa. 46 6 Phil. 3, 8. Prov. 24. 16. Psal. 32. 6. Item 143. 2. Rom. 7. 8. 1. Cor. 4. 4. Luc. 17. 10. Rom. 8. 12.

7. Unde de sanctissimis quibuscunque legitur, quod opus habuerint rogare Dominum pro remissione suorum peccatorum; quodque admodum de sua imperfectione conquerentes de illa desperârint; imò justissimos, non tamen suâ justitiâ, sed imputatione gratuita justitiæ alienæ, quæ est fidei, justos & salvatos fuisse (g): ut exemplo Abrahæ, Davidis, Jobi, Apostoli Pauli, & aliorum patet.

g) Iob. 9. 2. c. 15. 14. 15. Psal. 32. 6. Item 130. 3. Prov. 20. 9. Esa. 64. 6. Exod. 34. 7. Rom. 4. 3. c. 7. 14. 18. Phil. 3. 9.

8. Cui & sententiæ orthodoxæ, contra necessitatem bonorum operum ad salutem, subscribunt Patres. Augustinus: (b) Pro nihilo, inquit, salvos facies eos. Quid est, pro nihilo salvos facies eos? nihil in eis invenis unde salves, & tamen salvas. Gratis das, gratis salvas. Omnia merita præcedis, ut dona tua cõsequantur

b) De verbis Apostoli Serm. 15. De vocat. gentium. In vita ejus.

In 4. Cap. Rom. Serm. 8. In 1. Cap. Rom. Serm. 2. In Psalm. 77. Super Euang. Septuag. De Mensurat. cruis. in dialogo de prædest & lib. arbit. Homil: 37.

meritatur. Prorsus gratis das gratis salvas, quia nihil invenis unde salves, & multum invenis unde damnes. Ambrosius: Hoc constitutum est à DEO, ut qui credit in Christum, salvus sit sine opere; sola fide, gratis accipiens remissionem peccatorum. Bernhardus, cum à Satana improbis pulsaretur accusationibus, ait: Fateor, non sum dignus ego, nec propriis possum meritis obtinere regnum cœlorum. Cæterum duplici jure illud obtinens Dominus meus; Hæreditate scilicet Patris & Merito passionis: Altero ipse contentus; Alterum mihi donat, &c. Cujus dono, jure aliquid mihi vendicans, non confundor. Chrysostomus: Fide salvari eum, qui opera non habeat, nihil fortasse fuerit insolentiæ. Eum verò qui rectè factis conspicuum se fecerit, non ex ipsis, sed ex fide justum fieri, hoc scilicet admirabile est, & quod maximè fidei potentiam manifestat. Idem alibi: Non sudoribus & laboribus illam comparabis, sed ex Divino gratiæ dono, quod ex supernis est, gratis ut accipias oportet, unum hoc solum afferens de tuo, ut credas. Beda: Per justitiam factorum nullus salvabitur, sed per solam justitiam fidei. Haymo: Vita æterna nulli per debitum redditur, sed per gratuitam misericordiam datur. Anshelmus: Si homo mille annis serviret DEO, etiam ferventissimè, non mereretur ex condigno, dimidiam diem esse in regno cœlorum. Honorius: Regnum cœlorum non secundum merita, sed secundum gratiam datur. Macarius: Non salvat hominem opus suum: sed qui facultatem operandi largitur.

9. Denique & plura alia, quam quæ ex prioribus colligi licet, inde sequuntur absurda, quæ necessitatem bonorum operum nobis meritò invisam reddere debent. Stante enim illa; fundamenta fidei evertuntur: Discrimen Legis & Euangelij planè tollitur: Omnis stabilis firmaq; consolatio & certitudo vitæ æternæ, credentibus eripitur, cum semper illis de sufficientia, perfectione & dignitate operum sit dubitandum. Econtra in iustitiariis præsumptiones ac falsæ opiniones propriæ dignitatis & justitiæ confirmantur:

tur: via sternitur, latâque janua aperitur erroribus Pontificiis, de dignitate nostra, operumque meritis, quibus causæ nostræ justificationis & salutis obscurantur, & tantùm non penitus annihilantur.

Error Secundus.

Calviniani asserentes, enormia delicta contra conscientiam non excutere Spiritum Sanctum, neque fidem; necessitatem bonorum operum rejiciunt, & ad ipsissimum Epicureismum fenestram aperiunt.

Vide Oleam Verzeichniß mehr denn 200. Calvinischer Irrthumb. f. 52.

REFUTATIO.

Hanc antilogiam nos Adversariis non affingere, sed per bonam consequentiam, ex illorum Erroribus; de absoluto DEI decreto; retentione gratiæ DEI, Spiritus Sancti fidei & salutis æternæ, etiam mediis in enormibus delictis; absoluta necessitate vitæ æternæ, sive benè sive malè quis agat &c. sine ulla contradictione apertè deduci, apud rectè judicantes nõ indiget probatione. Quare pro necessitate bonorum operum (quamvis non ad salutem) contra errorem, causas subsequentes ponimus.

1. Necessitatem sextuplicem: Prima est mandati, à Deo ipso, non tantum in Decalogo promulgati, verùm in tota S. S. Scriptura tàm Veteris quàm Novi Testamenti repetiti, imò & à Christo ejusque Apostolis sæpius inculcati: Hæc mando vobis ut diligatis vos invicem (a). Hæc est voluntas DEI, sanctificatio vestra. Milita bonam militiam. Secunda est debiti: Debitores enim sumus: Et non estis vestri; inquit Apostolus, sed empti pretio magno, pretioso nimirùm sanguine agni immaculati & incontaminati Christi (b). Tertia est fidei testificandæ & declarandæ: Ubi enim fides vera est & justificans, ibi non potest latere, sed per bona opera tanquàm fructus fidei certissimos efficax est, seseque aperit & ostendit (c). Quarta est illustrandæ gloriæ Divinæ: ut glorificetur pater noster cœlestis, ut

a) Joh. 13. 34 c. 15. 12. 17. 1 Thess. 4. 3 & seqq. 1. Tim. 1. 18.
b) Rom 8. 12 c. 13. 8. 1. Cor. 6. 20 1. Pet. 1. 19. Luc. 1. 74.
c) Gal. 5. 6. 1. Pet. 1. 7. 1. Joh. 3. 10.

stis, inquit Christus. Et Sanctus Paulus: omnia ad gloriam DEI facite (d). Quinta est vitandi pœnas temporales & æternas: Nam propter peccata venit ira DEI in filios incredulitatis: Qui talia agunt, regnum DEI non possidebunt. Et si secundum carnem vixeritis, inquit Apostolus, moriemini (e). Sexta est proximi nostri: vel cujuscunque, ut ei officiis dilectionis, beneficentiæ & misericordiæ serviamus & prosimus: vel mali & impij; tùm ut eum nostris bonis operibus ad pœnitentiam, timorem DEI & fidem invitemus; tùm ut nihil mali possit dicere de nobis: vel boni & pij, ne illi scandalum præbeamus, sed ut exemplo nostro in studio pietatis indies magis magisq; crescat & augeatur (f).

d) Matt. 5. 16 1. Cor. 10. 31

e) Eph. 5. 6. 1. Cor. 6. 10. Gal. 5. 21. Rom. 8. 13.

f) Rom. 12. 5. Tit. 3. 8. 14. 1. Pet. 3. 1. 2. c. 2. 12. 2. Cor. 6. 3. Tit. 2. 5. 8. Matth. 18. 7. 2. Cor. 6. 3. Matth. 5. 16. Rom. 15. 2.

2. Dignitatem: ut dignè ambulemus vocatione nostrâ, quâ vocati sumus (g); imitatores DEI simus, sicut filij charissimi, & ambulemus in dilectione, sicut Christus nos dilexit, fornicatio autem & omnis immundicia aut avaritia, nec nominetur in nobis, sicut decet sanctos. Videamus itaque quomodò cautè ambulemus, non quasi insipientes, sed ut sapientes. Deponamus secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, renovemur autem spiritu mentis nostræ. Neque dormiamus sicut & cæteri, sed vigilemus & sobrij simus. Quemadmodùm videmus in communi vita quemcunque in suo statu cavere, ne quid suâ personâ indignum committat: ita & multò magis pios & Christianos decet, ut piam & Christianam vitam degant, quæ consistit in nova obedientia & studio bonorum operum.

g) Eph. 4. 1. 22. c. 5. 1. 2. 3. 15. 1. Thess. 5. 6.

3. Præmium & recompensationem bonorum operum, non propter operum in se qualitatem meritoriam, sed propter promissionem gratuitam, quæ datur non quidem merentibus, attamen in vineâ Domini laborantibus. Deus enim benè operantibus ex gratia pro-

siâ promisit, cùm in hac vita, corporalia & temporalia, tùm in altera vita, spiritualia & æterna bona. Pietas enim ad omnia utilis, inquit Apostolus (h), habens promissionem, vitæ quæ nunc est, & futuræ. Id quod & plurima alia S. S. Scripturæ loca testantur. Etsi itaque donum DEI sit vita æterna, tamen sua quædam remuneratio, quamvis gratuita, ex promissione DEI bonis piorum operibus relinquenda est: quâ qui ornari tum in hac, tum in futurâ vitâ cupit, vitæ novitati & bonis operibus studeat oportet.

h) 1. Tim. 4. 8 Rom. 6. 23.

4. *Quemadmodùm & de hac necessitate bonorum operum præclaræ Patrum extant sententiæ. Gregorius enim inquit (i): Deputemus intelligentiam datam, quasi pecuniam mutuatam: quo plus nobis creditur ex benignitate, eò debitores amplius tenemur in opere. Ibidem: Sic sub Authoritate superbia, & humanus timor sub humilitate se palliant, ut sæpè nec ille valeat considerare quid DEO, nec iste quid debeat proximo. Chrysostomus: Si totum tempus vitæ huius occupant obsequia, laudes teneant, gratiarum actiones insistant, non poteris pensare quod debes. Idem: Admoneo vos, ut Domino semper benedicatis; si venerint mala benedicite, & dissolventur mala: si prospera venerint, benedicite, & perseverabunt bona & prospera.*

i) In Mor. De Comp. cordis. In tractatu de symbolo

Error Tertius.

Multæ etiam apud Christianos sunt viæ consequendi remissiones peccatorum, scil. baptismus, martyrium, Eleemosyna, remissio in delinquentes contra nos, conversio impiorum verbo & exemplo procurata, charitatis insignia opera, humilis confessio facta vel Deo, vel cum lachrymis & cordis amaritudine, homini, &c.

Chunradus Pelicanus super Levit. c. 5. v. 19.

Ita necessaria illi volunt esse bona opera, ut simul sint meritoria, quemadmodum ex hoc errore, in quo planè Papizant, patet. Ne verò de baptismate, quod est medium offerens & exhibens nobis gratiam DEI & remissionem peccatorum, ut suo loco videbimus, hic quicquam dicamus; omnia opera illa quantumvis optima, quæ longo ordine subnectuntur, non posse dici vias consequendi remissionem peccatorum, atq; propterea non esse meritoria, invictis demonstrari potest rationibus illis, quas in refutatione Erroris primi posuimus, ne opus sit longiori refutatione.

1. Breviter itaq; tantùm respondemus: S. S. Scripturam nullas alias neq; plures vias scire aut docere, quam Christum ipsum fide apprehensum, ut de seipso Salvator tanquam αὐτόπτης & testis omni exceptione major prædicat inquiens: (a) Ego sum via veritas & vita, nemo venit ad patrem nisi per me. Amen Amen dico vobis; quia ego sum ostium ovium. Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur: & ingredietur & egredietur, & pascua inveniet. Qui verò non intraverit per hoc ostium in ovile ovium, sed ascenderit aliunde, hoc est, qui alia ostia & alias vias commentus fuerit, ille fur est & latro; (cape tibi hoc qui plures vias sternis). Et alibi inquit Christus: Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Et omnis, qui vivit & credit in me, non morietur in æternum. Undè & Apostolus Christum, fundamentum nostrum unicum nominat, extra quod aliud poni nec possit nec debeat.

a) Ioh. 14. 6. c. 10. 1. 7. 9. c. 11. 25. 1. Tim. 3. 11.

2. Tùm & remissionem peccatorum, non operibus nostris quantumvis justis & sanctis, sed fidei tribui, tàm apertè & luculenter in S. S. literis docetur, ut eidem contradicens magis malitia & obstinatâ contradicendi libidine, quàm insciția peccare meritò dicatur (b). Fides n. unicum tantùmmodo est medium apprehendens & applicans sibi perfectã illam Christi satisfactionem, ut sic nõ imputatis vel remissis peccatis, homo sit justus & vitam consequatur æternam:

b) Gen. 15. 6. Act. 10. 43. Rom. 3. 28. c. 4. 5.

nam: Quâ ἐνεργείᾳ, omnia etiam sanctissimorum hominum, ut antea probatum, opera caruerunt. Non enim quia obedivit Abraham, sed quia credidit Deo, reputatum hoc est illi ad justitiam.

3. Neq; opera nostra quantumvis optima posse mereri remissionem peccatorum, patet: 1. Ex particulis Exclusivis superius allegatis, quibus omnia opera penitus ab actu justificationis, cujus prima pars est remissio peccatorum, excluduntur. 2. Ex gratuita peccatorum remissione, quæ additamentum & assumentum bonorum operum ferrè minimè potest. 3. Ex ipsis operibus, quæ primò sunt debita (c), atq; propterea meritoria esse non possunt. Deinde imperfecta, id quòd tùm innumeris dictis & Exemplis S. S. Scripturæ, (d) tùm quotidianâ experientiâ satis superq; probatur. 4. Ex plurimis paradoxis indè oriundis, quæ in primo Errore posuimus, quibus adde; quod doctrina operum cum articulo Justificationis confunderetur: Gratia Dei & meritum Christi evacuaretur: Remissio peccatorum & vita æterna gratuita non maneret, &c.

4. Deniq; contra hanc opinionẽ de meritis operum, quæ per varias vias consequendi remissionem peccatorum notãtur; testimonia Patrum ex Orthodoxa Antiquitate annotasse utile est. Hilarius enim inquit (e): Non illa justitiæ opera sufficiunt ad perfectæ beatitudinis meritum, nisi misericordia Dei, etiam in hac justitiæ voluntate humanarum demutationum & motuum vitia non reputet. Ambrosius: Non habeo undè gloriari in operibus meis possim, non habeo undè me jactem: & ideo gloriabor in Christo. Hieronymus: Omnis homo, universa creatura, quamvis ad perfectionem venerit, tamen indiget misericordiâ DEI: & plenam perfectionem, ex gratia, non ex merito possidet. Augustinus: Quid est gratis datur? gratis constat. Nihil boni feciſti, & datur tibi remissio peccatorum. Attenduntur opera tua, & inveniuntur omnia mala. Si, quod debetur istis operibus, Deus redderet, utiq; damnaret: Non tibi DEVS reddit debitam pœnam, sed donat indebitam

c) Luc. 17. 10. Rom. 8. 12. c. 13. 8.
d) Esa. 64. 6 Phil. 3. 8. Ps. 32. 6. Item 130: 3. Item 143. 2. Rom. 3. 23. c. 5. 12. c. 7. 14. & seqq. c. 11. 32. 2. Cor. 3. 5. Gal. 5. 17. c. 6. 3. Gen. 18. 27. c. 32. 10. Iob. 9 2. 20. Dan. 9. 5 6. 8. 18. Matt. 8. 8. Mar. 9. 24. Luc. 17. 5.
e) In Ps. 51. Lib 1. de vita æterna, Lib. 14. cõment. in Ezech. In. Ps 6. Ad Eph. 4.

tam gratiam. Honorius: Salvum me fac propter misericordiam tuam, non propter meritum meum. Haymo: Data est gratia, id est fides, remissio peccatorum & redemptio, & quicquid boni habemus. Et hæc omnia gratuito munere omnipotentis Dei data sunt nobis.

Caput Secundum.

Quid de ipsis bonis operibus sentiant.

Error Primus.

Cingl. tom. 1. Epist. 1. f. 582.

Ethnicus si piam mentem domi foveat, Christianus est, etsi Christum ignoret.

REFUTATIO.

Calviniani dum Religionis reformatores videri volunt, revera sunt ejusdem deformatores & ordinum confusores, Ethnicorum enim, extra Christi cognitionem, virtutes, tantoperè extollunt, ut eas inter bona opera, quæ faciant Christianos, numerent.

1. Sed nos respondemus, etsi egregias virtutes, in Socrate, Scipione, Aristide, Lælio, Camillo, Lucretiâ & alijs innocentiæ laude clarissimis Ethnicis fuisse, negari non possit, tamen propterea eas bona opera, qualia sunt Christianorum, habuisse, asserendum non esse; quia Ethnici caruerunt αἰτίῳ κυρίῳ bonorum operum, Spiritu nimirum Sancto, qui est vera & principalis causa bonorum operum in hominibus. Nisi enim operante in nobis S. S. Spiritu, nequidem Christum Dominum dicere, nedum quicquam boni operari possumus (a). Vndè & bona opera fructus Spiritus Sancti dicuntur: quibus ut præditi essent omnes pii, Deum seriis & ardentibus gemitibus invocârunt: ne Spiritum Sanctum suum auferret ab illis: sed ut Spiritus Domini bonus deduceret eos, in terra recta. Non itaq; ab aliis, nisi in quibus S. S. Spiritus habitat & operatur, bona opera præstari possunt (b). Ethnicorum verò opera, quia non Spiritus sed carnis opera fuerunt, ex qua pro-

a) 1. Cor. 12. 3 2. Cor. 3. 5. Gal. 5. 22. Psal. 51. 13.

b) Ezech. 36. 27. Rom. 8. 14.

profecta sunt, non quoq; bona dici vel esse posse, S. S. literis edocemur (c).

2. Deindè & Ethnici caruerunt medio illo, per quod S. S. Spiritus accendit & perficit bona opera; verbo nimirùm Dei, quod continet materiam bonorum operum, quæ est mandatum Divinum, quod ostendit quæ opera, & quomodò sint præstanda, ut possint esse bona & placere Deo. Vndè & verbum DEI dicitur luterna pedibus, & lumen semitis nostris, cui, si benè agere velimus, attendere jubemur; extra enim illud qui quicquam agunt, in tenebris ambulare dicuntur (d). Hac verò materiâ bonorum operum, verbo nimirum DEI, cum destituantur Ethnici, etiam principium & εἶναι bonorum operum non habebunt.

3. Nedum ut illud bonorum operum requisitum, quod formam concernit, habeant, quæ est fides, hæc enim ex auditu; auditus autem per verbum (e). Ergò carentes verbo, & fide carere, probatione nulla indiget. Est fides illa est veluti anima & vita bonorum operum, ad τὸ εἶναι & substantiam eorum omninò necessaria: ex fide enim bona opera fiunt, dijudicantur; fide DEO placent, absque verò fide impossibile est DEO placere, quin potius quicquid non ex fide, peccatum est (f). Quarè Ethnici carentes fide, nec DEO placebunt; displicente autem persona, nec opus quantumvis moraliter bonum, DEO placere potest, atque propterea formaliter bonum æstimari non debet.

4. Prætereà cum virtutes Ethnicorum non eo fine, quo meritò bona opera fieri debent, fiant; nimirùm in celebrationem gloriæ divinæ (g): sed respiciant gloriam propriam & auram popularem, tranquillitatem & utilitatem vitæ, memoriam apud posteros sempiternam, & similia huius vitæ commoda; quales fuerunt omnes omnium Ethnicorum, præclaræ & eximiæ virtutes: uiq; & pro bonis operibus haberi nullo modo possunt.

c) Ioh. 3. 6. Matt. 7. 16. 17. 18. Rom. 6. 20. c. 7. 5. c. 8. 6. 7 8. Eph. 2. 3. 18.

d) Ps. 119 105 2. Pet. 1. 19. Deut. 4. 2. c. 12. 8 32. Num. 15 39.

e) Rom. 10. 18.

f) Rom. 14. 23. Ebr. 11. 6.

g) Ps. 115. 1. Matt 5 16. 1 Cor 10. 31. Col. 3 17. 2 Thess. 1. 12. 1. Pet. 4 11.

5. *Præsertim cum, piorum opera, quibus requisita illa deesse non possunt, vix aut ne vix quidem pro bonis haberi, ex illis locis S. S. Scripturæ satis sit notum, in quibus universæ justitiæ piorum comparantur panno menstruatæ, imò pro* σκυβάλοις τοῦ πάντος *habentur, & immunda proclamantur. Id si de justorum & piorum in Ecclesia DEI viventium operibus judicium rectum est, quale erit ferendum de Ethnicorum?*

b) Esa. 64. 6. Phil. 3. 8. Iob. 15. 14. Prov. 20. 9.

6. *Minimè itaq; illorum opera posse dici & esse bona, sequentes quoq; brevitatis studio comprehensæ rationes comprobant. 1. Quia fiunt illa sine delectione DEI, & sine consideratione mandati & misericordiæ Divinæ. 2. Sine cognitione Christi ejusq; factæ redemptionis. 3. Sine debito & fine sanctificationis. 4. Sine spe remunerationis cælestis. 5. Neque animo prompto obediendi Deo, sed ex ratione rectè judicante, & aliqua voluntatis libertate. 6. Sunt tantùm umbræ virtutis consistentes in externa quadam disciplina, & qualicunq; affectuum moderatione, sine integra legis notitia, & interioris immunditiei agnitione, &c.*

Error Secundus.

Vide Olearij Verzeichnuß mehr den 200. Calvinischr Irthum. art 6. f. 52. 53. 54.

Calviniani ex bonis operibus peccata, & ex peccatis bona opera faciunt.

REFUTATIO.

Nihil præterea hic Error longè latissimus ac pernitiosissimus habet pensi, nisi quod sacra misceat prophanis, & confundat fas que nefas que. Quarè non tàm refutatione quam demonstratione indiget, hac enim facta, fœditate & crassitie sua sponte corruet, ita ut si nominari eum audias, refutationem ulteriorem non postules.

1. *Quod itaq; ex bonis operibus peccata faciant, indè evincuntur Adversarij: Quia nostram verè Orthodoxam religionem convitiis proscindunt, ipsumq; diabolum eius authorem faciunt; & nostros libros Symbolicos à Protestantibus subscriptos & magno zelo con-*

lo contra hæreticos propugnatos, & sartos tectos per DEI gratiam conservatos, fastuosè dissiciunt, & nihil intactum in illis relinquentes, maximorum errorum illos insimulant. Ingens illis est facimus excidio & exilio piandum, taxare eorum errores. Bona opera justorum, si non sint electi, omninò rejiciunt; imò justum, si millies sua pietate præcellat Electo, non tamen placere Deo, nec salvari posse, ex tripode quasi pronunciant. Nostra altaria, imagines & alias in templis nostris usitatas ceremonias, tanquam Idololatricas damnant, atque ad orcum relegant, &c. Atq; sic convicti erunt, quod ex bonis operibus peccata faciant. Esse verò illa omnia opera bona, probatione apud rectè judicantes non indiget. Maledicti itaq; sunt ex ore Domini, quod rectum faciunt pravum, & justitiam justi auferunt ab eo (a).

a) Prov. 17. 15. Esa. 5. 23.

2. Pluribus deindè probatur, quod ex peccatis bona opera faciant: Quia suam heterodoxam religionem ex ratiunculis cerebri humani natam, quantumvis verbo Dei contrariam, & falsam convictam, nihilominus tamen exosculantur, mordicus defendunt, & pro vera & orthodoxa ostentant. Ex Deo tyrannum, injustum, προσωπολήπτην, hypocritam, &c. facere; Christum hominem sua majestate privare, illius meritum evacuare, media salutis enervare &c. rectum illis est & orthodoxum. Suâ tumultuariâ & tyrannica, ferro & igne facta reformatione, tùm & ministrorum aliorumq; rectè credentium excommunicatione & in exilium depulsione, se cultum præstare arbitrantur (b) Deo. Enormia Electorum delicta contra conscientiam perpetrata, non damnant, nec excutere ea fidem & Spiritum Sanctum docent. Ethnicorum virtutes tanquam Christianas, & vitâ æternâ dignas deprædicant &c. Atque sic quoque demonstratum, eos ex peccatis bona opera facere. Esse verò illa omnia vel maxima peccata, tàm est manifestum, ut id qui negat, solem neget in meridie lucere. Quia itaq; justificant impium, & pravum faciunt rectum, ex ore quoq; Domini, abominabiles sunt apud Deum.

b) Ioh. 16. 2.

Ad Sympatriotam ſuum deſideratiſſimum,

Dn. Joannem Pariſium,

UT *vitam nobis faciant mereantq; beatam,*
Eſſe bonorum operum, factio Calva ſtrepit,
Sed cum, JANE, ſtrophas has arte refellere tentans,
Defendas, *ſolam juſtificare fidem*.
En audes aliquid! Sed porrò audentior ito:
Hæc erit ex uſu lucta aliquando tuo.
Et ſi te fortem modò, fortis militis inſtar,
Geſſeris in ſtudijs, digna βεαβᾶια feres.
Hiſce tuis ergò quidni congratuler auſis?
Perge, nihil retrahat, gloria eritq; comes.
Macte his ingenii donis, hoc macte labore,
Gratus erisq; homini, gratus erisq; DEO.

MATTHAEUS MULLERUS
Fridlando-Meglaburgus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0312
DFG

DE CALVINISMO

DISPUTATIO ELENCTICA
DECIMA QVARTA.

Complectens Mataeologia Calviniana examen, in loco

De

ECCLESIA ET MINISTERIO ECCLESIASTICO.

Quam

Doctore & Ductore S. S. Spiritu

Sub Præsidio

M. PETRI HINKELMANNI,

Verbi Divini Ministri,

privatim defendendam suscipiet

IOHANNES SANDERUS
Hadel. Saxo.

Habebitur disputatio Nonis Septemb.

ROSTOCHII
Litteris Reusnerianis, Anno 1610.

ΣΤΝ ΘΕΩ

DISPVT. ANTICALVIN. XIV.

DE ECCLESIA ET MINISTERIO ECCLESIASTICO.

CONTINUATIO.

SUPerioribus aliquot Disputationibus Hetrodoxiam Adversariorum, de nostrâ miseriâ, ex quâ per Christum liberati, salutis & vitæ æternæ à Christo partæ, participes per fidem reddimur, ut sic in novitate vitæ ambulare possimus; breviter pro ratione nostri instituti examinavimus. Cum vero illa salus non sit extra Ecclesiam, sed in ea Deus, indigentibus nobis, externis subsidiis subveniens, certum modum consequendi illam salutem, & conferendi media, & confirmandi fidem, prædicationem nimirum verbi, & Sacramentorum legitimum usum instituerit, atque sic thesaurum omnium Christi passione & morte partorum beneficiorum apud Ministerium Ecclesiasticum deposuerit: ordinis ratio omninò flagitabit, ut porrò de Ecclesiâ ejusq; regimine & Sacramentis, quatenus nobis cum Adversarijs in hisce locis controversia intercedit, pro more nostro agamus. Quarè hac συζητήσει, σὺν θεῷ, Excussis primo Erroribus in loco de Ecclesia: Deinde quid de Ministerio Ecclesiastico sentiant, breviter videbimus.

CAPUT PRIMUM.

De Ecclesiâ.

Error Primus.

Ecclesia Christi est societas & communio eorum, qui per Euangelium vocati, huic fidem adhibent, & illum unum vindicem salutis agnoscunt, fidemq; suam debito obedientiæ officio testantur.

Gualth. Homil. super Iohan. 10. Dom. Miser. Domini

REFUTATIO.

Etsi non omnes hujusmodi imperfectam Ecclesiæ definitionem habent (a), *in qua nulla Sacramentorum tanquam notæ Ecclesiæ certissimæ fit mentio, tamen eam in multorum scriptis reperies* (b); *unde quanto apud illos in pretio S. Sacramenta habeantur, videre licet.*

1. Sed respondemus, legitimum usum Sacramentorum, tanquam γνήσιον veræ Ecclesiæ γνώρισμα, maximè ad constituendam Ecclesiam requiri, atq; propterea in definitione omitti nec posse nec debere. Quia Christus ipse instituens & ordinans Ecclesiã N. T. non tantùm per Evangelium seu verbum Dei eam præparari & colligi, sed & per usum Sacramentorum eandem recipi & confirmari præcipit, inquiens: Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & filij & S. Sancti, docentes eos servare omnia, quæcunq; mandavi vobis (c). *Quod dictum totius Ecclesiæ descriptionem suis tribus γνωρίσμασι usitatis & necessarijs, nobis proponit. Sic & in institutione Cœnæ suæ, eandem, tanquam solemne suum Testamentum toti Ecclesiæ iterandum, seriò demandavit, bis repetens* (d); *Hoc facite, hoc facite, in meam commemorationem.*

2. Deinde πρᾶξις Apostolica ostendit, quantum vis ex Ethnicismo per prædicationem verbi conversos, & fide ac illustri dono S. S. Spiritus donatos, nihilominus tamen baptismate, tanquam Sacramento initiationis, ablutos, in gremium Ecclesiæ fuisse receptos. Quem ritum nos, non tàm ex πρᾶξει Apostolica, quam institutione & mandato Christi observantes; infantes recens natos, vel quoscunq; adultos extra Ecclesiam viventes, non nisi baptismate initiatos, pro membris Ecclesiæ reputamus. Quod itaq; Ecclesiam facit & constituit, id in definitione citra illius defectum, omitti non potest.

3. Adde; Quia legitimus Sacramentorum usus, digito quasi ostendit Ecclesiam, tanquàm causa suum effectum, ratione constituendæ; Vel tanquàm effectum suam causam, ratione jam constitutæ: 2. Eam distinguit ab alijs exteris gentibus omnibus. 3. Eiq; soli

a) Pet. Martyr. class. 4. loc. Aret. probl. p. 1. l. 57. f. 666.
b) Ursin. Catech. p. 2. q. 54. f. 392. Harmonia confess. Calvin An. 1581. Genevæ edita c. 17. §. 10. Helvetica post. f. 3. Helvetica priori & Basilienſi f. 9. Gallica f. 15. Belgica f. 17.
c) Matt. 28. 19.
d) Luc. 22. 19. 1 Cor. 11. 24. 25.

soli ac semper convenit, tanquam maximè proprius. 4. Ac proindè ab ea separari minimè potest: utiq; & Ecclesiæ veræ, vera propria ac certa nota erit, quàm in definitione ejusdem præterire fas nõ est.

Error Secundus.

Partes generales Ecclesiæ sunt duæ: Angelicum & humanum genus. ¶ Angeli beati sunt etiam veræ Ecclesiæ pars essentialis.

REFUTATIO.

Emittuntur quidem angeli à Deo in ministerium eorum, qui hæreditatem capient salutis: adsunt pÿs, eos invantes, comitantes, castrametantes in circuitu timentium Deum, pugnantes pro Ecclesia, &c. Sed propterea eos Ecclesiæ hujus terrenæ sive militantis partem statuere essentialem, est ἀβεόλογον.

1. Quia in S.S. Scriptura Angeli dicuntur adstare in conspectu Dei, videre faciem ejus, (b) ac perpetuâ lætitiâ & beatitudine cum Deo frui: qua ratione etiam, nos dicimur futuri ἰσάγγελοι: *at hæc, & ÿs plura alia, non ad statum præsentis, sed futuræ, in æterna vita Ecclesiæ, pertinent. Non enim videbit me homo, inquit Iehova, ad Mosen, & vivet (c), innuens simulac homo faciem Domini videre incipiat, statim transferri ex hac in cælestem vitam, & electis Dei associari. Quarè cum angeli videre faciem Domini dicantur, cætui huic sublanari non annumerari possunt.*

2. Quod & illorum conditio spiritualis non permittit. Non enim Deus spiritibus Evangelium jussit prædicari, sed omni creaturæ corporeæ & rationali, quam Gentes *vocat (d): undè & cætus iste hominum, prædicatione verbi collectus, Ecclesia dicitur visibilis, quia membris corporeis & visibilibus, quam vis ratione fidei in corde latentis, φύσια ejusdem membra & verè pÿ, nisi ex fructibus eorum, cognosci & videri non possint.*

3. Tùm & finem collectionis Ecclesiæ si spectes, ad eam non pertinere Spiritus cælestes, ultrò largiendum erit. Propterea n. Deus ex genere humano Ecclesiam sibi colligi etiàm voluit, ut homines

Franc. Iun. lib. de Eccl. c. 3. Guil. Bucanus Instit. Theol. f. 96. Edit. Bern. An. 1602.

a) Ebr 1. 14. Gen. 32. 2. 2 Reg. 6. 17. c. 19. 15. Ps. 34. 8. & 91. 11. Luc. 2. 13. c. 16 22. Apoc. 12. 7.

b) Dan. 7. 10. Matt. 18. 10.

c) Exod. 33. 20.

d) Marc. 16. 15. Matt. 28 19.

& constat

edocti à Deo, ad ejus cognitionem perveniant, à peccatis ad Deum convertantur, in Christum credant, & acceptâ remissione peccatorum justificati sanctificentur, & abolita morte, quæ est peccati stipendium, vitam consequantur æternam. Hæc v., & id genus alia, de angelis, qui perfecti, sancti, confirmati in bono, immortalitate donati vitâ fruuntur æternâ; dici haud posse, extra est controversiam. Quarè neq; pars ulla Ecclesiæ sublunaris & militantis dici possunt.

Error Tertius.

Quicquid uspiam mortalium nascitur, salvum est per Christum.

REFUTATIO.

Cingl. in Epist. 2. ad Vrbanum Regium. Item In Institut. Christ Relig. ad Regē Christ.

Cinglius & qui cum eo faciunt (a), tàm Catholicam volunt esse Ecclesiam, ut omnes ubique homines in hanc lucem editos, etiam Ethnicos veri Dei ignaros, ut Herculem, Numam, Ciceronem, Catonem & alios, qui visibilis Ecclesiæ membra nunquam fuerunt, ad eam tamen pertinere affirment.

a) Bullingerus, Gualterus, Sohnius, Embdenses, &c.

1. Ast errant omnes qui id sentiunt, confundentes gentiles extra Ecclesiam, cum Christianis in ea viventibus, quos nusquam non, tanquàm maximè sibi dissimiles, imò inter se prorsus contrarios, describit S. S. Scriptura (b): ex quâ illud Apostoli maximè classicum dictum, vel solum sufficiens ad huius enunciati authores confundendos, huc ponere libet: Eratis, inquit, in illo tempore, sine Christo, alienati à Repub. Israël, & hospites testamentorum promissionis, spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. Et addit, quod fuerint aliquandò longè disjuncti per parietem intermedium. Cui alia dicta in Codice Sacro suffragantur. Cum ita q; gentes ab Ecclesiâ longissimè in S. S. Script. segregentur, à Calvinianis cum eadem conjungi non debent.

b) Deut. 12. 29. 30. Act. 14. 16. Rom. 1. 21. 22. 23. 24. & seqq. Eph. 2. 12. 13. 1. Pet. 4. 3. 4.

2. Præsertim cum γνωρίσμασι illis maximè conspicuis, verbo nimirùm Dei, & usu Sacramentorum; quibus vera Ecclesia dignoscitur, & ab aliis quibuscunq; cœtibus longissimè discernitur, careant, quæ

quæ maximè constituunt atq; declarant Dei Ecclesiam. Et, quamvis ad fines illorum, sonus Euangelij pertingat, non tamen de eo inquirere, seseq; obedientiæ ministerio prædicationis in Ecclesia debitæ, subjicere satagant, sed vel contumaci oppugnatione vel epicureo contemptu, verbum Dei rejiciant, & negligant.

3. Vnde nec regenerari, nec fide donari poterunt, hæc n: omnia mediante verbo conferuntur (c): imò omni vera Dei & Christi cognitione, in quâ sola consistit vita æterna, carebunt, atq; propterea per Christum salvi esse nõ possunt. Quin neq; Deũ eos verâ fiduciâ invocare, neq; rectè colere posse, atq; aliis virtutibus homine Christiano dignis & Deo placentibus carere, manifestum est. Quare neq; ad Ecclesiam pertinebunt.

c) 1 Pet. 1. 23. Iacob. 1. 18. Rom. 10. 18.

4. Aliàs enim esset Ecclesia sine vocatione, sine verbo Dei & Sacramentis; sine Dei & Christi cognitione; sine spiritu sancto; sine fide & adoptione; sine justitia & vita æterna. Nativitas carnalis esset introitus in Ecclesiam, atq; sic ex carne non tantùm caro, secundum enunciatum Christi (d), sed etiam caro justa, sancta, munda, ut membra Ecclesiæ vera, sanguine Christi facta leguntur, non sine insigni in virtutem purgandi blasphemia, sanguini Christi in S. S. Scriptura tributam. Salus per Christum omnibus ubiq; hominibus, sine eius cognitione, aut fide contingeret: atq; propterea vel omnes salvarentur, vel ad omnes salvandos Christus merito suo non sufficeret. Acquisitio meriti ab eiusdem applicatione non differret, sed æquè latè utraq; extẽderetur, Etc. Et quæ sunt id genus sexcẽta alia.

d) Ioh. 3. 6.

e) Eph. 5. 26. 27. 1 Ioh. 1. 8.

Error Quartus.

Ad Ecclesiam pertinere solos Electos (quos ex absoluto Dei decreto definiunt) affirmant: Reliquos vocatos negant esse verè membra Ecclesiæ: quos in Ecclesiâ esse quidem fatentur, sed non de Ecclesiâ.

Matthy. L. C. class. 4. loc. 1 Vide Tom. 1. Giess. Disput. 9. th. 23. Sect. 8.

REFUTATIO.

Vt priori Errore κατ' ὑπερβολὴν *nimium extenderunt Ecclesiã ita hoc* κατ' ἔλλειψιν *peccantes, nimium eandem contrahunt. Etsi n:*

negari

negari non posse, quod veræ Ecclesiæ, quam invisibilem nominamus, vera & genuina membra sint tantum Electi & fideles; interim tamen negari quoq; non debet, (quod & quidam illorum (a) non faciunt) vocatos omnes in Ecclesia viventes, verè ad eam pertinere, & de Ecclesiâ, quamvis visibili, esse.

a) Calvin. Inst. lib 4. cap. 1. §. 7. Aret. probl. par. 1. loc. 57. f. 666. & seqq. Vsia. Cate. p. 2. q. 54. f. 393.

1. Quia S. S. Script. idipsum sat perspicuis dictis affirmat. Christus: inquit: non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, introibit in regnum cœlorum. Cavete vobis à Pseudoprophetis. Sic Paulus commendans Episcopis Ecclesiam, scio, inquit, quoniam intrabunt, post discessionem meam lupi graves, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exsurgent viri, loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Item: Oportet hæreses inter vos esse: Sitis itaq; irreprehensi & synceri filij Dei inculpati, in medio nationis pravæ. In magna enim domo, quæ est Ecclesia, non tantum sunt vasa aurea & argentea, sed etiam lignea & testacea, &c. (b). Ex hisce apertè constat, ad Ecclesiam non tantùm Electos, sed & omnes pertinere vocatos, quorum plurimi non electi sunt, sed hypocritæ vel planè impii.

b) Matt. 7. 15. 21. Act. 20. 29. 30. 1. Cor. 11. 19 Phil. 2. 15. 2. Tim. 2 20 c. 3. 15.

2. Quod & quamplurima Ecclesiæ, utriusq; Testamenti V. & N. testantur exempla: Abelis & Caini: Nohæ & prisci mundi: Lothi & Sodomitarum: Isaaci & Ismaëlis: Iacobi & Esavi: Ecclesiæ malignantium tempore Christi, ac Apostolorum, aliorumq; paucorum fidelium: Ecclesiæ Romanorum, Corinthiorum, Galatarum, Ephesiorum, Laodicensium (c). Quorum alteram partem vel quosdam non Electos, attamen de Ecclesiâ fuisse constat.

c) 1. Ioh 3. 12 2. Pet. 2. 5 6. 7. Rom 9. 6. 7. 13. Gal. 4. 29. 30. Matt. 10. 16 c. 11. 25. c. 23 2. 3. 13, & seqq. Act 5. 41. c 7. 9. 39 Rom 14. 15 c. 16 17. 18. 1. Cor. 1. 10. 11. c. 3. 3. c. 5. 1. Gal. 1. 6. c. 2. 4 14 c. 3. 1 2. c. 4. 21. Eph. 4. 1 14. 22. 27. Apoc. 2 4. 5 c. 3. 15. 16.

3. Prætereà & passim in V. & N. T. hujusmodi parabolæ & similitudines proponuntur, quæ docent omninò externo Ecclesiæ cœtui admixtos fuisse malos. Vt de vinea, uvas & labruscas ferente; plantata vitib. generosis, sed conversa in palmites degeneres vitis alienæ: Agro, ferente cum tritico multa zizania: Sagena comprehendente bonos & malos pisces: Nuptiis, in quibus mali sunt cum bonis: Virginibus decem, quarum quinq; fatuæ, quinq; verò prudentes: Oeconomiâ, in qua sunt servi frugi & nequam, diligentes & ossitantes;

Ovili

Ovili constanti ovibus & hircis: Palmitibus virentibus & arentib. (d) 4. Hisce rationes συλλογιστικὰς subjungi possunt, quibus solidissimè demonstratur ad Ecclesiam non tantùm pertinere electos, sed & omnes vocatos. 1. Quia vocatio est universalis, undè & Ecclesia etiam Catholica dicitur, quia Deus sine respectu & discrimine personarum, nationum, populorum & locorum, jussit Euangelium prædicari in universo orbe, inter omnes gentes. 2. Vnde & materia Ecclesiæ statuitur à nostratibus totum genus humanum: Forma; Professio doctrinæ & usus Sacramentorum: Finis; ut homines regenerentur & convertantur ad vitam æternam. 3. Tum & gratia Dei est universalis, & meritũ Christi Catholicum, quod nullum extra Ecclesiam; Ergò hæc ad solos electos restringi non potest. 4. Verbum & Sacramenta offeruntur non tantùm electis, sed etiam vel maximè impiis, infirmis, ut convertantur & cõfirmentur: Ergò ex notis istis Ecclesiæ certissimis ab eadem excludi nõ possunt, si modo verbum audiant & Sacramentis utantur, atq; sic externa professione sint membra. 5. Deniq; cum variæ in S.S. Scriptura proponantur adhortationes, pœnæ, & de mundi impietate & nimia hominum infirmitate ac securitate querelæ, quas in Ecclesia vigere necesse est, quæq; tàm non Electos, quàm malos & non sanctos respiciunt: utiq; & utrosq; ad Ecclesiam, quamvis diverso respectu, pertinere omnino concedi debet.

Error Quintus.

Non potest, inquiunt Calviniani, ibi esse vera Ecclesia, ubi imagines tolerantur.

REFUTATIO.

Etsi cum hoc errore quidam (a) non faciant, plurimos tamen eum amplecti, ex εἰκονομαχίᾳ semper à Calvinianis ab orco revocata, satis superq; constat. Non verò hic plenam de imaginibus tractationem, quæ ex superiori quadam (b) Disputatione peti potest; suscipiemus, sed eam quatenus est hujus loci, per hanc quæstionem instituemus: An ibi nulla possit esse vera Ecclesia, ubi sunt imagines? Affirmamus. 1. Ecclesiam n: utriusq; Testamenti à Prophetis & Apostolis ex mandato Dei & Christi convocatam & plantatam, veram fuisse Ec-

Vorantwortung der Anhaltischen f. 57 Vid. Olear. Vorzeichnus mehr denn 200. Calvinisch ir-thum. art. 7. f. 59. Calv. Inst. lib. 1. c. 11. §. 13.

a) Aret. probl. par. 1. loc. 57. f. 678 Vrsin. Catech. par. 2. q. 54. f. 394.

b) Disp 10. cap. 1. Et. 2.

clesiam, negari non potest: at utramq; tàm licitas, quàm illicitas habuisse imagines superius (c) probatum. Quibus adde idola patri à Rachele ablata: vitulum Aaronis: Idola Ephod & Theraphim in domo Michæ: Excelsa non ablata à pijs etiam Regibus (d) &c. Quis verò propterea apud Israelitas, vel tùm temporis in familia Patriarchæ Jacobi, Ecclesiam nullam fuisse affirmaret? Quarè & gentium Apostoh Athenis, apud aram ignoto Deo dicatam verũ cultũ proponens, quosdã habuit sibi adhærẽtes, qui ex fide pro vera Ecclesia agniti sunt.

c) Disp. 10. cap. 1. Er. 2. rat. 2.
d) Gen. 31. 34. Exod. 32. 4. 5. 26. Iud. 17. 5. 1 Reg. 15. 14. Act. 17. 23. 34.

2. Deindè cum imagines, inter notas Ecclesiæ, etiam ab ipsis Adversarijs non ponantur, ita ut absentia imaginum non statim Ecclesiam declaret, quemadmodum primitiva Ecclesia, ut quidam volunt, ab imaginibus per aliquot annos vacua, non propterea, sed propter synceritatem doctrinæ & Sacramentorum, pro vera habita fuit: Sic & præsentia imaginum nec debet nec potest Ecclesiam veram tollere.

3. Præsertim cum non agatur de præsentia imaginum, neq; ut in sese ratione materiæ & formæ considerantur; sed ut esse reputantur & finguntur, ratione finis & cultus Idololatrici. Priorem respectum ipsi damnare non audent; posteriorem in nostris Ecclesiis non invenient, quem neq; concedimus: ultrò n: largimur, tùm temporis quando primùm imagines in ornamentum templorum adscitæ fuerunt, puritatem verbi nonnihil degenerasse, & succedente cultu, indies magis magisq; homines à primitivæ Ecclesiæ integritate, quæ imaginibus caruit, declinasse, donec tandem Ecclesia in Papatum superioribus seculis demersa fuit.

4. Sed non prorsus submersa (e), ita ut ob εἰκονολατρείαν Ecclesia vera desierit esse. Etsi n. Papatus ipse nunquam fuit vera Ecclesia, tamen sub eo remansit semper Ecclesia. 1. Quia Antichristus dicitur sedere in templo Dei (f), quod est Ecclesia. 2. Habuerunt in Papatu S. S. Bibliorum textum integrum, quamvis glossis depravatum, & Sacramenta, licet superstitiosè conspurcata. 3. Fuerunt in eo baptizati infantes, qui immaturâ morte præventi, erroribus pontificijs implicari non potuerunt. 4. Tùm & semper quidam extiterunt qui Papatui contradicentes, martyrio coronati sunt.

e) Calvin. Inst. lib. 4. c. 2. § 11. 12.
f) 2. Thess. 2. 4.

5. Deniq;

5. Deniq; nullum est dubium plurimos in agone mortis, doctrinâ Pontificiâ de operum meritis valere jussâ, solius Christi merito adhæsisse, & sic fide salvatos fuisse. Quos omnes veræ Ecclesiæ membra, atq; sic medio etiam in Papatu, quemadmodùm tempore Eliæ inter cultum Baaliticum (g), Ecclesiam fuisse, negari non potest. Si itaq; cultus Idololatricus imaginum, neq; in V. neq; in N.T. Ecclesiam veram prorsus tollere potuit, multò minus nuda earum præsentia omni planè superstitione vacua, id faciet.

g) 1. Reg. 19. 18.

Caput Secundum.

De Ministerio Ecclesiastico.

Error Primus.

Homines non habent potestatem vocandi ministros Ecclesiæ, sine vivâ vocatione Dei, qui solus Dominus est messis. ¶ Concionatores invitis auditoribus obtrusi, nec legitimè ad ministerium vocati, audiendi sunt, nec de vocatione eorum disputandum aut inquirendum.

Carlstad. de vocatione V Wolffg. Musculus in Lib. 2. Sam. c. 16.

Refutatio.

Etsi in hoc Errore, (quo mediatam ministrorum vocationem, ritum ordinationis & impositionis manuum prorsus rejiciunt atq; contemnũt, contrà v. illegitimam vocationem illorum, qui invitis auditoribus obtrusi Cathedram occupant, approbant) plures habent, præsertim ex posterioribus, sibi contradicentes (a) quam applaudentes: tamen hũc ut & in aliis facilitatum, ex imitatione aliorum (b), inter errores Calvinianorum referimus.

a) Calvin. Inst. lib. 4. c. 3. §. 10. 13. 14. 15. Aret. probl. p. 1. l. 63. f. 749. Vrsini Catech. p. 3. q. 103. de minist. Eccles. f. 779.

b) Vide Calvinum redivivum D. Selnecceri l. 12. f. ult. Tom. 1. Giess. disp. 10 th. 59. 60 f. 432.

1. Atq; respondemus primò ad posterius membrum erroris; minimè licere cuiquam, docere, vel administrare Sacramenta, sine legitima vocatione; gravissimè enim idipsum in Sacris literis interdicitur. Currebant, inquit Dominus, & non mittebam: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Et gentium Doctor: Quomodò prædicabunt, nisi missi fuerint. Nemo sibi sumit honorem, sed qui sit vocatus à Deo, ut Aaron. Vndè & eos qui subintroeunt, nominat falsos fratres, Pseudo Apostolos, operarios subdolos, quos optat exscindi. Et Christus illos qui veniunt (sc. non legitimè vocati) vocat Pseudoprophetas vestitu ovium amictos, à quibus cavere nos jubet. (c)

c) Ier. 23. 21. Rom. 10. 15. Ebr. 5. 4. Gal. 2. 4. c. 5. 12. 1. Cor 11. 13. Matt 7. 15.

2. Mediata deindè vocatio Ministrorum Ecclesiæ quæ fit per homines, tàm est fundata, in SS. Scriptura utriusq; Testamenti, ut rationibus alijs, ad sui confirmationem non indigeat. Etsi n: immediatâ à Deo ipso facta vocatio, maximè in V. T. obtinuit, tamen non ita, ut mediatæ per homines nullus esset locus. Aaron cum filijs suis à Deo per Mosen vocatur ad sacerdotium. Elisæus jussu Domini ab Elia ungitur Propheta (d). In N. T. præter Apostolorum, nulla immediatæ vocatio legitur, nisi illa per Apostolos & Ecclesiam facta. Matthias per preces & sortem eligitur ad munus Apostolicum, ut sic ejus electio compertum è cælo habeat testimonium non absq; suffragio Apostolorum. Sic septem Diaconi suffragio Ecclesiæ, per preces Apostolorum & impositionem manuum constituuntur. Et de Paulo & Barnaba legitur, quod per suffragia constituerint per singulas Ecclesias Presbyteros: quem modum & Paulus Tito præscripsit; & expressum mandatum Timotheo dedit, ne cui citò manus imponeret (e).

d) Exod. 4. 15. c. 28. 1. c. 29 1. 1. Reg 19. 16.

e) Act. 1. 23 24. 25. c. 6. 3. 5. 6. c. 14. 23. Tit. 1. 5. 1. Tim. 5. 22.

3. Hanc ordinariam, legitimam & mediatam vocationem, fundatam in SS. literis, & in nostris jam constitutis Ecclesijs, in quibus sana doctrina auditur, & legitimus Sacramentorum usus retinetur, usitatam sequi, nec illam immediatam nunc agnoscere debemus, quâ Deus olim usus fuit, quando Ecclesia vel nulla vel ejus tantùm umbra superesse videbatur.

4. Præterea cum Apostolus velit in Ecclesia omnia ἀκαταστάτως καὶ ἀτάκτως fieri, & Spiritus Prophetarum Prophetis esse subjectos (f): certè hujusmodi non subjicientes se mediatæ per Ecclesiam factæ vocationi, sed invitis auditoribus se obtrudi patientes, ἀκαταστάτως καὶ ἀτάκτως agent: atq; propterea non à Deo, qui non est dissensionis & confusionis, sed pacis Deus, in omnibus Ecclesijs Sanctorum; missi erunt, neq; cum eo concordia, neq; pars ulla illis erit.

f) 1. Cor. 14. 32. 33. 40.

5. Longè verò sors melior Ministrorum, consensu & approbatione Ecclesiæ vocatorum: hi n: hujusmodi symbolo, ministerij sui dignitatem Deo probari, Ecclesiæ commendari, seq; in ea confirmari, & cum fructu versari posse, certi esse possunt. Libenterq; se non sui amplius juris, sed Deo atq; Ecclesiæ totos addictos agnoscunt, suumq; laborem in Domino inanem non futurum confidunt. 6. De-

6. Deniq; & hujusmodi ordinatã & mediatã vocationẽ semper in Ecclesia fuisse usitatã, & Historia Ecclesiastica & S. Patres testantur (g). In Ambrosii Electione ratio primũ habetur plebis illũ deposcentis cuio judicio acquieſcit Imp. & præsentes Episcopi. Et in Electione & restitutione Chrysostomi primæ partes sunt populi. Et Cyprianus indicat præsente plebe suo tempore esse factas Electiones, sic enim ille: De Divina authoritate descendit, ut Sacerdos plebe præsente sub omnium oculis eligatur, & dignus atq; idoneus publico judicio & testimonio comprobetur. August. Voluntatem meam, quam credo Dei esse, in omnium vestrum notitiam profero, Presbyterum Eradiũ mihi successorem volo. A populo acclamatum est, Deo gratias, Deo laudes, dictum est vicies.

g) Tripart. Histor. lib. 7. c. 8. lib. 10 c. 3. Lib. 1, Epist. 4.

Error Secundus.

Interiorem Spiritus gratiam, ut ab Externo ministerio distincta est; SEORSIM reputandam & cogitandam esse, asserimus. REFUTATIO.

Calvin. Instit. lib. 3. c 24. §. 8 Lib. 4. cap. 14. §. 17

Calviniani Internam SS. Spir. operationem, ab Externa verbi prædicatione separantes, hanc inefficacem prorsus, vel per se odorem mortis ad mortem (a), quod superius (b) refutatum; hanc v. efficacem solis Electis peculiarem statuunt. Nos verò omissis eorum variis distinctionibus, de quibus, ut dictum, antè; nunc ad sequestrationem illam Calvinianam breviter.

a) Beza respons. 2. ad Acta Colloq. f. 115 & seqq.

b) Disp. 7. c. 1. Er. 5. Disp. 11. c. 2. Er. 2.

1, Quam sibi illos pro more suo fingere contra S S. Script. constanter asserimus. Hæc n: hominis conversionem, regenerationem, adoptionẽ, illuminationem, vitam ac salutem, ἀλικῶς quidem Deo ascribit (c), sed non ἀμέσως: conjungens prædicationem verbi cum potentia & operatione Dei, tanquam causam instrumentalem cum efficiente in accendenda fide, efficienda justificatione, & procuranda regeneratione atq; salute æterna, ut ex quamplurimis S S. Scripturæ dictis & exemplis patet, quæ ex superiori quadam Disputatione (d), ne opus sit eadem repetere, peti, & ijs plura addi (e) possunt.

c) Ier. 31. 18. 2. Tim. 2. 25. Ioh. 1. 12. c. 3. 16. Eph. 1. 19 1 Pet. 1. 3. 23.

d) Disp. 1. c. 3. Er. 1. 2. 3.

e) Esa. 40. 3. 55. 11. Ioh. 8. 31 c. 14. 23. 1. Cor. 1. 21. 1 Cor. 3. 6. Ion. 3. 5. 2. Sam.

2. Vnde & Apostolus fideles J. C. ministros, συνέργους Θεοῦ, ὑπηρέτας Χριστοῦ, οἰκονόμους μυστηρίων Θεοῦ, καὶ διακόνους nominat, per quos Deus incrementum det, ut homines credant & salventur: Imo & A-

postolum Paulum Christus ipse, nominat instrumentum suum electum, alligans suam Divinam operationem in convertendis & salvandis hominibus, ministerio Ecclesiastico (f). Quarè Apostolis & aliis fidelibus Christi ministris ascribitur ministerii fructus & efficacia, nõ tanquam causæ efficienti sed instrumẽtali, quia Deus eos idoneos fecit ministros N.T. per quos velit operari hominum conversionem & salutem (g).

3. Præterea internam S.S. Spiritus operationem ab externo verbi ministerio separari non posse, probatur. 1. Præsentiâ ipsius Christi & SS. Spiritus. 2. Insignibus illis & Divinis Epithetis verbo prædicato, lecto & meditato tributis, ut quod dicitur vivus sermo Dei & efficax, verbum Dei, potentia Dei, verbum vitæ æternæ, Lucerna & lumen (h). 3. Effectibus verbi multiplicibus planeq; Divinis, quos ex plurimis annotatis dictis, in allegata Disputatione, colligere licet.

4. Deniq; quia hic error Swenckfeldicus & Enthusiasticus Authoritatem, virtutem & efficaciam ministerij Ecclesiastici mirum in modum obscurat, vel tantum non planè tollit: Epicureum verbi Divini contemptum inducit: verbo Dei, nihil prærogativæ, præsertim quò ad effectum, præscriptis philosophicis & politicis tribuit: (reliqua vide in disp. prima) meritò illum omnibus rectè credentibus & sentientibus invisum, suis relinquimus authoribus.

Error Tertius.

Doctrinam Euangelio contrariam clero iudicare non licet. ¶ Damnentur & exscindantur, qui nominare audent Calvinistas, Cinglianos, Sacramentarios, &c.

REFUTATIO.

Hæc vestra, ex prætoria Authoritate, quam vobis sumitis, prolata opinio, frustrà vobis, quã cupitis, liberam in Ecclesias nostras irruptionem promittit. Nec vestrum, juvabit, Magistratui Politico, à quibusdam quæstionum concessum (a) jus & potestas, per publica mandata, verbi Divini Præconibus prohibendi, ne publicè falsa dogmata taxent.

1. Est enim hæc altera, non minus, quam prior necessaria Ministerij Ecclesiastici pars, ἀνελέγκτως ἐλέγχειν, quæ ab Apostolo ex Spiritu Dei Mini-

f) 1 Cor. 3. 5. 6. 9. c. 4. 1. 15. Act. 9. 15.

g) Matt. 10. 7. 8. c. 11. 10. Luc 1. 76. 77 Ioh. 1. 7. 23. 37. c. 3. 5. Act. 13. 38. 47. 48. c. 20. 24. 28. 1 Cor. 2. 1. 4 c. 4. 15 c. 9. 22. c. 12. 7. c. 15. 10. 2 Cor. 2. 14. 15. 17. c. 3. 6. c. 4. 7. c. 11. 2. 23. Gal. 1. 16. c. 3. 2. c. 4. 19. &c.

h) Matt. 10. 20. Luc. 10. 16. Ebr. 4. 12. 1 Thess. 2. 13. Esa. 40 8. Rom. 1. 16. Ioh. 6. 68. Ps. 119 105. 2 Pet. 1. 16.

Eisenberg Postilla p. 3. f. 521. Communis opinio.

a) Musculus in lib. 1. Sam. c. 22. Protestat. Anhalt f. 8. Anno 1590.

Ministris Ecclesiæ commissa est (b), ita, ut qui eâ careat vel contradicentibus resistere & adversarios refellere nõ possit vel nolit, idoneus ad docendum Ministerioq; Ecclesiastico fungendũ haberi non debeat, Quæ pars Ministerij ἐλεγκτικὴ confirmatur, mandato Divino de fugiendis hæreticis & Pseudoprophetis, tùm quamplurimis alijs adhortationibus, reprehensionibus, &c. Ministris Ecclesiæ seriò & graviter à Deo injunctis (c). Et memorabilis est adhortatio D. Pauli gravissima ad Presbyteros Ecclesiæ facta, his verbis (d): Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spir. S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Ego n: hoc novi, quoniam intrabunt post discessum meũ lupi graves, non parcẽtes gregi. Et ex vobisipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se, propter quod vigilate.

2. Id quod & omnibus temporibus fideles Dei Doctores fecerunt gnaviter. Moses graviter Aaronem Idololatram reprehendit. Elias Baalitas ex singulari zelo divino trucidavit. Prophetæ fortiter restiterunt Idolis. Sic Iohannes Pharisæos vocavit progeniem viperarum, excisionemq; propter venturam iram iis prædixit. Christus ipse Scribis & Pharisæis semper in os contradixit, eesq; confudit. Sic & Apostoli in propagatione doctrinæ cælestis, Idolomaniam gentilem radicitùs exstirpârunt, totisq; viribus Pseudoapostolis sese opposuerunt: Ita ut gentium Doctor, etiam angelo vel cuicunq;, qui aliud Euangelium proposuerit, quam Apostoli illis euangelizârint; Anathema dicat. (e) Hanc praxin Prophetică & Apostolică nos jure & merito imitari tenemur.

3. Imò & toti Ecclesiæ & singulis in ea membris concessum, quin & mandatum est, judicare de doctrinâ & omnia probare, tenere autem quod bonum (f): Malum ergò abjicere, damnare. Charissimi, inquit Johannes, nolite credere omni spiritui, sed probate Spiritus, si ex Deo sunt: quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. Sic de Berhœensibus legitur, quod susceperint verbum cum auiditate, scrutantes quotidie scripturas, si hæc ita se haberent. Quâ ita q; sacrilegâ audaciâ, illud, quod toti Ecclesiæ licet, Doctoribus eiusdem detrahere audẽt.

4. Nec parum facit ad Adversariorum in sua opinione confusionem,

b) Tit. 1. 9.

c) Deut 13. 1. Matt. 7. 15. Rom. 16. 17. Ezech 3. 17. c. 33. 7. Esa. 58. 1. 1 Tim. 4. 13. c. 5. 1. c. 6. 20. 2 Tim. 2, 16. 17. 23. 25. c. 4. 2. Tit. 2. 2. 3. c. 3. 10. 2. Ioh. v. 10.

d) Act. 20. 28.

e) Exod. 32. 1 Reg. 18. 40 Esa. 30. 22. c. 44. 9. & seqq. Ier. 10. 3. 4. 5. Habac. 2. 18 19. Ps. 115. 4. 58. Matth. 3. 7. c 22. 18. 29. c. 23. 13. Act. 14. 15. 1 Cor. 12. 2. Gal. 1. 8.

f) 1. Thess. 5. 20. 1. Ioh. 4. 1. Act. 17. 11.

nem, Orthodoxæ Ecclesiæ consuetudo, & Patrum testimonia. Ecclesia enim Antiochena Paulum Samosatenum ejecit. Arius primò ob hæresin Novati ex Ecclesia Alexandrina pulsus: receptus deindè ab Achilla, post eius mortem Episcopatum frustrà ambiens, doloreq; repulsæ impulsus, Divinitatem filii Dei oppugnans, in concilio Niceno sub Constantino Imperatore coacto, à 318 Episcopis damnatus est (g). Nestorius in Synodo Ephesina, convocata à Theodosio Iuniore, Anathemate percussus est (h). Eutyches primo ab Archiepiscopo Flaviano, deindè in Synodo Chalcedonensi 600 Episcoporum, à Martiano Imp. coacta, condemnatus est. Berengarÿ Galli, Presbyteri Turonensis opinio, Vercellis in concilio, damnata est. Petrus Alexandrinus refutavit Meletium, qui fovebat hæresin Novati. Augustin. (i): Ideò cõstitutus est Canõ librorum Canonicorum, secundum quos de cæteris liberis, vel fidelium, vel infidelium liberè judicemus. Idem: Cypriani literas non ut Canonicas habeo, sed ex Canonicis desidero; & quod in iis Divinarum scripturarum convenit, cum laude eius accipio, quod autem non congruit, cum pace eius respuo. Et addit: Quia Canonicum non est quod recitas, ex libertate, ad quam nos vocavit Dominus, hoc quod aliter sapuit, non accipio. Idem: Negare non possum, nec debeo, sicut in ipsis majoribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possunt justo judicio & nulla temeritate culpari. Idem: quamvis neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in his, in quibus me non errare perspexerit. Nam propterea nunc facio libros retractationum, ut nec meipsũ in omnibus me secutum fuisse demonstrem. Et addit, se nec post retractationem quidem velle, per omnia sibi credi.

g) Histor. Tripart. lib. 2. cap. 1. usque ad 16.

h) Ibid. lib. 12. c. 4. 5.

i) Contra Cresconiũ lib. 2. c. 31. 32. Ad Vincentium victorem lib. 2. de bono perseverantiæ cap. 21.

5. Deniq; hæc opinio, repugnat juri communi & naturali, quod cuiq; nostrum dicitat, contraria & falsa, etiam in rebus externis & politicis, nedùm in spiritualibus & Ecclesiasticis, aversari & abjicere: Pastoribus contra mandatum Dei ora obturat: Hæreticis quibuscunq; impunè grassari, & Ecclesiæ vineam licentiosè devastare permittit: Confusionem omnium religionum inducit: Auditores in suspenso relinquit, cum veros à falsis Doctoribus discernere non edocti sint: atque propterea saluti animarum plurimarum nocet.

DE CALVINISMO

DISPUTATIO ELENCTICA
DECIMA QVINTA,
Complectens Mateologiæ Calviniana
examen, in loco

DE POENITENTIA ET ABSOLUTIONE.

Quam

Doctore & Ductore S. S. Spiritu
Sub Præsidio
M. PETRI HINKELMANNI,
Verbi Divini Ministri,
privatim defendendam suscipiet
JOACHIMUS RACHELIUS
Gustrov. Megap.
Habebitur disputatio Prid. Cal. Novemb.

ROSTOCHII
Litteris Reusnerianis, Anno 1610.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0329
DFG

ΣΥΝ ΘΕΩ

DISPVTATIO ANTICALV: XV.

DE POENITENTIA ET ABSOLUTIONE.

CONTINUATIO.

CUm Pœnitentiâ continuâ, ob quotidianas transgressiones, omnibus in Ecclesia viventibus, si vera ejusdem membra esse & manere velint, opus sit; proximum post Ecclesiam locum obtinet meritò tractatio de Pœnitentia & Absolutione, in quâ cum non una omnium sit sententia, in constituenda Definitione & partibus Pœnitentiæ; ut solet fieri in Erroribus, qui sunt fertiles & multiplices, veritas autem tantum simplex & unica; præcipuos saltem in utraq;, Pœnitentiâ nimirum & Absolutione, in medium productos errores, examini subijciemus.

CAPUT PRIMUM.

De Pœnitentia.

Error Primus.

Contritio, propriè loquendo, non est pars Pœnitentiæ.

Beza lib 1. Theolog. f. 328. Ursinus in Catech. par. 3. quæst. 88 sect. 3 f. 644

REFUTATIO.

Multæ imperfectæ Definitiones Pœnitentiæ in Calvinianorum scriptis reperiuntur, quas tum propter varietatem, tùm quia pleræq; in eo conveniunt, quod nullam partium Pœnitentiæ verarum mentionem faciant, quatenus cum posito hoc, & subsequenti tertio Errore conveniunt; ut breviores essemus, libenter omisimus. In hoc verò Errore, quo Beza cum suis Contritionem ex Pœnitentia excludit, habet & ex sectariis, qui contradicant (a). Pertinere itaq; Contritionem ad Pœnitentiam, tanquam ejus partem, sequentibus probatur rationibus.

(a) Calvin. Inst. lib. 3. cap. 3.

1. *Quia ipsa vox non tantum est ἐγγεγραμμένον, in descriptione Pœ-*

nitentiæ in S. S. literis usurpata, ut quando Deus ipse inquit: Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos. Vnde & David: Cor contritum & confractum Deus non despicies. Et Hiskias: Quasi Leo, sic contrivit omnia ossa mea (b).

(b) ps. 51. 19. Esa. 38. 13. & 66. 2.

2. Verùm etiam tanquam ad Pœnitentiam summè necessaria in S. S. literis præcipitur & exigitur. Ut: Scindite corda vestra & non vestimenta vestra. Item: vadens revertar ad locum meum, donec pudore suffundantur & quærant faciem meam. Et de Tyriis & Sidoniis pronunciat Christus, quod in cinere & cilicio pœnitentiam egissent, si hujusmodi virtutes, ut in Corazim & Bethsaida, in iis quoq; factæ fuissent: Quare & qui laborant & onerati sunt, molesti peccatorum, ad se vocat (c).

(c) Joel. 2 13. Ose 5. 15. Matth. 11. 21. 28.

3. Tum & exemplis conversorum, hanc partem, Pœnitentiæ tribui maximè debere, probatur (d). David enim agnitis peccatis ex Nathanis concione legali dixit: Peccavi Domino. Et passim in psalmis, præsertim pœnitentialibus, hujus suæ seriæ contritionis indicia haud obscura habet. Sic Daniel sua & populi peccata, sub finem exilii Babylonici, in jejuniis, sacco & cinere, confessus est, inquiens: Peccavimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, rebelles fuimus, declinavimus à mandatis tuis, non obedivimus servis tuis. Tibi Domine justitia, nobis verò confusio faciei. Et de Manasse legitur, quod coangustatus, oraverit ad Dominum, & humiliatus sit valdè coram Deo. Esdras insignem suam contritionem in defectione populi à vero Deo ad Idola gentium describit his verbis: Cum audissem sermonem istum, scidi pallium meum & tunicam, & evelli capillos capitis mei & barbæ, & sedi solitarius, & dixi: Deus meus confundor & erubesco levare faciem meam ad te; quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum & delicta nostra creverunt usq; ad cælum &c. Sic de ter mille conversis concione Petri dicitur; quod his auditis, compuncti sint corde. His adde lachrymas Mariæ Magdalenæ, Petri; gestus Publicani &c.

(d) 2. Sam. 12. 13. ps. 6. 3. 4 7. 8. & 32. 5. & 38. 3. 4. 5. 6. 7. 8 9. 11. & 51. 5. 6. & 102. 4. 5. 6. 10. 11. 12. & 130. 1. 3. & 143. 2. 3. 4 Dan. 9. 3. 5. 6. 7. 8. 2. par. 33. 12. Esdræ 9. 3 6. 15. Act. 2. 37. Luc. 7. 38. c. 18. 13. c. 22. 62.

4. Nec

4. Nec parum momenti ad probationem adfert synecdochica locutio scripturæ, quæ vocabulum pœnitentiæ pluribus in locis (e) pro contritione usurpat. Quod certè, nisi pars esset Pœnitentiæ vera contritio, minime fieret.

e) Matt. 21. 32. Mar. 1. 15 Luc. 24. 47. Ier. 8. 6.

5. Præterea cum in pœnitente, si ad Deum converti debeat, maximè requiratur agnitio peccatorum, timor iræ Dei adversus peccata, dolor conscientiæ, & detestatio ac abominatio peccati, quæ omnia requisita sunt & proprietates veræ ac seriæ contritionis, absq; quibus vera pœnitentia esse non potest, ut videre est in securis & hypocritis, qui hisce requisitis carentes, contritionem nullam habent: Sequitur etiam inde ἀποδεικτικῶς, contritionem veræ quoq; Pœnitentiæ partem negari nec debere nec posse.

6. Hæc enim facit ad extenuationem virtutum & meritorum humanorum ex miseriæ & infirmitatis agnitione, ad amplificationem verò gratiæ & misericordiæ Divinæ: ad demonstrandum obsequium, quod homo Deo suo debet: ad mutationem & recessionem à termino à quo, quem esse in pœnitente oportet, sine verò contritione eundem dari non posse, constat: ad ὀφυητήριον & desiderium futuræ gratiæ excitandum &c.

7. Vnde & præclaræ extant Patrum de contritione sententiæ (f) Augustini: Iustitia de cœlo prospexit tãquam Dei dicentis: Parcamus huic homini, quia ipse sibi non pepercit: agnoscamus, quia ipse agnoscit: conversus est ad puniendum peccatum suum, convertar & ego ad liberandum eum. Ambrosii: Peccavit David, quod solent reges, sed pœnitentiam gessit, flevit, ingemuit, quod non solent reges: confessus est culpam, & obsecravit indulgentiam. Ibidem: Quod David peccavit, conditionis est: quod supplicavit, correctionis. Lapsus communis, confessio specialis. In culpam itaq; incidisse naturæ est; dolere virtutis. Idem: Nihil peccare solius Dei est: emendare sapienter & corrigere erratum, & pœnitentiam agere de peccato; id tamen difficile est in hac vita, homini. Quid enim tam verum, quam ut invenies virum, qui seipsum coarguat, & factum condemnet suum? Idem:

f) In ps. 84. De Davide lib. 1. Epist. 3. ad simpl. In quodam sermone. Lib. 27. Moral. In quodam ser. Ad So. In Matthæum. Lib. 3. de myst. Eccl.

Idem: Quando sic pœnitet, ut tibi amarum sapiat in anima, quod antè dulce fuit in vita, & quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in corde, jam tunc benè ingemiscis ad Deum. Gregor: Quo uberius culpa flectur, eò altior cognitio veritatis attingitur: quia ad videndum internum lumen polluta dudum conscientia lachrymis baptizata renovatur. Bernhard: Equum indomitum flagella domant, animum immitem contritio spiritus & assiduitas lachrymarum. Idem: Compunctionem vel contritionem peccatorum qui non habet, non habet mundam orationem. Chrysostio: Non dolere quia peccaveris, magis indignari atq; irasci facit Deum, quàm illud peccatum quod ante perpetraveras. Hugon: Pœnitentia appellata quasi punientia, eò, quod ipse homo in se pœnitendo punit, quod malè admisit. Idem: Contritio est gemebundi cordis commotio salutaris, seipsum lachrymarum eruptione testificans.

Error Secundus.

Contritio alia est Legalis alia Evangelica: Illa vocatur μεταμέλεια, hæc verò μετάνοια.

REFUTATIO.

Quemadmodum Contritionem, ita & Pœnitentiam admittunt aliam Legalem, aliam Evangelicam, (a) propterea quod Evangelium per se velint esse contionem pœnitentiæ, quem Errorem superius (b) refutavimus.

1. Sed respondemus contritionem nulla sui parte ad Evangelium pertinere, sed totam à Lege pendere, quæ veram peccatorum agnitionem & abominationem, sensum iræ Divinæ adversus peccata, & dolorem conscientiæ, cordibus pœnitentium incutit, & sic in illis contritionem efficit (c): atq; propterea Evangelica dici, aut ad Evangelii prædicationem referri minimè debet, sed Legalis tantùm est & manet. Quod verò salutaris interdum est & dicitur contritio, id non eidem per se, sed per accidens, ratione accedentis fidei tribuitur.

2. Aliàs enim contritio per se ad veram & salutarem pœnitentiam sufficeret, eamq; absolveret; atq; sic Pœnitentia Judæ non rejiciendæ

Bucanus loc. 30. f. 287. 291. Hemming. syntag. Loc de grad. ad convers. sect. 33. f. 78. loc. de salut. pœnit sect. 23. f. 87.

a) Calvin. Instit. lib. 3 cap. 3. §. 4.

b) Disp. 11. cap. 2. Er 1.

c) Exod. 20. 19. 2. Sam. 12. 7. 13. 2. Reg. 22. 11. Rom. 3. 20. 4. 14. c. 7. 8, 9. 1. Cor 5. 56. Gal. 3. 19.

cienda, sed tanquam salutaris acceptanda esset: quilibet contritionem habens, pœnitentiâ ad salutem non careret: Lex cum Evangelio confunderetur, discrimen Legis & Evangelii, imò hoc ejusq; dulcissimæ promissiones tollerentur &c.

3. Distinctionem vocum Græcarum (μεταμέλεια μετάνοια) annihilat memorabilis ille locus de filio, qui patri jubenti eum abire in vineam respondit; ὁ θεὸς: ὕστερον δὲ μεταμεληθεὶς, ἀπῆλθε (d). Quo probatur, illam vocem etiam in bonam partem, pro vera Pœnitentia accipi, quamvis varius. Sed plus reipsa, quam vocibus, quæ semper rebus subesse debent, tribuendum est.

Error Tertius.

Quod fidem sub Pœnitentia complectuntur, pugnat cum eo, quod Paulus in Actis dicit, se Iudæis ac gentibus testificatum in Deum, Pœnitentiam ac fidem in Iesum Christum. Ubi tanquam duo diversa, Pœnitentiam & fidem enumerat.

REFUTATIO.

Veras ac essentiales Pœnitentiæ partes, Contritionem nimirum & fidem, plerique negant, & alias substituunt, mortificationem & vivificationem (a), recessum à malo & accessum ad bonum (b), sed longe alio sensu quam Apologia A. C. (c) & nostrates faciunt. Quin & in fidei à Pœnitentia sequestratione, parum sibi constant: illo (Calvino) asserente, Pœnitentiam citra fidem consistere non posse, & ab ea separari non posse: hoc (Martyre) fidem, etsi pars Pœnitentiæ non sit, esse tamen ei conjunctam. Nos verò ita esse conjunctam, ut ejus pars sit essentialis, sequentibus probamus rationibus.

1. Quia S. S. Scriptura describens salutarem Pœnitentiam, semper fidei facit mentionem, idq; vel implicite vel explicitè, ut sexcentis & dictis & exemplis, quæ huc brevitatis studio non transposita, ex S. codice petantur (d), probari potest.

2. His adde, quod fides quasi anima est ac vita veræ ac salutaris Pœnitentiæ, ac altera pars formæ ejusdem, ita ut non solum ei esse det,

d) Matth. 21. 29.

Calvin. Instit. lib. 3. c. 3. §. 5. Martyr. L. C. class. 3. loc. 8. §. 18.

a) Calvin. Inst. lib. 3. cap. 3. §. 5. Bucanus loc. 30. f. 293. Polan. Lib. 1. partit. Theol. f. 183.

b) Martyr. L. C. class. 3. l. 8 §. 19.

c) f. 259. D. Hutt. disp. in A. C. 18. th. 52. D Lobech. Disp. 14. th. 17.

d) Mat. 21. 23 Mar. 1. 15. Luc. 24. 47. Act. 20. 21. Daniel. 9. 7. 9. 16. 18. 19. 2. Sam. 12. 13. Matt. 26. 75. Luc. 7. 38. 50. c. 18. 13. c. 23. 41. 42. Act. 9. 6.

det, verum etiam sine qua prior pars, contritio nimirum, veræ Pœnitentiæ membrum, ut ex contritione Caini, Judæ & aliorum patet, esse non possit. Atq; propterea Pœnitentia sine fide, & manca & mutilla, imò coram Deo nulla est.

3. Præsertim cum vera & salutaris Pœnitentia duobus constet terminis, à quo, & ad quem, quibus complementum ejus perficiatur & absolvatur; non poterit in Pœnitentia dari terminus ad quem, si fides Pœnitentiæ pars esse negetur. Nam etsi, qui veram habens contritionem dolore peccatorum serio ducitur, atq; sic principio conversionis facto, à peccatis aversus dici potest, ad Deum tamen nondum est conversus, neq; termino ad quem, verâ nimirum & coram Deo valente justitiâ, quæ sola fide obtinetur, potitus est.

4. Sic quia sine fide, tanquam instrumento illarum rerum certissimo, remissio peccatorum, gratia Dei, tranquillitas conscientiæ; quæ veram comitantur Pœnitentiam, nõ esse aut haberi, imo placere Deo nemo sine fide possit (e); neq; etiam sine eadem veram pœnitentiam habere quisquam poterit.

e) Actor. 10. 43. Rom. 3. 22. cap. 5. 1. Eph. 3. 12. 1. Joh. 5. 10 Iacob. 1. 6. 7.

5. Sed potius Deum faciet mendacem; imo fide quamvis præditus, sed hæsitante, non quicquam à Domino accipiet (f). At Pœnitentiam agens, nequa quam Deum arguit mendacij, sed ei laudem misericordiæ & veritatis tribuit, atq; propterea bonis promissis potitur. Quare neq; fide, eâq; verâ & justificâ carebit.

6. Præterea quia sola fides discrimen facit, inter veram ac falsam, salutarem ac exitialem Pœnitentiam; ex Pœnitentia vera ac salutari, qualis fuit Petri, si à Judæ distingui debet, excludi non potest.

7. Deniq; non inutile erit perpendere, quid Patres orthodoxi de fide senserint. August: Nullæ majores divitiæ nulli Thesauri, nulli honores, nulla hujus major est substantia, quàm est fides catholica, quæ peccatores homines salvat, cæcos illuminat, infirmos curat, pœnitentes reparat &c. Idem: Ille apud Deum plus habet loci, qui plus attulit non argenti sed fidei. Ambrosius: Manifestè

nifestè beati sunt, quibus sine labore, vel opere aliquo, remittuntur iniquitates, & peccata tegantur: nulla ab his requisita pœnitentiæ opera, nisi ut credant. Cyrillus: janua & via in vitam fides est, & recursus atq; reductio à corruptione in immortalitatem. Theodoretus: Sola fide allata remissionem peccatorum accepimus. Idem: Non nostra sponte credimus, sed vocati accessimus: & cum accessissemus, non exegit vitæ puritatem & innocentiam, sed sola fide suscepta condonavit peccata.

Error Quartus.

Pœnitentiam non modo fidem continuò subsequi, sed ex ea nasci, extra controversiam esse debet.

REFUTATIO.

Ne adversarij omnino nihil de fide, in S.S. literis tam prædicata sentire videãtur, eam à conversione remotam, ad causam ejusdem efficientem & antecedentem referunt, imò matrem & originem Pœnitentiæ faciunt (a). Atq; sic magis ad castra Pontificiorum accedunt, qui etiam fidem ex pœnitentia excludentes, licet alio modo, sed eodem cum illis eam causam conversionis esse statuunt.

1. Sed refutantur illi responsione ad huic antecedentem errorem, ne opus sit hic pluribus. Mirabilis verò hæc est conversionis hominis methodus, cui praxis S.S. scripturæ Ἀναῤῥήδην contradicit, quæ peccatorem per præeuntem legem contritum, sequente fide Evangelij erigit, id quod superiùs sufficientibus dictis & exemplis probatum.

2. Si verò fides præcederet, jam ante pœnitentiam homo peccator haberet remissionem peccatorum, ubi verò remissio est, ibi non opus pœnitentiâ, per quam homo à peccatis ad Deum convertatur. Atq; sic hæc Calvinianorum præposterа methodus fidem & remissionem peccatorum absq; pœnitentiâ, ex absoluto nimirum Dei decreto, quò respicit, sed frustra, promittit.

3. Imò, ut abrumpamus paradoxis, ordinem conversionis in S.S. literis præscriptum pervertit. Impœnitentibus ante conversionem

g) De verbis Dom. Ambrosius in cap. 4. Rom. Lib. 9. in 9. cap. Ioh. In cap. 2. ad Eph. Calvin. Inst. lib. 3. cap. 3. §. 1.

a) Bucanus loc. 30. f. 289.

fidem promittit: cum peccatis non conversorum fidem stare posse somniat: ex Pœnitentia fructum & effectum fidei, atq; sic novitatem vitæ facit: fidem pro nuda notitia gratiæ Dei accipit (b): veram salvificam, applicativam & quietativam fidem, ad justiciam & salutem non vult sufficere, sed requiri insuper pœnitentiam Calvinianam, id est, primò mortificationem veteris hominis, quam Polanus (c) & alii faciunt peccati agnitionem & contritionem salutarem; deinde vivificationem novi, id est, secundum eosdem, lætitiam conscientiæ per Christum, & novam obedientiam. Quæ sequela ex errore proximè sequente patet.

b) Calvin. Inst. lib. 3. cap. 3. §. 1. 2
c) Lib. 1. par tit. Theol. f. 183.

Error Quintus.

Fides in Christum sufficit ad impetrandam & apprehendendam salutem, sed non est satis ad illam conservandam: sed amplius ad hoc requiritur tertia pars Pœnitentiæ, nempe emendatio vitæ.

Praxis & medulla Catechetica, quæst. 67.

REFUTATIO.

Sunt quidem & ex nostratibus, (a) qui novam obedientiam tertiam dicunt partem, non tamen cum Adversariis faciunt, sed bifariam ab illis dissentiunt. 1. Vocabulum enim pœnitentiæ in latiori significatione, pro tota hominis conversione accipiunt. 2. Novam obedientiam ad salutem necessariam esse negant. De priori vero erroris membro superius (b) actum: nunc ad posterius, novam nimirum obedientiam pœnitentiæ, propriè tertiam partem minimè esse, respondemus.

a) Apolo. A. C. D. Chytræ 9 in Catech. D. Simon Pauli Methodo 29. par. 3.
b) Disp. 12. c. 2. Er. 4. & 13. c. 1. Er. 1.

1. Ex S. S. 1. Quæ duas tantum Pœnitentiæ partes ponit (c), contritionem nimirum & fidem, 2. Secundum duo præcipua doctrinæ cœlestis capita, Legem nimirum & Evangelium, per illam, contritionem, per hoc, fidem operans & accendens in cordibus peccatorum. 3. Ut exempla Davidis, Danielis, Mariæ Magdalenæ, Publicani, Petri, filii prodigi, Latronis, Pauli &c. superius allegata, testantur.

c) Matth. 21. 32. Marci 1. 15. Luc. 24. 47.

2. Quia etiam negari non potest, novam obedientiam, quam illi tertiam

tertiam pœnitentiæ partem esse volunt, propriè non pertinere ad convertendum per Pœnitentiam, sed ad per eandem jam conversum, ità ut ejusdem sit fructus & effectum: sequitur etiam quod pars illius esse non possit, nec constitui etiam debeat. Effectus enim causæ suæ efficientis pars constituens esse nequit.

3. Sic cùm Pœnitentia justificationem præcedat, nova vero obedientia seu vitæ emendatio eandem sequatur, certè justificationi interposita; tanto intervallo à Pœnitentia disjungitur, ut nullo modo ad ipsius εἶναι, tanquam pars συστατικὴ referri possit.

4. Tum Pœnitentiam esse quandam mutationem constat, cujus complementum duobus terminis, à quo & ad quem, absolvitur; illum contritio notat, hunc fides monstrat. Hisce igitur, si proprietatem & substantiam rei attendere velimus, haud incommodè Pœnitentiæ partitio accommodatur, absq; nova obedientia.

5. Deniq; ad evitandum duplex incommodum, nova obedientia tertia Pœnitentiæ pars constitui non debet. 1. Ne bona opera circulum justificationis ingrediantur, & ad salutem necessaria, ut indè quidam ansam sui erroris ceperunt; doceantur. 2. Ne ὀλιγόπιστοι in lucta fidei & agnitione suæ indignitatis, ubi magna sæpè bonorum operum est raritas, succumbant; si ea ad pœnitentiæ veræ substantiam, tanquam partem ejus essentialem necessariò requiri audiant.

Caput Secundum.

De Confessione & Absolutione.

Error Primus.

Confessio & Absolutio privata à fœtidis Antichristi Romani lacunis originem suam habet, & ab ipso Diabolo invecta est in Ecclesiam.

Calvin. in 2. defens. cont. westphalum. f. 131.

REFUTATIO.

Sic ille opera Dei & ipsius Christi, odio Pharisaico ascribit Diabolo: quamvis in Institutionibus (a) rectius sentiat, quemadmo-

a) Lib. 3. cap. 3. §. 12. 13. 14.

dum & plures ambidextros (b), multos etiam dissentientes (c) invenies. Quibus ut commodius respondeatur, prius τὰ μὴ ζητούμενα removenda erunt; Vt: An publica confessio nullo modo admitenda & teleranda sit in Ecclesia? N. Non enim superioris Germaniæ Ecclesias eas, in quibus usitata, propterea damnamus. Sic neq; est quæstio: An exacta omnium peccatorum secundum omnes circumstantias enarratio, tanquam ad remissionem peccatorum necessaria, in confessione flagitetur? Illam enim tanquam pontificiam conscientiarum carnificinam cum Calvinianis damnamus. Sed hoc est ζητούμενον: An nostra privata Confessio, quam auricularem vocamus, sit Pontificia, imo Diabolica, atq; propterea abolenda & execranda? Illi aientem, nos negantem tenemus sententiam; quam confirmamus.

b) Hemming. in Catech f. 248. 249. In Syntagm. loco de Cœna Domini. Sect. 38. 3.

c) Beza lib. 1. Epist. Oecolampad. in 1. Epist. Iohan.

1. Authoritate S. S. Scripturæ. Quia nostra, quam privatam vocamus, confessio in omnibus sui partibus à Pontificia longissimè dissidens, non à Papatu ortum, sed in S. S. literis fundamentum suum habet, & analoga est S. S. Scripturæ. In veteri enim Testamento cum adductione hostiæ, quam Sacerdoti secundum legem sistebant offerendam pro peccatis suis, eadem illi confitebantur. David coram Nathane confitetur suum enorme delictum adulterii & homicidii, inquiens: Peccavi Domino. Et de illis, qui baptizantur à Johanne, dicitur, quod confessi fuerint peccata sua, singuli nimirum, antequam baptismum susceperunt, confessionem suam Johanni edentes. Peccatrix illa privatim Christo externis signis confitetur peccata: Zachæus verò expressis verbis. Et Iacobus inquit: confitemini alterutrum peccata vestra. Philippus præfectum Candaces Reginæ ad baptismum admittere non vult absq; confessione fidei suæ; quærenti enim ei, quid prohibet me baptizari? respondet: Si credis ex toto corde licet: Et respondens ait; credo filium Dei esse I. C. Sic Paulus hominem communicaturum corpus & sanguinem Christi in S. S Cœna Domini, jubet se ipsum prius probare, cujus τεκμήριον est, privata illa & ingenua confessio (d).

d) Levit. 4. 14. 22. 28. c 5 9. 7. 8 11 12 15. 18 2 Reg. 12. 13. Matt. 3. 6. Luc 7. 38. c. 19. 8. Iacob. 5. 16. Acto. 8. 37. 1 Co. 11. 28.

2. Testi-

2. *Testimonio & consuetudine Veteris Ecclesiæ, cui in frequenti usu fuit hoc privatæ confessionis genus, ortum ex publica illa & solemni ἐξομολογήσει. Omissâ verò recitatione historiarum, quas ex authoribus (e) petere licet, quædam Patrum testimonia de hujus privatæ confessionis usu, loco secundæ hujus probationis posuisse sufficiat. Chrysostomus enim inquit: Multa arte opus, ut, qui laborant christiani ultrò sibi persuadeant, Sacerdotum curationibus se submittere oportere. Origenes: Proba prius medicum, cui debeas languoris causas exponere: ut si quid ille dixerit, si quid consilii dederit, facias & sequaris. Idem: Peccatores per confessionem animi sui pondus Sacerdotibus exponunt, salutarem medelam exquirunt. Basilius: Quia modus conversionis debet esse ἀνάλογος τοῦ ἁμαρτάνοντος, accommodatus ad rationem peccati; & debet fructus ostendere dignos pœnitentia: ad hoc aptus est modus confessionis, quæ fit illis, quibus dispensatio mysteriorum Dei commissa est. Hieronymus: Sicut in Veteri Testamento Sacerdotes notitiam habebant leprosi & non leprosi, ut possent discernere qui mundus, quivè immundus esset: ita in Novo Testamento sacerdos non debet temerè sibi arripere clavem potestatis, absq; clave scientiæ & discretionis, sed pro varietate peccatorum debet nosse, qui ligandus sit, quivè solvendus. Idem: Si quem serpens Diabolus occultè momorderit, & nullo conscio eum peccati veneno infecerit: si tacuerit, qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri ac Magistro voluerit confiteri; Magister, qui habet linguam ad curandum facilè ei prodesse non poterit. Ex hisce & aliis pluribus veterum sententiis (g), privatæ illius, quæ sacerdoti fit, confessionis usum, primitivæ quoq; Ecclesiæ ignotũ minimè fuisse, constat. Imò quàm necessarius fuerit, ex illâ, abrogationem ejus à Nectario in Ecclesia Constantinopolitana, ob facinus illud Diaconi, confessione mulieris nobilis publicatũ, factam, subsecutâ licentiosâ ἀταξίᾳ satis superq; patet (h).*

3. *Summâ illius necessitate.* 1. *Explorandi probationem*

c) Leo Epist. 69. 78. Sozomen. in tripartita Historia lib. 9. c. 35.

f) lib. 2. de Sacerdotio. In psal. 37. Sermon. 5. de lapsis. In quæst. compendio explicatis 288. In cap. 6. Matth. In Ecclesiasten c. 10.

g) Augustin. Epist. 111. ad Iulianũ Comitem Ambrosius in Historia tripart. lib. 9. c. 30. Origenes Homil. 2. in Levit.

h) Socrat. lib. 5. Eccl. c. 19. Sozom. lib 7. c. 16.

illorum qui ad S.S. Synaxin sunt accessuri; veram contritionem cordis ob admissa delicta, fidem in Christum, & propositum emendandi vitam, ne impœnitentes absolvantur, indigni ad usum S.S. Synaxeos admittantur, atq; sic sanctum detur canibus. 2. Conservandi Ecclesiæ disciplinam, ne polluti manifestis delictis, sine reconciliatione ab Ecclesiâ recipiantur. 3. Cognoscendi rudiorum profectum, eorum ruditatem corrigendi, torporem excutiendi, eosq; ad frequentiorem & diligentiorem verbi Divini auditum & studium adhortandi. 4. Probandi obedientiam auditorum debitam Ministerio, amoremq; eorum erga ordinem à Christo institutum. 5. Sejungendi nos ab istis deformatoribus, Sacramentarios puto, qui ceu turbatores omnis boni ordinis, hunc quoq; ritum ex Ecclesia profligatum cupiunt.

4. Maxima utilitate. 1. Ad anxietatum, quæ conscientiam. sæpè gravant, in sinum curatoris animæ, depositionem. 2. Ad fidei confirmationem. 3. Ad majorem consolationem, &c.

Error Secundus.

Clinglius cõtra Luth. Serm. de Sacrament. Tom. 2. Viva praxis.

Ministri Ecclesiæ non habent potestatem Absolvendi Pœnitentes. 1. Quia solus Deus remittit peccata. 2. Spiritus Sanctus nos solos certos facit de remissione peccatorum. 3. Sola fide remissionem peccatorum consequimur.

REFUTATIO.

Correlativum Confessionis privatæ est Absolutio, quarè illâ probatâ, facilè hæc vel iisdem rationibus obtinetur. Non verò rationes illæ in Errore positæ nostram, sed Pontificiorum Absolutionem αὐτεξούσιον refutant, quam illi absolutâ iudiciariâ potestate Ministro datâ describunt: nos eam mediatâ à Christo concessâ potestate definimus, ita ut absolutio, sit medium & organũ, per quod Deus peccata

peccata remittat, Spiritus Sanctus nos de remissione peccatorum certos faciat, & remissionem fidei obtentam annunciet & confirmet. Immeritò itaq; adversarij nostram Absolutionem suis virulentissimis calumnijs proscindunt, nominantes eam, additamentum Scripturæ humanum, fermentum Papisticum, Antichristianum, Idolatricum, impium, nequissimum Sathanæ inventum (a): Non enim hæc dicteria nostram, sed Pontificiorum tangunt Absolutionem. Ad nostram verò quod spectat, eam pro efficaci medio solutionis à peccatis agnoscendã, atq; propterea retinendã esse in nostris Ecclesijs docemus.

a) Bulling. in cap. 3. Matth. Gualth. in 1. Cor. 11. Muscu. l. c. f. 239.

1. Quia est juris & præcepti Divini. Christus enim non tantũ ipse sæpius eam adhibuit, privatim & singulatim unicuiq; pœnitenti remissionem peccatorum annuncians (a): verùm etiam potestatem remittendi peccata suis discipulis expressis verbis tribuit, ad Petrum inquiens (b): tibi dabo claves regni cælorum: quodcunq; ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunq; solveris super terram, erit solutum & in cælis. Eandem tanquam omnibus in Petro concessam, omnibus repetivit his verbis: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta sunt. Huc referri possunt & reliqua mandata, quæ videantur in Sacro Codice (c). Quâ itaq; fronte Calviniani illud, quod ministerio concessum, imò injunctum & mandatum est à Christo, eidem detrahere audent?

a) Matth. 9. 2. 22. 29. c. 15. 28. Luc. 7. 28. c. 17. 19.
b) Matth. 16. 19. 19. Ioh. 20. 23.
c) Matth. 9. 3. c. 18. 17. 2. Thes. 3. 14. 1. Tim. 5. 20.

2. Quin & praxis Prophetica & Apostolica eandem nobis commendat (d). Nathan enim Davidem absolvit his verbis: Abstulit Dominus peccatum tuum. Penes Sacerdotes V. T. non tantum judicium cognoscendi de mundicie vel immundicie hominum erat, verùm etiam sacrificabant pro peccatis populi, & peractis sacrificiis benedictionem impertiebantur, quæ vice absolutionis erat. Prophetæ nihil frequentius, quàm ut ex ore Domini consolationes, & comminationes populo, haud sine singulari absolutionis & excommunicationis effectu, proponant. In N. T. clave solvente usi sunt; Petrus erga claudum ab utero matris; Philippus erga præfectum Candaces

d) 2. Sam. 12. 13. Levit. 13. Luc. 17. 14.

Candaces Reginæ Æthiopum: Ananias erga Paulum (e). Ligantes Iohannes contra Pharisæos: Petrus contra Ananiam & uxorem ejus Saphiram; contra Simonem Magum: Paulus contra Elimam Barjehu, incestuosum; contra Hymenæum & Alexandrum (f) &c.

e) Act. 5. 2. c. 8. 37. c. 9. 17.
f) Matth. 3. 7. 8 9. 10. Act. 5. 3. 4. 5. 9. c. 8. 20. 21. 22. c. 13. 10. 11. 1. Cor. 5. 5. 1. Tim. 1. 20

3. Accedit multiplex, ut confessionis ita absolutionis, tum necessitas tum utilitas. 1. Ut refutentur Anabaptistæ, Svvenckfeldiani, Enthusiastæ, qui omnem vim & efficaciam absolutioni adimunt: Novatiani qui lapsis veniam negabant: Pontificii, qui homines non remissione peccatorum gratuitâ per absolutionem annunciatâ, sed insuper satisfactione & meritis operum, ad Deum converti & recipi in gratiam, docent: Calviniani, qui ministros Ecclesiæ, ex mandato Christi & potestate clavium illis concessa, ministerialiter & instrumentaliter remittere posse peccata, negant. 2. Ut promissiones gratiæ universales per privatam absolutionem singulis applicentur, ita ut quilibet absolutus, tàm certus sit sibi peccata esse remissa, ac si coràm ipsum filium Dei, cujus vices minister absolvens gerit, dicentem, non secus ac paralyticus, audiret: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. 3. Ut studium novæ obedientiæ crescat & magis fit serium, ad dignam accepta absolutione ambulationem. 4. Ut plures per Absolutionem ad peccatorum confessionem excitentur; & impii atq; securi per Excommunicationem, à similibus flagitiis & notoriis delictis deterreantur.

DE CALVINISMO

DISPUTATIO ELENCTICA

DECIMA SEXTA,

Complectens Mataologia Calviniana

examen, in loco

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Quam

Doctore & Ductore S. S. Spiritu

Sub Præsidio

M. PETRI HINKELMANNI,

Verbi Divini Ministri,

privatim defendendam suscipiet

HENRICUS VAGETIUS

Parch. Megap.

Habebitur disputatio 11. Calend. Decemb.

ROSTOCHII

Litteris Reusnerianis, Anno 1610.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0345

DFG

ΣΥΝ ΘΕΩ

DISPVTATIO ANTICALV. XVI.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CONTINUATIO.

NOn nisi verâ pœnitentiâ ad Deum conversis Sacramenta prosunt, quæ sunt sigilla Ecclesiæ & notæ piorum vereque fidelium. Quare convenienti ordine, superioribus locis, doctrinam de Sacramentis subjungentes, eorum sinceritatem à corruptelis Calvinianis, Deo doctore, & duce Scripturâ, rationibus ex eâ deductis, vindicabimus. Generali verò hac tractatione præmissâ, primò, quid de Sacramentorum substantia & forma: deinde quid de eorum fine & usu statuant, videbimus.

Vide D. Lyseri Calvinist. conc. 6. loco 3. f. 177 Et D. Mamphras: præf. vber 100. Calvinische Onwarheit & M. Zachæi Fabri.

CAPUT PRIMUM.
De Sacramentorum Substantia.

Error Primus.

Rem terrenam in Baptismo & Cœna Domini pro integro Sacramento acceptant.

REFUTATIO.

Etsi de partibus Sacramentorum multa verba adversarii faciant, (a) *tamen ex illis cuilibet judicio valenti facilè colligere licet, eos Sacramentis nuda tantum deputare Symbola & Elementa, ita ut his illa constituantur. Sed id impossibile esse; verum duabus rebus, cœlesti nimirum & terrenâ constare, probatur.*

a) Hemmin. in præfat. in epist. Apost. Libertus in Synt. f. 7. Confess. Sacramentariorum Anno 66. f. 33.

1. *Ipsâ divinitus factâ institutione. Baptismum enim Christus*

stus mandans, non tantùm Elementum aquæ in eo ordinat, verùm etiam addit verbum institutionis & promissionis, cum mentione S.S. Triados. Sic Christus suam Cænam disponens, expressè in verbis institutionis ejus, facit mentionem panis ac vini tanquam rei terrenæ; simul etiam corporis ac sanguinis sui, tanquam rei cœlestis; & de utraq; addit: accipite, comedite, bibite (b).

b) Matt. 28. 19. Ioh. 3. v. 5. Eph. 5. 26. Mat. 26. 26. Mar. 14. 22. Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 24.

2. Naturâ & proprietate Sacramentorum; quæ tantùm abest, ut absq; cœlesti re Sacramenta revera sint, ut sinè ea ne nomen quidem suum retinere possint. Materiam enim Sacramentorum constituunt non nuda & sola Elementa, sed verbum insuper institutionis rei terrenæ additum, cumq; ea rei cœlestis præsentiam promittens. Sic ad formam Sacramentorum requiritur illa ipsa tota actio, ut à Christo mandata est, constans εὐλογίᾳ καὶ ληψοδοσίᾳ non nudorum symbolorum, sed utriusq; partis Sacramentorum συσκηνῆς, congruentis cum forma institutionis.

3. Eminentiâ ac sublimitate Sacramentorum, præ reliquis omnibus cultibus qui Deo præstantur: quam, si res terrena integrum Sacramentum constituat, omnino concidere necesse est. Non itaq; Elementa tantùm nuda, ut sub sensus cadunt, sed etiam longè majus & sublimius quid, res nimirùm cœlestis, tanquam τὸ κοινούμενον, sub Elementis adsit necesse est, quod secundum modum ἑνώσεως sacramentalem, unà cum illis verè ac realiter exhibeatur, ut hac ratione Sacramenta omnes alios cultus, multis parasangis post se relinquant.

4. Testimonio Orthodoxæ antiquitatis. Irenæi enim est illa vulgata & maximè succincta Sacramenti descriptio, quod constet duabus rebus, terrenâ nimirum & cœlesti. Et Augustinus inquit: accedat verbum (institutionis) ad Elementum & fit Sacramentum. Idem: Sacramentum duobus conficitur, duobus constat, visibili Elementorũ specie, & invisibili Domini corpore, id est, Christi carne & sanguine. Et Hesychius: Carnes cum panibus comedi præcipit, ut nos intelligeremus, illud ab eo mysterium dici,

quod

quod simul panis & caro est (c). Quamvis verò veteres (d) interdum externa Elementa & Symbola nominent Sacramenta, non tamen sensu Calvinistico, neq; κυρίως sed καταχρηστικῶς καὶ σχετικοχικῶς, respectu partis principalioris, rei nimirum cœlestis, quæ in Sacramentis exhibetur, id dictum & acceptum volunt.

c) lib. 4. c. 43 In Iohan. 1. tract. 80. In sententijs Prosperi disp. 2. Lib. 2. in Levit. c. 8, d) Ambrosius, Basilius. Augustinus.

5. Ingenti absurditate. Si enim res terrena tantùm constituat Sacramenta, sequetur, in omnibus ablutionibus & balneis (sit venia dicto) inveniri Sacramentum baptismi, & quælibet convivia, prandia & cœnas, pro Sacramento cœnæ Dominicæ haberi posse & debere.

Error Secundus.

Sacramenta non ad Prædicamentum substantiæ sed Relationis pertinent.

Embder bericht vom streit des H. Abendmals Cap. 10.

REFVTATIO.

Hoc ut & alia mysteria Divina hujusmodi terminis logicis metienda minimè esse, attamen declarari posse, ultro largimur: quare & nostrates interdum Sacramenta in Prædicamento Relationis collocant, sed longè alio sensu, quam Calviniani. Non enim tantùm in Relatione ponunt, ut hi; sed & in Prædicamento actionis, (ut & quidam illorum faciunt (a)) & substantiæ; verũ non ut Pontificij, qui, sicut Calviniani quidã in relationis tantùm, sic in substantiæ tantùm Prædicamento Sacramenta considerant, ut præcipuè Transsubstantiationis, circumgestationis & adorationis suæ figmentum obtineant; Sed ut substantialem & realem rei cœlestis παρουσίαν se credere, testificentur. Deniq; Calviniani hisce terminis ad notandam ἀπουσίαν χρηστὴν rei cœlestis, ut suo loco videbimus, utuntur. Nostrates verò, ut modum ἑνώσεως Sacramentalem rei cœlestis & terrestris, & huius destinationem & ordinationem ad Divinum & eximium usum indicent. Quia itaq; hic error, posteriori sui parte per Relationem, rei cœlestis absentiam intelligit, hac suo loco reservatâ; ad priorem, quæ Sacramenta ad Categoriam substantiæ minimè pertinere, tradit, respondemus.

a) Beza vol. Theol. 3. f. 332. 333. Bucanus l. 46. f. 567. Piscat: vol. thesium Disput. 25.

1. *Hanc, verbis perspicuis & maximè illustribus institutionis, quibus quodlibet Sacramentum describitur & mandatur, refutari, in quibus Elementorum (quamvis non respectu usus sui naturalis seu communis, sed singularis, & Sacramentalis;) & substantiarum rei cœlestis expressa fit mentio, ut superius probatum.*

2. *Si v. in Categoria substantiæ Sacramenta considerari non debeant, nihil in illis nisi mera & nuda manebunt accidentia Elementorum; rei enim cœlestis præsentiam aliàs non credunt. Atqui sic cum Pontificijs facient, qui in Transubstantiatione sua fictitia, nuda tantùm accidentia remanere, ineptè statuunt. Imò sua Sacramenta prorsus annihilabunt. Vel si substantias Elementorum remanere dicant, quomodo priorem Erroris hujus partem defendere possint, ipsi viderint.*

3. *Quin neq; relationes tollere rerum substantias ipsa Logica docet, & exemplis probari potest. Pater enim ob relationem ad filium, tàm non amittit substantiam, ut etiam propterea magis demonstretur homo. Sic Turca & alius extra Ecclesiam natus, per baptismum recipitur in gremium Ecclesiæ, & fit Christianus ac templum Spiritus Sancti, nihilominus tamen manet homo, quoad substantiam. Ex auro & argento cuditur moneta varii valoris, non tamen amittitur hac relatione substantia æris. Sic & in Sacramentis res terrena & cœlestis, propter Sacramentalem unionem, & destinationem ad eximium usum, ut sic utraq; res constituat Sacramentum, Substantiam suam non amittunt. Quemadmodum enim abusus, sic & verus rei usus, non tollit, ejusdem substantiam. Atq; sic hic error nec Theologicè nec Logicè consistere potest.*

Cinglius in Respons. 2. ad Luth. Communis opinio.

Error Tertius.

Sacramenta significant & testantur, non autem præsentia faciunt signata.

Sacramenta non simul possunt esse signa, & res ipsa quam significant.

REFV-

Scilicet hæc est ingenua quorundam confessio, & verus omnium sensus, utut verbis negent, quod nimirum ex Sacramentis nuda tantùm faciant signa. Quamvis verò & nostrates (a) non prorsus vocem signi, ut Adversarij existimant, respuant, sed sæpius eam, tanquam S. S. Scripturæ vocem, ab Orthodoxa antiquitate usurpatam, in hac doctrina adhibeant, non tamen id faciunt sensu Calviniano, intelligentes Sacramenta nuda tantùm signa σημάντικα, sed προσφερόμενα καὶ σφραγίζοντα. In qua quidem voce faciles esse possemus, si modo in rebus ipsis nobiscum convenirent. Sed quia his vocibus signi & signati, alteram Sacramenti partem συμπληκτὴν, rem nimirum cælestem, quam per vocem signati intelligunt, ex Sacramentis removere student; qui præcipuus est, & reliquorum, in doctrina de Sacramentis, errorum basis & fundamentum, ut mox sequentibus disputationibus demonstrabimus; hîc breviter ad hunc errorem respondemus.

a) A. C. artic. 13.

1. Quod Christus sua in N. T. instituens Sacramenta, nullam signorum fecerit mentionem, nec signis neq; figuris voluerit nobiscũ agere, sed expressis & substantialibus verbis rem ipsam quasi digito monstraverit: atq; externis elementis in utroq; Sacramento seorsim notatis, hoc officium Sacramentale destinârit, ut sint non signa, sed media, organa & instrumenta, essentiam rei cælestis, expressè in quolibet Sacramento nominatæ, offerentia & exhibentia.

2. V. verò T. naturâ fuit significare, adumbrare, sub typo umbram præbere: N. verò T. non amplius signa agnoscit, nec umbras habet (sc: essentiales Sacramentorum) sed essentiam, imaginem (b) & corpus ipsum. Aliàs enim ab illo nihil differret, nec nova institutione opus fuisset: at cum de novo sanctum, & majori claritate, & præstantiori sanguine, quam hircorum & vitulorum, teste Apostolo (c) illustratum, atq; confirmatum sit; Sceleratè pervertitur N. Testamentum, dum ejus à Christo instituta & legata

b) Ebr. 10. 1.

c) 2 Cor. 3. 7. 8. 9. 10. 11. Ebr. 9. 12.

res

res ipsa cælestis, in signum, figuram vel rem signatam violenter transfertur.

3. Sic n. 1. V.T. Sacramenta in significando longè prævalebunt, imò sacrificia V. T. pro Sacramentis acceptanda erunt: cum clarius Christi passionem & mortem (ut ex mactatione & esu agni Paschalis patet) repræsentent, quam N. T. Sacramenta. ἀβελόγον hoc καὶ ἄτοπον. 2. Sublatum erit discrimen omnium Sacramentorum; si enim analogiâ significativâ omnia sacramenta definiantur, non poterit dari specifica cujusq; differentia. 3. Imò actio sacramentalis excludetur, & extra eam erit Sacramentum. 4. Tot erunt Sacramenta, quod signa externa, cælestia bona significantia.

4. Quandò verò vocem signi ut antè monuimus, S. Patres (d), vel de sola terrena re usurpânt, non more Calviniano, realem præsentiam rei cælestis negare, sed indicare volunt, rem cælestem, maximè in S. S. Cænâ, in propriâ suâ formâ præsentem non videri & sentiri, sed sub alterius rei terrenæ specie præsentem porrigi; vel de utraq; re, ut nostrates plurimi, accipiunt, tùm id faciunt respectu causæ finalis, quod fruitio Sacramentalis utriusq; rei terrenæ & cælestis, per fidem obsignet, imò & conferat gratiam Dei & salutem æternam. Atq; sic sensu Orthodoxo, Sacramenta sunt signa non Calviniana, sed exhibitiva: & signata, non ad alteram partem essentialem, sed ad finem, usum & fructum Sacramentorum, referuntur.

d) Basilius, Ambrosius, Tertullian. Augustinus, Cyprianus.

5. Si verò signata, pro altera parte essentiali sumantur, nihilominus tamen Sacramenta posse esse signa & res ipsa quam significant, sive signa posse esse signata, probatur exemplis scripturæ. Christus enim apud Esaiam vocatur radix Jesse, qui stet in signum populorum. Et Simeon eum dicit positum in signum, cui contradicatur. Sic Christus ipse Pharisæis signum poscentibus, seipsum illis signum futurum respondet his verbis: Sicut Jonas fuit signum Ninivitis, ita erit filius hominis (signum) isti generationi. In novissimo die dicitur appariturum signum filij hominis: quod explicatur

catur alibi his verbis: tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli (a). Ex hisce exemplis, in quibus Christus signum signatum, seu res ipsa dicitur; signum posse esse ipsum signatum liquidò constat.

a) Esa. 11. 10. Luc. 2. 34. c. 11. 30. Matt. 24. 30. Luc. 21. 27.

Error Quartus.

Duos constituunt Sacramentorum Dispensatores: Ministrum Ecclesiæ, qui rem terrenam tantùm administret; & Christum, qui cælestem communicet.

Vide Calvinismum D. Lyseri. Cõc. 6. f. 178. Et Tom. 2. Giess. Disp. 6. th. 26.

REFUTATIO.

Volunt quidem aliquam Sacramentis authoritatem concedere, sed non id secundum eorum institutionem, verùm proprii cerebelli figmentum, faciunt.

1. *Institutio enim cujusq; Sacramenti nescit duos, sed unum tantùm dispensatorem agnoscit, ipsum Deum, qui per ministros suos Sacramenta nobis communicat. Et si Christo credunt; ministris verbi, integri Sacramenti administrationem negare non possunt, quam illis expresso mandato esse cõmissam, in utriusq; institutione legim°.*

2. *Vnde Apostolus seipsum, Ministros q; Ecclesiæ nominat dispensatores mysteriorum Dei, & cooperarios Dei (a), indicans, Deum per illorum ministerium, tanquam medium & instrumentum, non rem tantùm in Sacramentis terrenam, sed mysteria sua dispensare, & salutem operari æternam: & hujus sui enunciati habuit authoritatem ex immediata sui vocatione, in qua Electum Christi organum se constitutum esse, edoctus fuit ab Anania (b).*

a) 1 Cor. 1. 1. c. 3, 5. 6. 9. c. 4. 1.

b) Act. 9. 15.

3. *Tum quoq; ut non duo, sed unus ab Apostolo (c) statuitur baptismus, sic idem de Cæna Domini judicium est. Quando v. Adversarij duos Dispensatores constituunt, duos baptismos & duas cænas contra Apostolum & ipsam institutionem, faciant necesse est.*

c) Eph. 4. 5.

4. *Eas q; longo intervallo temporis, ut de Baptismo, in mox sequenti, σὺν Θεῷ, συζητήσει videbimus; & locorum, ut tractatione de Cæna suo loco edocebimur; distantes. Atq; sic violenter & blasphemè rem terrenam atq; cælestem à Christo in utroq; Sacramento ar-*

Etissim

ctissimè unita & copulata distrahunt & separant. Imò Papisticum sacrilegium hac distractione committunt, rem enim cælestem, ut illi alteram è cæna partem, sic & è Sacramentis, quantum quidem in ipsis, Ecclesiæ surripiunt.

5. Atq; nuda symbola & rem terrenam, ut antea vidimus, pro Sacramento & mysterio magno obtrudere satagunt: cùm tamen nuda & sola aqua non constituat baptismum, sed administrata in nomine S. S. Triados, quæ constet non nudo elemento, sed Divini quoq; Spiritus præsentiâ & operatione, atq; sic sit lavacrum aquæ in verbo (d). Sic non tantum panis & vinum, sed & corpus & sanguis in cænâ, faciunt Sacramentum.

d) Matt. 28. 19. Ioh. 3. 5. Eph. 5. 26.

6. Accedit & hoc, si in dispensatione Sacramentorum Ministrum à Deo separent; quod hominis seorsim considerati actionem, vel pro Divino agnoscant Sacramento, id quod scripturæ minimè est consonum (e); vel eam ipsam, omni spolient authoritate, reliquis q; sive Ecclesiasticis sive Politicis actionibus, non sine insigni contumeliâ, haud multum absimilem faciant:

c) Rom. 15. 18. 1 Cor. 3. 6. 2 Cor. 3. 4. 5.

Error Quintus.

Sacramenta non corpore, sed fide percipiuntur.

REFUTATIO.

Abdias Liberinus in Syntag. f. 7. a) Vide D. Lyseri Calvinismum cõc. 6. f. 178. Et D. Mamphrasij præfat. vber 100. Vnwarheiten der Calvinisten M. Zachæi Fabri.

Distinguunt Calviniani inter hominem externum & internum seu spiritualem (a), verùm nec Theologicè, sensu Apostolico (b), nec Physicè. Per externum enim hominem intelligunt corpus, per internum verò, animam; & illud, nil nisi nuda symbola, hanc verò rem cælestem, percipere tradunt.

b) Rom 7. 22. 1 Cor. 15. 45. 2 Cor. 4. 16.

1. Atq; sic etiam ἀπουσίαν rei cælestis in Sacramento de qua suo loco uberius, confirmare conantur, sed frustrà. In utroq; enim Sacramento utriusq; rei, terrenæ & cælestis, tam hujus quam illius, à toto homine percipiendæ & usurpandæ, fit mentio, ejusq; actio seu λῆψις non fide, quæ ad fructum & effectum cujusq; Sacramenti pertinet; sed ablutione aquæ in Baptismo, & manducatione & bibitione corporis & sanguinis Christi in S. S. Cænâ, describitur.

2. Sed

2. Sed & in hoc errore usitatam sibi ἀπολογίαν retinent. Cum enim rem terrenam utriusq; Sacramenti, pro integro acceptent Sacramento, ut primus Error habet, absurdi hic sunt, quod Sacramenta corpore percipi negent.

3. Quia verò non nuda Elementa, sed cum illis etiàm res cælestis, ut superius probatum constituat & perficiat Sacramenta, etiam utraq; nisi integrum Sacramentum communicantibus negare velint corpore percipi necesse est, quamvis tùm diverso modo, secundũ præsentiam rei terrenæ localem & Physicam; rei verò cælestis illocalem & Divinam: tùm utriusq; partis Sacramentorum eodem modo Sacramentali & corporali seu orali.

4. Quod itaq; rei cælesti in Sacramentis per se & ἀμέσως non competit, id ei ἐμμέσως & quasi per accidens, mediantibus symbolis, propter Sacramentalem, eamq; arctissimam unionem tribuitur, ut nimirum corpore etiam percipiatur, quod aliàs rei terrenæ tantùm competit.

5. Et id impossibile non esse, sed rem cælestem cum terrena posse uniri, & per instrumenta corporea communicari, probatur; unione Spiritus Sancti cum forma columbæ, ob quam Spiritus S. verè dicitur descendere, quod tamen columbæ tantùm competebat: Collatione Spiritus Sancti mediante halitu à Christo discipulis factâ: Prædicato verbo, quod auribus percipitur & corde custoditur: inhabitatione Spiritus Sancti, in cordibus piorum (c). Ergò Christo quoq; impossibile, etsi rationi videatur, non erit, rem cælestem cum terrena, in Sacramentis juxta suam institutionem, unire atq; corpori communicare.

c) Mat. 3. 16. Ioh. 20. 22. Luc. 8. 15. cap. 11. 28. Act. 10. 44. 45. 1 Cor. 6. 19

6. Aliàs enim, Sacramentali unione negatâ, res cælestis à terrena longissimè discerpetur: Sacramenta annihilabuntur: Institutio Christi negabitur: totaq; Sacramentalis actio, quæ consistit in ἀλογίᾳ καὶ λήψοδοσίᾳ, quia corporalis est, ad Sacramenta non pertinebit: Epicureus contemptus Sacramentorum orietur, cum extra institutionem, Sacramenta percipere fide quis possit.

Error Sextus.

Sacramenta pendent à fide sumentis, velut à causa formali. ¶ Qui sine fide utuntur sacris signis, non percipiunt ipsum formale Sacramentorum, sed nudum tantùm materiale.

Piscator cont. Hoffman. f. 147. Keckermannus lib. 3. Syst. Theol. c. 8, f. 446.

REFUTATIO.

Vicinus est priori hic error, quo non tantùm fide percipi Sacramenta tradunt, sed eandem etiam faciunt quidam formam Sacramentorum, ita ut à fide utentis tanquam à causa formali Sacramenta dependeant: quod Papismo non est absimile; præsertim cum dignitatem personæ adjungant (a).

a) Vide D. Olear. vorzeichnus mehr den 200. irrthumb Artic. 8. f. 61.

1. Sed respondemus, Sacramenta non pendere à fide utentis, sed veritate instituentis. Fides enim non ad formam sed finem & usum Sacramentorum referenda: Verba verò institutionis in quocunq; Sacramento, describunt formam essentialem uniuscujusq; Sacramenti, actione, quæ in ἐκλογῇ καὶ λήψει consistit, ut antè dictum.

2. Et ut verbo dicamus: Si fides statui debet forma Sacramentorum: 1. Peribit discrimen Sacramentorum utriusq; Testamenti, & sic unicum tantum erit Sacramentum. 2. Quælibet actiones, quæ fide fiunt, Sacramenta erunt. 3. Plus tribuetur fidei quam institutioni. 4. Et nunquam ea (fides) à Sacramentis, ceu eorum forma abesse poterit. 5. Vel si absit, ut in credentibus, erit extra Sacramenta, & sic non pro forma eorum agnoscenda. 6. Vel fide præditi semper Sacramenta habebunt. 7. Atq; sic Sacramentis secundum eorum institutionem non indigebunt. 8. Imò incredulitas hominum ipsam institutionem evertet: sublatâ enim formâ, tollitur res ipsa. 9. Infantes, quibus fidem non concedunt, verum baptismum non percipient, atq; propterea necessariò, juxta regulam Christi: Nisi quis renatus fuerit, &c. *ad annos discretionis perventi, rebaptizandi erunt. 10. Hypocritæ & fide carentes Sacramentum verum non communicabunt.*

3. Con-

3. *Concludimus itaq; Augustini notatu dignis verbis (b): Non interest, cum de integritate Sacramenti quæritur, quid credat, aut quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad sacramenti quæstionem nihil interest. Fieri enim potest, ut homo integrum habeat Sacramentum & perversam fidem.*

b) lib. 3. cõt. Donatist. cap. 14.

Caput Secundum.

De Fine & usu Sacramentorum.

Error Primus.

Est Papisticum figmentum & πρῶτον ψεῦδος, si quis dicit, Sacramenta vim justificandi & salvandi habere.

Grynæus in disput. Heidelberg. habita An. 84. th. 21. Piscator in Bibl. Germ. Actor. 7. doctr. 1.

REFUTATIO.

Etsi quidam ex Calvinianis finem principalem Sacramentorum, qui est, ut per ea, gratia Dei offeratur, conferatur & obsignetur, salusq; æterna apprehendatur, agnoscere videntur (a); tamen id frigidè & imperfectè faciunt, plurimi verò eum negant, & minus principalem finem Sacramentorum tantum agnoscunt, contendentes, Sacramenta non offerre vel conferre, imò ne quidem obsignare, sed prius acceptam gratiam tantùm figurare, & externo signo testificari benevolentiam Dei erga nos. Item, externa tantum esse symbola, quibus testemnr, quales nos simus, & quodnam sit nostrum officium (b). Quare ad probationem principalis finis Sacramentorum, sequentes producimus rationes.

a) Beza in dialog. f. 14. Capito in lib. de Missa. Cureus in Exegesi f. 88.

b) Calvinus in Catech. f. 15. In Epist. f. 144. Cingl. de Bapt. cont. Anabap. Tom. 2. f. 663. Bulling. in cap. 4. Rom.

1. *Ex promissione hujus finis, Sacramentis addita à Christo ipso, quando post recensitas partes συσταικὰς utriusq; sacramenti, addit: quicunq; crediderit & baptizatus fuerit salvus erit. Et in institutione cænæ suæ: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod* pro vobis *traditur. Hic est sanguis N. T. qui* pro vobis *effunditur in* remissionem peccatorum (c): *indicans remissionem peccatorum, traditione corporis & effusione sanguinis partã & promeritam, per λῆψιν hujus sacramenti nobis offerri, conferri & in nobis obsignari. De baptismo plura alia extant dicta,*

c) Mar. 16. 16. Matt. 26. 28. Mar. 14. 24. Luc. 22. 19. 20. 1 Cor. 11. 24.

quæ illum, παλιγγενεσίας, remissionis & salutis consequendæ, mundationis & sanctificationis, faciunt medium, per quod Christum induamus, & in mortem Christi sepeliamur (d).

d) Ioh. 3. 36. Tit. 3. 5. Mar. 1. 4. Luc. 3. 3. Act. 2. 38. 1 Pet. 3. 21. Eph. 5. 26. Gal. 3. 27. Rom. 6. 3.

2. Ab Authoritate instituentis. Dominus enim noster Jesus Christus, cui data est omnis potestas in cælo & in terra, ille est qui sacramenta sua instituit, ordinavit, & mandavit, ut meritum suum, cujus expressam in institutione facit mentionem, per eadem tanquam media & organa, omnibus fide utentibus illis communicaret. Potest itaq; ille à se institutis sacramentis hunc usum & fructum tribuere, ut non tantùm signa benevolentiæ Divinæ, & notæ Ecclesiæ, sed maximè sint media conferentia & obsignantia.

3. A majestate utriusq; rei essentialis Sacramentorum: Cælestis, quæ est Sacrosancta Trinitas, & corpus atq; sanguis D. N. J. C. Terrenæ, quæ est aqua, & panis atq; vinum, non ratione sui usus communis, sed secundum modum ἑνώσεως sacramentalem & mysticum considerata, quem modum finis conveniens, propter quem institutus est, imitari debet, qui est non tàm externus & pædagogicus, quàm internus, cælestis & Divinus.

4. A forma Sacramentorum, quæ consistit in actione constante ἐλογίᾳ καὶ ληψοδοσίᾳ: quæ omninò indicat, in usu sacramentorum non esse utentibus negotium cum hominibus, sed cum Deo: quomodo itaq; tantùm illum externum finem, & non potius verum & principalem justificandi & salvandi homines, spectaret?

5. A proprietate sacramentorum eâ, quæ promissiones Euangelij obsignat & confirmat. Sunt enim Sacramenta quasi sigilla appensa S. S. literis, quibus quod in iis continetur, obsignatur & confirmatur, ut nimirum justitiam & salutem consequamur æternam. Ergò consequi necessum est, Sacramenta, cujus rei sunt sigilla & appendices, ejusdem & naturam imitari,

6. Ab exemplis: Abrahami, cui Deus instituens Circumcisionem, inquit (e): ponam fœdus meum inter me & te. Attende sublimiorem, quàm Calviniani Sacramentis tribuunt, finem: Davidis, qui,

e) Gen. 17. 2. 1 Reg. 17. 26. 45.

qui pugnaturus contra Goliath, Divinum ex circumcisione sibi pollicitus esse auxilium, quo etiam eum superavit. Hic si, umbram continentibus Sacramentis, finis & usus tribuitur, nisi corpus ipsum habentia cedere illis concedes, hunc, quem Calviniani Sacramentis negant finem, ultrò concedere debes, ne opus sit N. T. exempla proferre (f).

f) Matt. 3. 6. Act. 2. 38. c. 8. 36. c. 9. 19. c. 10. 47.

7. Ab interno κεντρέω, quo dignè utentes Sacramento cænæ, de collata & obsignata sibi gratia certiores, novis quasi homines facti, ex animo lætantur, sentientes in se vim justificationis, ex usu S. S. Synaxeως majorem, quam extra eum habuerunt. Non itaq; tantùm sunt signa & externa symbola gratiæ Dei, justificationis & salutis, sed efficacia media & instrumenta, per quæ Deus cælestia illa bona credentibus offert & confert.

8. Media v. & instrumenta quandò facimus Sacramenta, ultrò sequitur, nos non cum altera parte, quæ καθ' ὑπερβολὴν hîc peccat, facere, ut falsò nobis affingunt adversarij: quasi statuamus cum illis, Sacramenta ex opere operato conferre gratiam, vel eam in se continere, velut pyxis emplastrum, aut qualitas naturalis suo inhæret subjecto: sed vi veritatis instituentis, & omnipotentiæ promittentis, sacramentali ac Divino modo adesse ac dispensari.

Error Secundus.

Nos non plus verbo Dei, quàm Sacramentis: nec his plus, quàm illis tribuimus, Utraq; enim in suo genere sunt instrumenta salutis nostræ. Hoc etiam addo, exhibitionem & assequutionem salutis nostræ, & corporis ac sanguinis Christi, quod quidem ad rem ipsam attinet, nihil magis ex Sacramentis haberi, quam ex verbo Dei

Martyr in defensio. cont. Gardinerum Reg. s. f. 959. Calvin. Instit. libr. 4. c. 14. §. 14. 17.

REFUTATIO.

Verbis quidem Calviniani Sacramentis tribuunt, quod, quemadmodum verbũ Dei, ita ea etiam Christum & cælestis gratiæ thesauros nobis offerant ac proponant, sed reverâ nihil ferè, ut de verbo Dei in prima συζητήσει *vidimus, de utroq; sentiunt. Quidam enim*

enim apertè eructare non erubescunt: (a) res sacramentis significatas antea esse in homine præsentes, antequam baptismo vel cœnâ Domini utatur; non itaq; Sacramentis ascribendum esse, quod homo ante Sacramentorum usum habeat: Imò Spiritum S. trahere homines absq; hujusmodi mediis, suo afflatu. Verba Cinglij admodum sunt blasphema: Der Geist ziehet die Leute mit seinem anblasen/ohne solche geschirr. Quam tamen blasphemam opinionem non omnes, ut dictum, fovere videntur (b).

a) Cingl. in Epistol. ad Principes Germaniæ C. 4. D. 1. Tossanus contra D. Marbach. f. 334. Bulling. super 4. Cap. Rom.

b) Beza in Dialogo f. 14. & in confessione sua. Capito in lib. de Missa.

1. Respondemus itaq; ad hunc errorem, posse quidem, secundum quid, concedi, si de causa finali & effectu Sacramentorum quæstio sit, his non plus quàm verbo Dei tribui; utraq; enim sunt instrumenta & media Christum cum toto suo merito justificationis & salutis efferentia.

2. Si verò de partibus essentialibus, & causa formali, intelligatur Error, dicimus eum esse hæreticissimum. 1. In verbo enim revelatio tantùm est spiritualis: at in Sacramentis, præsertim cœnæ, etiam corporalis seu Sacramentalis 2. Vestita in sacramentis externis symbolis & Elementis; at in verbo nuda, nullum habet adjunctum externum symbolum. 3. Et hîc fit per auditum fide sola, per quam Christus inhabitat corda auditorum: illic verò etiam ore corporis, per manducationem externam, per quam Christi corpus & sanguis, communicantibus conjungitur. Etsi itaq; res ipsa communicata sit utrobiq; eadem, modus tamen communicationis est diversissimus.

c) lib. 10. c. 13. in Ioh.

3. Unde & præclarè Cyrillus (c): An fortassis putas, ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse, quæ cum in nobis fiat, nonne corporaliter quoq; facit communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare. Ibidem: Non negamus recta nos fide, charitateq; sincera Christo spiritualiter conjungi, sed nullam nobis conjunctionis rationem, secundum carnem cum illo esse, id profectò pernegamus, idq; à Divinis scripturis omnibus alienum dicimus.

DE CALVINISMO
DISPUTATIO ELENCTICA
DECIMA SEPTIMA.

Complectens Mataeologiæ Calviniana examen, in loco

DE BAPTISMO.

Quam

Doctore & Ductore S. S. Spiritu

Sub Præsidio

M. PETRI HINKELMANNI,
Verbi Divini Ministri,

privatim defendendam suscipiet

BERNHARDUS ELBERTUS
wolgast. Pom.

Habebitur disputatio. Nonis. Decemb.

ROSTOCHII
Litteris Reusnerianis, Anno 1610.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0361
DFG

ΣΥΝ ΘΕΩ

DISPVTATIO ANTICALV. XVII

DE BAPTISMO.

MAteriam disputandi eam, superiori disputatione aggressi sumus, quæ ob fertilem errorum crassitiem, adversariis hũc titulũ haud affingi, sed meritò tribui, demonstrat; quod vocentur SACRAMENTARII. Præmissa itaq; generali de Sacramentis tractatione, duorum in specie Sacramentorum N. T. doctrinam, quatenus à Sacramentariis oppugnatur, aliquot sequentibus disputationibus σὺν Θεῷ proponemus: hanc de Baptismo his duobus capitibus absolventes. 1. Erit de Substantia. 2. de Necessitate, virtute & efficacia Baptismi.

Caput Primum,
De Substantia Baptismi.
Error primus.

Ergo certè quovis alio liquore, non minus ritè, qnàm aquâ baptizarim.

Beza Colh. Epist. 2. ad Thom. Tilium f. 28. Lib. 1 Epist. f. 27. 155.

REFUTATIO.

Non est mirum consideranti, quomodo Calviniani aquæ Baptismi omnem vim purgandi à peccatis, & regenerandi ad vitam, ut secundo capite videbimus, detrahunt; quare Beza cũ suis asseclis in mutanda altera parte substantiali se tam facilem præbeat; sed potius mirandum, cur non omnes suæ farinæ homines, (plurimi enim cum eo non faciunt) in mutatione aquæ cum quovis alio liquore, sibi astipulatores habeat.

1. *Sed non licet illis, neq; impunè cuiquam, aquam alio liquore permutare; est enim illa de substantiâ Baptismi ab ipso Christo,*

a) Matt. 28. 19. Ioh. 3. 5. Eph. 5. 26. 1. Ioh. 5. 8.

quamvis non in ipsa institutione (a) nominata, tamen ante eam indicata: nisi enim, inquit, quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi regnum cælorum. Et ab Apostolo repetita, quando Ecclesiam Christi mundari scribit lavacro aquæ in verbo. Sic quando Johannes triplicis in terra testimonii facit mentionem, ponit aquam, quâ baptismum notari, extra controversiam est positum. Ne hîc quicquam de typis, (b) quibus Baptismus præfiguratus fuit, addamus.

b) Exod. 13. 21. c. 14. 22. 1. Cor. 10. 1. 2. Gen. 7. 17. 1. Petr. 2. 20. 21.

2. Tum & evidens hujus elementi probatio ex Baptismo Johannis, qui aquâ constitit, peti potest. Ipse enim Johannes se missum esse immediatè à Deo, inquit, ut baptizet in aqua (c): Quemadmodum & legitur, quod Hierosolyma & omnis Judæa, & omnis regio circa Iordanem exierit ad Johannem, & baptizata fuerit ab eo in Iordane. Quod itaq; Deus mandavit & Christus ordinavit, id homini ulli fas non est immutare.

c) Ioh. 1. 31. 33. Matt. 3. 6.

3. Vel si faciat, S. S. Trinitatis nomine abutetur, copulans illud contra Dei mandatum & ordinationem, cum alio quodam Elemento (vino, lacte, aut alio liquore, substantiâ suâ ab aqua diverso) cum quo per nullum verbum Dei hoc modo copulatum sit. Non enim DEus ulli rei alÿ se vult alligari, ad quam se verbo suo non alligavit.

4. Et quia talis ablutio, alio liquore facta, destituatur omni verbo Dei, ex fide quoq; quam semper verbo Dei niti necesse est, fieri non potest. Atq; propterea non tantùm omni ἐνεργείᾳ Baptismum spoliabit & evacuabit, verùm etiam peccatum erit longè atrocissimum: quicquid enim non ex fide, peccatum est.

5. Omnis deniq; consolatio conscientÿs eripietur; quia nullam regenerationem, nullam stipulationem bonæ conscientiæ coram Deo, nullam salutem homo sibi ex baptismo polliceri poterit; cum hæc omnia lavacro aquæ, quo tinctus non sit, adscribantur (d).

d) Ioh. 3. 5. Eph. 5. 26. 1. Pet. 3. 21.

Error secundus.

Chri-

Christus (instituens Baptismum) Externum aquæ lavacrum mandavit.

REFUTATIO.

Quomodo Calviniani in eo, quod externa symbola & Elementa pro Sacramentis agnoscant, graviter hallucinentur, præcedenti disputatione rationibus quinq; demonstravimus, quæ huic errori quoque opponi possunt: quibus sequentes addimus.

1. Quod hoc suo errore ἀπροσώπως contradicant ipsi Christo ejusq; Apostolis. Christus enim in institutione Baptismi, non tam facit mentionem aquæ, quàm illius usus seu usurpationis, certo verbo mandati & promissionis designatæ & expressæ. Et in colloquio cum Nicodemo aquæ conjungit spiritum. Sic Paulus Baptismum nominat lavacrum aquæ in verbo; ut indicet hanc aquam Baptismi esse certâ formâ, quæ in actione sacramentali consistit, institutam, & in organon & medium regenerationis destinatam & consecratam.

2. Insignia illa elogia, quæ Baptismo tribuuntur, pro externo tantùm aquæ lavacro eum accipi, minimè concedunt. Christus enim de Pharisæis & Legisperitis non baptizatis à Johanne, inquit (a), quod consilium Dei spreverint adversus semetipsos. Indicans Baptismum ritè, secundum institutionem administratum, esse ex Dei, adeòq; S. S. Triados, in institutione expressæ, consilio & decreto profectum: atq; ideò non pro externo tantùm lavacro aquæ, sed maximè pro efficaci medio, cui Deus donum regenerationis & salutis alligaverit, acceptandum. Quare & ab Apostolo vocatur lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti. Et à Petro, stipulatio bonæ conscientiæ: quæ soli & nudæ ablutioni aquæ tribui non possunt.

3. Vndè & B. Lutherus in parvo suo Catechismo describit Baptismum, quod non sit simpliciter aqua, sed quæ Divino mandato inclusa, & verbo Dei comprehensa sit. In his verbis (institutionis Baptismi) primùm tibi notandum & expendendum venit, hîc extare Dei mandatum & institutionem, ne dubitemus, Baptismum rem

Catech. Heidelber. Anno 66. f. 33. Brema recusus f. 32. Ursinus in Comp. Doct. Christiana f. 524.

a) Luc. 7. 30. Tit. 3. 5. 1. Pet. 3. 21.

Divinam esse, non ab hominibus excogitatam aut inventam, sed ab ipso Deo institutam, ad hæc severè præceptam, ut nosmet baptizandos offeramus, aut non salvari nos posse: ne quis in eam fortè cogitationem veniat, rem esse tam leviculam, ac rubeam novam tunicam induere. In hoc enim summa vis & virtus pendet, ut Baptismum veluti rem præclaram ac pretiosam magni æstimemus. De eo enim vel maximè pugnamus & dimicamus: siquidem jam mundus ita refertus est sectis, vociferantibus, Baptismum esse rem externam, rem externā verò nullius esse usus aut momenti. Et paulò pòst: Interrogatus quid Baptismus sit? ita respondet: non esse prorsus aquam simplicem, sed ejusmodi, quæ verbo & præcepto Dei comprehensa, & illi inclusa sit; & per hoc sanctificata, ita ut nihil aliud sit, quàm Dei seu Divina aqua, non quod aqua hæc per sese, quâvis aliâ sit præstantior, sed quod ei verbum ac præceptum Dei accesserit. Quocirca mera sycophantia est, & diaboli illusio, quod hodie nostri novi spiritus, ut blasphement & contumelia afficiant Baptismum, verbum & institutionem Dei ab eo divellunt, nec aliter intuentur eum, quàm aquam è puteo haustam, ac deinceps ita blasphemo ore blaterant: quid verò utilitatis manus aquæ plena præstaret animæ? Quis verò adeò vecors & inops animi est, qui hoc ignoret, divulsis Baptismi partibus, aquam esse aquam? Quâ verò fronte tu tibi tantum sumis, ut non verearis ab ordinatione Dei pretiosissimum κειμήλιον avellere, quo Deus illam constrinxit & inclusit, neq; inde divelli vult aut sejungi? Quippe verbum Dei, aut præceptum, item nomen Dei in aqua ipsa solet esse nucleus, qui thesaurus ipso cælo & terrâ nobilior est & præstantior. Hactenus Lutherus: cujus verba, quia admodum sunt notatu digna, huc transcribere volui.

4. Etsi itaq; aqua Baptismi cum omnibus aliis aquis sit ὁμογενὴς, ratione suæ substantiæ & naturalis essentiæ, tamen ratione usus mystici & Sacramentalis, quo Deus hanc aquam Baptismi suo nomine cohonestavit, suâq; virtute confirmavit, ab omnibus aliis aquis longissimè sejuncta, non tantum naturalis aqua est, sed etiam Divina, cæle-

cælestis, sancta & salutifera aqua', quæ quocunq; alio laudis titulo nobilitari potest, ut Lutherus loquitur: atq; propterea pro nudo externo lavacro, haberi non poterit.

5. Aut si habeatur, Baptismus esse non poterit. Non enim Baptismum constituit integrum nuda aqua, sed partem duntaxat Baptismi. Quoniam non aqua sine spiritu aut verbo Dei, quemadmodum nec verbum aut spiritus sine aqua, sed spiritus & verbum cum aqua, unum Sacramentale, Baptismum nimirum constituunt. Quia verò Adversarii aquam à munere organico prorsus remotam, in classem rerum merè naturalium redigant, atq; sic habeant merum ac nudum Elementum, non etiam (suâ opinione) habebunt Baptismum integrum, sed partem tantùm, atq; nudam externam ceremoniam Baptismi, quemadmodum Augustinus inquit (b): tolle aquam, non est Baptismus, tolle verbum, non est Baptismus. Item: Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? accedat verbum ad Elementum & fit Sacramentum,

b (Tract. 15. & 20. in Iohan.

Error tertius.

Beza in colloquio Momp. f. 436. 437. in resp. 2. ad Acta coll. Mömp. f. 44.

Externus Baptismus externo Elemento & verbo constat; internus etiam re significatâ, videlicet sanguine Christi.

REFUTATIO.

Quemadmodum duos dispensatores Sacramentorum, de quibq; priori actum συζητήσει, faciunt; ita & geminum confingunt Baptismum, alterum externum aquæ, alterum internum spiritus & sanguinis Christi, illumq; in infantia dispensari, hunc verò spiritus, seu internam regenerationem non statim eodem tempore sese exerere, sed in adultiorem ætatem, nonnunquam in extremam usq; senectutem differri garriunt (a): de quo in secundo capite.

a) Beza in colloquio Momp. f. 470. 472. Tossanus contra D. Marbach. f. 316. 350.

1. Sed refutantur ipsâ Baptismi institutione, quæ non duos, sed unum continet Baptismum, constantem Elemento aquæ, verbo mandati & promissionis incluso & comprehenso. Habebunt itaq; Adversarii utrumq; suum Baptismum, tàm externum quàm internum dis-

junctum

junctum & separatum sine Verbo Dei & institutione Christi.

2. Imò hac suâ διχοτομία, Apostoli Pauli expressis & maximè perspicuis verbis contradicunt, quibus rotundè & clarè affirmat, esse unum Dominum, unam fidem, unum Baptisma, unum Deum & Patrem nostrûm omnium (b). Et omnes nos in uno spiritu & in unum corpus baptizari. Sic in tota S.S. scriptura, ne syllabâ quidem istius gemini, à Calvinianis conficti Baptismi fit mentio, sed tantùm unus describitur Baptismus, additâ ejus virtute & operatione (c), de qua mox.

b) Eph. 4. 5. 1. Cor. 12. 13.

c) Zach. 13. 1. Mar. 1. 4. Luc. 3. 3. Joh. 3. 5. Act. 2. 38. Rom. 6. 3. Eph. 5. 26. 1. Pet. 3. 21.

3. Quem etiam unicum tantum esse, & internum non pro singulari Baptismo, sed pro effectu veri Baptismi accipi debere, sic demonstratur. Quia externus, ut vocant, Baptismus constat Elemento & verbo, quæ sunt ejus partes συστατικαὶ: per verbum autem, nisi institutionem ipsam negare velis, debes intelligere πρώτως mandatum ipsum, quod continet pronunciationem verborum integram & incorruptam, cum administratione aquæ, quæ concernit formam Baptismi, & ei esse dat, ut sit verus Baptismus, cui ἐπομένως & infallibiliter promissio regenerationis & salutis inclusa est; atq; sic internus Baptismus, non est singularis Baptismus, sed Baptismi veri efficacia & fructus.

4. Aliàs enim 1. institutio Christi negabitur, neque ad constituendum integrum & perfectum Baptismum sufficiet. 2. Sed opus habebit assumento Calviniano. 3. Quo miserè discerpetur & deformabitur. 4. Externus Baptismus erit sine fructu & effectu, atq; sic Leberide nudior. 5. Erit subjecto, objecto, tempore & opere ab interno diversus. 6. Aut omnis consolatio, quæ sat firma ex fœdere Baptismi hauritur, concidet: aut Regenerationem ab egeno & nudo Elemento, sed frustrà, expectabis.

Error Quartus.

Calvin. Volum. Epist. f. 367. Tossan. cōt. D. Marbac. f. 364.

Aquam in dicto Joh. 3. 5. quidam metaphoricè accipiunt pro spiritu: atque de Baptismo intelligi posse aut debere negant.

REFU-

Variis aliis Tropicis interpretationibus hunc locum sole meridiano clariorem, miserè detorquere, & à proprio ac genuino intellectu ad peregrinum & alienum deflectere non verentur, (a) intelligentes per aquam, alij afflictionem, alii verbum Dei, quidam quodvis medium, per quod Deus suos attrahat, nonnulli gratiam Dei, quidam Christum, alii aquam cælestem, id est, Spiritus S. illustrationem: (b) cui varietati ex suis habent, qui orthodoxè contradicunt. Bucerus enim (c) asserit, se hoc loco per aquam libenter cum Chrysostomo intelligere Baptismum. Sic & Aretius per aquam dicit intelligi Baptismum, quamvis explicationes alias non improbare videtur.

1. Sed hæc est natura & ingenium Calvinianorum, ut in fidei articulis examinandis, rationis suæ iudicio indulgentes, clarissima ac maximè perspicua S. S. Scripturæ loca, suis glossis & strophis obfuscare, atq; τὸ ἐμπὺν in Δήνοιαν, seu potius glossam contortam & violentam permutare, profligatâ temeritate attentent. Sic etiam hanc excogitârunt corruptelam, vel ad alterius partis essentialis, aquæ sc. ex Baptismo remotionem, ut non sit ad eum necessaria, quemadmodum, Beza vult: Vel ejusdem annihilationem & abjectionem, ut non sit medium per quod regeneratio offeratur & conferatur, sed tantùm significetur & repræsentetur: Verùm σωέπεια textus, hanc coactam & peregrinam glossam evidentissimè refellit.

2. Et quæ fronte audet Calvinus hanc ociosam & absurdam ταυτολογίαν affingere ipsi Christo, ac si dixisset: Nisi quis renatus fuerit ex spiritu & spiritu, non potest ingredi in regnum cælorum. Hanc enim formam loquendi, sua explicatione, quâ vult aquam hic significare Spiritum, inducit; & Christo & S. S. Scripturæ ignotam & inusitatam.

3. Quia verò Christus ex professo in illo loco & colloquio cum Nicodemo, de regeneratione agat, inquiens (d): nisi quis natus fuerit denuò non potest videre regnum Dei; Illaq; verba Nicodemus de carnali nativitate intelligeret; explicuit ea clarius modum hujus rege-

a) Vide D. Olear. vorzeichnus mehr den 200. Calvin. Irrthum contra A. C. art. 9. f. 63. 64.

b) Aret. probl. p. 1 l. 43. f. 512. Martyr. Gnalther. Beza in N. Test super Iohan. 4. Cing. Tom. 2 fol. 69.

c) In Ioh. 3. Parte 1. Problem. loc. 43. f. 512.

d) Ioh. 3. 3.

regenerationis describens his verbis: nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu: ut indicet hîc se de baptismo agere, quæ aqua & spiritu constet.

4. Cujus causam efficientem & obsignantem facit S.S. Spiritum, & instrumentalem sive medium, organum, & lavacrum regenerationis, ordinat aquam. Perindè ut Apostolus lavacro aquæ in verbo (e) describit baptismum, eiq; regenerationem ascribit. Quarè etiam consequi omnino necesse est, Christum hoc loco nihil aliud, quam Baptismi aquam notare, eiq; in efficienda regeneratione S.S. Spiritus operationem conjungere voluisse.

)Eph. 6. 26. Tit. 3. 5.

Error Quintus.

Aretius in Joh. Cap. 1.

Ego, inquit Iohannes, baptizo aqua, q. d. verùm est me baptizare, sed minister sum externi solùm baptismi. Internum administrabit verus Messias Christus.

REFUTATIO.

Quod ministrum se & non Dominum baptismi Iohannes nominaverit, rectè Calviniani dicunt: sed quod Iohannis Baptismum, à Christi (etsi non Apostolorum (a)) specie differre, cùm quibusdam aliis (b) opinantur, & indè geminum Baptismum suum extruere & confirmare conantur; id contra Baptistæ mentem fit, nec ex verbis ejus elici potest.

a) Calvin. in Inst. lib. 2. c. 9. §. 5. lib. 4. c. 15. §. 7.
b) Lombardus lib. 4. sent. distin. 2. lit. D. Conc. Trid. Sess. 7. Bellar. Tom. 2. De bapt. lib. 1. c. 20. 21, 22.
c) Mar. 1. 8. Luc. 3. 16. Joh. 1. 26.
d) Luc. 3. 2. c. 7. 29. Joh. 1. 33.

1. Non enim, quandò Baptista respondet Pharisæis, honorem Messiæ ei deferentibus, Ego Baptizo aquâ (c), ex suo Divinitùs sibi mandato Baptismo (d), externam tantùm & nudam vult facere ceremoniam, sine ulla Sp. S. vel Christi concurrente operatione; neq; geminum, substantiâ & efficaciâ diversum Baptismum constituere; sed distinguere: 1. inter suam & Christi personam, ut honorem Messiæ sibi delatum, à se removeat. 2. inter ipsum Baptismum & efficaciam ejusdem, in una eademq; actione concurrentem: q. d quandò ego Baptizo tum plus præstare non possum, quàm quod aquam exterius administro; virtutem verò internam meo ministerio adjungit Christus, qui per Baptismum meum est efficax. Atq;

sic

sic non geminum, externum & internum Baptismum constituit, sed unius ejusdemq; Baptismi actionem externam, cum efficacia internâ distinctè, ad unum ἀποτέλεσμα regenerationis concurrere, innuit.

2. Quod & ex perspicuis alijs scripturæ locis & exemplis patet. 1. Quia Iohannes dicitur Baptizasse, & prædicasse Baptismum Pœnitenciæ in remißionem peccatorum (e), quem & effectum Petrus suo Baptismo tribuit. 2. Et regenerationem Christus Baptismo Iohannis, qui antè solemnem illam Baptismi in toto orbe usurpandi institutionem, jam tùm vigebat, ascripsit. 3. Christus etiam tanquam caput, eodem, quod pro membris suis promulgandum mox erat, baptismate tingi, etsi non indiguit, voluit: ut indicaret, esse eam non ociosam ceremoniam & regenerationis dono vacuam & inanem, sed ad illud conferendum, efficax medium: seq; contactu sanctißimæ suæ carnis, nostrum Baptismum sanctificare, sicut Patres loquuntur. 4. Sic & Apostolos à Iohanne baptizatos esse, negari non potest: quo Baptismo initiati, postmodum & alios Baptizarunt; De quo baptismo proprio à Iohanne percepto, non minus, Petrus, (f) quàm de Christi Baptismo pronunciat, quod nos salvos faciat.

e) Mar. 1. 4. Luc. 3. 3. Act. 2. 28.

f) 1 Pet. 3. 21.

3. Rationes deniq;, quibus nullum, quoad fructum & efficaciam, discrimen esse inter Iohannis & Christi Baptismum probatur, has notasse sufficiat. 1. Baptismus Iohannis fuit N. Testamenti: at unum tantùm Baptismum in N. T. esse, Apostolus testis (g): 2. Patefactio S. S. Triados in Baptismo Christi illustris, eum suo fructu & efficacia carere non permittit. 3. Pharisæi & Legisperiti non baptizati à Iohanne, dicuntur spreviße consilium Dei adversus semetipsos (h): quod consilium Dei, quo Iohannis Baptismus commendatur, hunc ab interiori suo fructu & effectu, ut toto genere diversum & prorsus alium, separari non posse nec debere, satis superq; demonstrat. 4. Eadem fuit Iohannis prædicatio Euangelij de Christo ejusq; merito fide applicando, qualis fuit & ipsius Christi, quare & unius ejusdemq; prædicationis & ministerii, unus idemq; quoq; Baptismus, tanquam utriusque commune Sacramentum, sit necesse

g) Eph. 4. 6.

h) Luc. 7. 30.

est.

Caput Secundum.

De Necessitate & Efficacia Baptismi.

Error Primus.

Fateor non esse eam meam & sociorum sententiam, si quis dicat Baptismum esse ad salutem necessarium.

REFUTATIO.

Anton. Sadeel. in Resp. ad fidei Profess. Burdegalens. ad artic. 11. f. 87.88. Edit. Genev. Anno 91.

Ingenua hæc est Sadeelis pro se & sociis suis confessio, quod Baptismum non necessarium statuant ad salutem. Esse v. hanc omnium linguâ & mente, vel inde patet, quod salutem hominũ ad unũ omnes ad absolutum, media omnia antegrediens Dei decretum referunt. Ergo statuant necesse est; non esse Bapt. necessarium Electis, quia illos absolutè prædestinatos, dicunt Sanctos nasci, & hæreditario jure in fœdere contineri (a); ut superiùs ostendimus (b): neq; Reprobos juvare, quia sint absolutè rejecti. Vndè & Beza inquit (c): Salutem nostram hactenus à Baptismo suspendimus, ut nec ipsius salutis fundamentum ab eo inchoemus. Item: Sordidus est error, dicere nostræ salutis initium esse à Baptismo. Calvinus, non tantum non necessarium statuit Baptismum, verum etiam inquit (d): Quantum damni invexerit dogma illud malè expositum, Baptisma esse de necessitate salutis, pauci animadvertunt

a) Calv. Inst. lib. 4. c. 15. §. 22. c. 16. §. 24. Beza. cont. VVestph. b) Diss. 8. c. 2. Er. 3. c) In Colloq. Mõp. f. 434. Lib. 2. quæst. f. 62. d) lib. 4 Inst. c. 15. §. 20.

1. *Sed respondemus, negare, necessarium esse Baptismum ad salutem, esse errorem blasphemum in Christi verba jurejurando confirmata Nicodemo, quandò inquit: Amen Amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei. Non sine causa eadem ἐμφατικῶς, verbis significantioribus repetens: Amen Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei (e), voluit nempè hac iteratione, repetito Iuramento munitâ, summam Baptismi necessitatem, quàm maximè nobis commendare. O itaq; infelices Calvinianos, qui propriis suis fascinati & dementati opinionibus; Christo juranti fidem haud perhibent.*

e) Joh. 3. 3. 5.

2. *Quin & hoc errore se faciunt contemptores Christi mandati, ejus-*

jusq; institutionis; imò consilium Dei, non minus quàm Pharisæi non Baptizati à Iohanne, (f) quippe baptismum Iohannis non necessarium; imò inutilem, novam & superstitiosam ceremoniam judicantes; adversum semetipsos; haud cum dissimili judicij expectatione, aspernantur. Viderint itaq; ipsi, quo impunitate hoc Dei ἀμεταμέλητον consilium, mandato & institutione expressum, haud ad salutem necessarium judicare possint.

f) Luc. 7. 30.

3. Neq; enim erit baptismus deteriori loco quàm, cui successit, Circumcisio; cujus tdm absoluta ex Dei mandato necessitas, populo Israelitico incumbebat, ut masculi, cujus præputij caro non circumcisa, anima deleretur de populo suo; quia pactum Dei irritum fecerit (g). Ne itaq; pactum novum, quod renovato mandato, faciliori & clariori institutione in N. T. viget, veteri cedat, aut irritum fiat, id sub necessitatis ad salutem conditione, servari omnino decet.

g) Gen. 17. 14.

4. Quam deniq; flagitat nativitas nostra carnalis peccato pollutâ, ut eâ spiritu & aqua per Baptismum regeneratâ, in filios Dei adoptemur, & in Ecclesiæ, extra quam non est salus, gremium susceptj, gratiæ Dei, justitiæ Christi, & salutis æternæ fiamus participes. Hæc n. omnia & id genus alia cælestia bona, non nisi baptizatis contingere, certum est.

5. Ita tamen, ne infantem, qui inevitabili casu necessitatis præventus, prius in vivis esse desinit, quam hujus lavacri compos esse possit; ab hisce bonis excluſum existimemus. Potest enim Deus & vult in hoc casu, absq; hoc medio regenerationis, ad quod nos, si haberi possit, necessariò vult esse alligatos; infantes, qui inevitabili necessitate eo privantur, salvare. Non enim privatio, sed contemptus Sacramentorum damnat.

Error Secundus.

Aliquam latentem virtutem aliam aquæ (licet Sacramentali) attribuere, quam Sacramentalis significationis, existimamus vanam esse Idololatriam, qua remittendorum peccatorum, & renovandi cordis hominum vis,

Beza in Colloq. Momp. f. 433. 473. Calvin. lib. 4. Inst. c. 15. § 2. Bulling. in 1. Cor. f. 212.

ad aquam quantumvis Sacramentalem transfertur. ¶ Nos dicimus Baptismum aquæ esse lavacrum Regenerationis, hoc est significare & repræsentare Regenerationem interiorem.

REFUTATIO.

Rhetoricantur quidam multum de Baptismi virtute & efficacia, convicti insignibus elogijs eidem in S. S. Scriptura tributis, dùm verbis concedunt, Baptismum esse non nudum signum, sed medium & organum, per quod nobis cælestia bona offerantur & obsignentur (a): sed quomodo, quod dicunt, intelligant, error prodit. Est enim illis, quando cum Scriptura de Baptismo loquuntur, quod sit lavacrum Regenerationis; idem, quod significet & repræsentet Regenerationem interiorem: atq; sic per analogiam significativam, quam Baptismo tribuerunt efficaciam explicant: tàm nimirum verè certòq; ablutionem à peccatis animæ intùs præstari, quàm certò videmus corpus nostrum extrà ablui, submergi, circumdari (b). Atq; sic verbis quidem aliquam Baptismo seu aquæ Sacramentali virtutem tribuere videntur, sed reipsa eam omni sua virtute & efficacia exuunt, & regenerationem per eam fieri cum Svvenckfeldianis negant.

a) Beza in Coll. Momp. f. 455.

b) Calv. lib. 4. Inst. c. 15. §. 14. Beza in Coll. Mõp. f. 455.

1. Contra disertissima S. S. literarum testimonia, quibus Baptismus probatur esse organum & medium, per quod Deus homines verè & efficaciter virtute S. S. Spiritus regeneret, à peccatis mundet, sanctificet & salvet. Christus inquit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu non potest ingredi in regnum cælorum; ubi emphasis in iteratione jurejurando confirmata, ut antè monuimus, probè notanda. Et promissio Baptismo addita sic habet: qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Petrus in Actis: Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq; vestrum, in nomine J. C. in remissionem peccatorum. Undè & in Epistola inquit: Baptismus nos salvos facit, qui non est depositio sordium carnis, sed stipulatio bonæ conscientiæ erga Deum. Apud Paulum plura invenies & illustriora (d) ut: Quicunq; baptizati sumus in C. J. in mortem ejus baptizati sumus. Quicunq;

c) Cingl. in Confess. ad Carol. V. an. 32. art. 7. Ursinus in compend. Theol. f. 528 Beza in 2. part. Resp. ad Acta Coll. Mompelg. f. 115. 116.

d) Joh. 3. 5. Mar. 16. 16. Act. 2. 38. 1 Pet. 3. 21. Rom. 6. 3 Gal. 3. 27. Eph. 5. 26. Tit. 3. 5.

eunq; in Christum baptizati estis, Christum induistis. Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo. Deus salvos nos fecit per lavacrum Regenerationis & renovationis Spiritus S. Quæ insignia S.S. Scripturæ elogia & oracula Calvinianos occæcationis & vesaniæ coarguunt, quia virtutem regenerandi, mundandi, sanctificandi & salvandi, tàm perspicuis apertis & sole meridiano clarioribus verbis Baptismo tributam & concessam, contra conscientiam tamen eidem denegare non verentur.

2. Hisce testimonijs vel solis ad refellendum hunc errorem sufficientibus addi, & huc accommodari possunt rationes, superiori Disputatione (c) pro efficacia Sacramentorum productæ. 1. ab Authoritate Instituentis. 2. A majestate utriusq; rei Essentialis Baptismi. 3. A forma Baptismi, quæ consistit in pronunciatione verborum institutionis, & ablutione aquæ. 4. A proprietate Baptismi eâ, quâ promissiones Euangelij obsignat & confirmat. 5. Ab Exemplis V. & N. T. Quibus rationibus singulis solidissimè demonstratur, Baptismum non esse ociosam ceremoniam, aut nudum signum, sed efficax organum & medium Regenerationis & salutis.

c) Disp. 16. C. 2. Err. 1.

3. Nec parum momenti ad hanc baptismo conciliandam virtutem & efficaciam, faciunt vaticinia V. T. ut apud Esaiam (f): Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam. Ezechielem: Spargam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab universis Idolis vestris mundabo vos. Ioelem: Fons de domo Domini egredietur, & irrigabit vallem Sittim. Zachariam: In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccati & immunditiei. In Psalmo: Rivuli fluminis lætificant, civitatem Dei, sanctas habitationes Altissimi. Quæ vaticinia, cùm ijs non tantùm in sensu, sed & in verbis ipsis aptè respondeant testimonia N. T. antè citata, tanquàm e ventu ipso approbata, nos de efficacia Baptismi ne tantillum quidem dubitare monent.

f) Esa. 44. 3. Ezech. 36. 25. Joel. 3. 18. Zach. 13. 1. Psal. 46. 5.

4. Ac-

4. Accedit & hoc, quod fœderalis Dei promissio: Ero Deus tuus & seminis tui post te: annexa ipsi fœderi & pacto, quod Deus cum Abrahamo & posteris ejus iniit, quando ei Circumcisionem demandavit (g): & nomine & promissione, Baptismo, qui ei successit (h), longè antecelleret, si hic in significando & non Regenerando consisteret. Sed ἀβέλογα hæc; circumcisionem esse pactum & fœdus, Baptismũ verò, ejusdem antitypum, dici signum: illam habere annexam promissionem fœderalem: hunc esse omnis fructus & promissionis vacuum & inanem: illam esse ἐνεργῆ & recipere in fœdus: hunc v. prorsus ἀνεργῆ, ratione fructus esse otiosum. Σκίαν hoc esset præferre τῇ εἰκόνι (i); καὶ νύκτα τῇ ἡμέρᾳ.

g) Gen. 17 10
h) Col. 2, 11.

i) Ebr. 10. 1. Rom. 13. 12.

5. Rectius de hoc Sacramento senserunt & scripserunt Orthodoxi Patres. Nazianzenus enim baptismum nominat παλιγγενεσίαν: Hilarius, Sacramentum novæ nativitatis. Et Cyrillus inquit (k): Catechumenus debet baptizari, ut verum lumen agnoscat, & peccatorum omnium remissionem accipiat. Ambrosius: In baptismo utiq; remissio peccatorum omnium est. Idem: Non opus esset per aquam & Spiritum renasci, si per mandatum sufficeret erudiri. Et evacuaretur fides, quæ credit per baptismum omnia peccata dimitti, si gratia non malis & impiis, sed bonis & rectis doceretur impendi. Idem: Baptismus mors peccati est, ut alia sequatur nativitas, quæ corporis manente compagine, hominem mente innovat, sepultâ omnium malorum actuum vetustate. Augustinus: Gratiâ Dei non solum reatus omnium peccatorum solvitur, in omnibus, qui baptizantur in Christo, quod fit Spiritu regenerationis. Idem: Baptismatis munus contra originale peccatum donatum est, ut quod generatione attractum est, regeneratione detrahatur, & tamen activa quoq; peccata, quæcunq; corde, ore, opere commissa invenerit, tollit.

k) Lib. 6. c 14 in Iob. Tom. 1. lib. 1. de Pœnitent. c. 6. Tom. 2. lib. 1. de Vocat. gẽt. c. 5. Tom. 5. In Epist ad Rõ. c 6. Tom. 1. libr. 1. Retract. f. 18. Tom 3. In Enchir. ad Laurent. f. 174.

Error Tertius.

Baptismo Ecclesia publicè accipit eum, qui prius receptus est per gratiam. Non ergò adfert gratiam Baptismus, sed gratiam factam esse ei cui datur, Ecclesia testatur.

Cingl in Cõfess. ad Car. V. An. 30. art. 7. Calv. lib. 4 Instit. c. 15. §. 1. 22.

RE-

Volunt Adversarii videri, se non omnino nullam huic Christi ordinationi reverentiam deferre, dùm eam, ne prorsus rejiciant, externam faciunt tesseram & notam, quâ baptizatus in externum Ecclesiæ cætum recipiatur: Internam v. operationem gratiæ & Regenerationis, ut antè dictum, eam conferre prorsus negant, sed testari tantùm & significare affirmant gratiam jam antè acceptam, vel demum, ut mox audiemus, multis post annis, accipiendam. De ipso verò actu baptismi quando vocem oblationis & obsignationis usurpant, exponunt illam significativè & repræsentativè.

1. Sed hoc errore quoq; non levis injuria fœderi Dei fit, in quod nos per Baptismum recipi, non minus quàm olim per Circumcisionem factum, ex præclaris, de virtute & fructu baptismi, testimoniis & oraculis Divinis, cuilibet vel in S. S. literis tyroni colligere licet. At fœdus Dei longè sublimius & Divinius quid est, quàm cætus Dei, seu Ecclesia, præsertim in externa societate hominum, ut hîc accipiunt, considerata.

2. Accedit par ratio fœderis unius ejusdemq;, in quod illi in V & nos in N. T. recipimur, respectu finis; quamvis in circumstantijs, de quibus infrà (a), sit quædam diversitas. Si itaq; de circumcisione verum, quòd sit fœdus pacis & pactum gratiæ, ac ipsam fœderalem promissionem ἀκινήτως sibi conjunctissimam habeat, ut textus ipse (b), (quem negare Adversarii non possunt, etsi pro more allatrẽt) evidentissimè demonstrat; sequitur etiam irrefragabiliter Baptismum, nisi viliori & despectiori eum loco esse ἀθεολόγως statuas, in idem fœdus Dei & pactum gratiæ recipere, & simul annexam fœderalem promissionem conferre.

a) Disp. 22.

b) Gen. 17. 2. 7.

3. Idq; eò magis, quia ipsa Institutio & tota baptismi actio, quandò nomen S. S. Triados super baptizatum invocatur, innuit, non tantùm hîc fieri externam in gremium Ecclesiæ, sed potius spiritualem in fœdus Dei receptionem. Minister n: faciens secundum institutionem Christi in baptismo mentionem Trium Dei, testatur baptizatum ab hoc uno vero Deo in fœdus recipi, regenerari & sanctificari.

4. Quarè & Christus baptizari voluit, non quod ipse indigeret, sed ut contactu sui sanctissimi corporis nostrum Baptismum sanctificaret, & ex eo efficax conferendæ regenerationis & salutis medium, in nostri consolationem & confirmationem faceret.

5. Imò & cælum patuit in Baptismo Christi, ut significetur, in actione illa Sacramentali semper, cum secundum institutionem Christi peragitur, fores cæli ob peccatum occlusas, vicissim baptizato aperiri, illasq; ingrediendi copiam dari. Quarè & veteres Baptismum primam januam ad Ecclesiam & regnum cælorum dixere.

6. Et denique patefactione in Baptismo Christi factâ, S.S. Trinitas testari etiam voluit, in S.S. actione nostri Baptismi, non esse baptizato negotium cum hominibus, sed præsertim & maximè cum Deo, ut cum eo redeat in gratiam, & hoc lavacro regeneratus, in filium Dei & hæreditatem regni cælorum adoptetur. Non itaq; baptismus tàm erit externus ritus, quo Baptizati cætui externo Ecclesiæ associentur, quàm efficax medium & salutare organum, quo regenerentur, mundentur & salventur.

Error Quartus.

Ut corpus aqua abluitur: ita etiam per interiorem Baptismum Spiritus, anima à peccatis sanguine purgatur.

Beza in Colloq. Momp. f. 455 Calvin. lib. 4 Inst. c. 15. §. 14.

REFUTATIO.

Multifariam hic Error laborat: geminum constituens Baptismũ, externo nihil ultra aquæ ablutionem concedens, nisi quod interiorem ablutionem significet, quam tantùm sanguini Christi tribuit, aquam verò baptismi, ejus medium esse negat. De quibus ante dictum. Itaq; jam eam solummodo Erroris partem attingemus, quæ purgationem à peccatis seu Regenerationem hominis, vult fieri non in corpore, sed tantùm in anima (a).

a) Vide tom. 1 Gieff. Diss. 9 thes. 26. Err. 11. f. 394

1. Quem Errorem Adversarij, si institutionem Christi accurate volunt, ut debent, defendere minimè possunt. Non n. Christus instituens Baptismum, ordinavit merum & nudum externum balneum, in quo corpus à sordibus abluatur externâ aquâ, anima verò intrinsecus mundetur à peccatis sanguine Christi, sed ut totus homo consti-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0378
DFG

stans anima & corpore aquâ Baptisti aspergatur; ut gentes baptizentur, atq; hoc unico baptismo, seu aquæ Sacramentalis aspersione, in corpore & anima à peccato mundentur & repurgentur.

2. Quarè & externa illa ablutio corporis in baptismo ab Apostolo Petro planè rejicitur, annihilatur & damnatur, quando inquit (b): quæ (aqua) etiam nos nunc salvos facit (videlicet) baptismus, qui figuræ illi respondet: qui non est depositio sordium carnis, sed stipulatio bonæ conscientiæ erga Deum. Quibus verbis expressè negat, aquam baptismi ad depositionem sordium carnis seu corporis, (quæ est doctrina Calvinianorum, hoc fulmine Apostolico damnata) sed ad stipulationem bonæ conscientiæ, quæ omnia cælestia bona baptismi complectitur, esse ordinatam & institutam.

b) 1 Pet. 3. 21.

3. Non pro anima tantùm sed toto homine, qui corpore & anima corruptus & labe originali tantoperè infectus, ut propter reatum peccati, iræ Dei, morti & æternæ damnationi obnoxius sit: cui morbo hæreditario & mortifero, totam hominis massam occupanti, hoc antipharmacon Christus ordinavit & instituit, ut sit salutare lavacrum, medium & organum, quo totus homo peccato pollutus, mundetur, purgetur & regeneretur.

4. Aliàs nullum aliud daretur medium pro mundando corpore, nisi à sordibus externis, quod à Petro damnatum, coram Deo non valet. Quarè purgatâ animâ, corpus contaminatum maneret; cùm verum baptismum non perciperet, aqua: sola, quâ ablueretur, baptismum non constitueret; imò reliquis aquis quoad usum etiam, haud absimilis esset. Quin neq; internus Baptismus Spir. animam purgâs, baptismus verus esset; non n: altera seorsim considerata, ad constitutionem baptismi sufficit, sed utramq; partem συσταικὴν, ut antè dictum, necesse est ad integrum baptismum concurrere.

Error Quintus,

Quos Dominus hoc modo (arcano suo consilio) non elegit, etiamsi millies baptizarentur externo aquæ Baptismo: illis tamen nunquam fides aut Sp. S. donatur, sed justo Dei judicio relicti, sua culpâ pereunt.

Beza in Colloq. Momp. f. 469. 472.

Quemadmodum ipsum baptismum non nisi pro Electis institutum esse, de quo Errore, subsequenti statim σζητήσει *agemus, sic & efficaciam & regenerationem non nisi ad Electos pertinere, falsò sibi persuadent. sed quomodo, audivimus, & audiemus in sequentibus Erroribus: Nimirum quod* non omnes, *qui baptizantur aquâ, sive adulti, sive infantes, gratiæ Christi sint participes (a): tàm itaq; Electis, quam reprobis regenerationem negant, i. e. nullam Baptismi efficaciam agnoscunt, quod supra refutatum.*

a) *Ursinus in Compend. f. 545.*

1. Respondemus itaq; ad Errorem, Christum suum baptismum non pro Electis tantum, sed pro gentibus omnibus instituisse, ut omnes eo regenerentur & in filios Dei adoptentur, quemadmodum & in ipsa institutione, non quibus dã certis, aut tantùm Electis, sed omnibus sine discrimine baptizatis, qui crediderint, salutem promittit. Quæ institutio Christi nobis meritò in hac doctrina semper vice regulæ esse, & pluris apud nos valere debet, quam adversariorum, ex absoluto decreto, quò semper confugiunt, fabricata & conficta somnia.

2. Hæc promissio Institutioni addita, repetitur ab Apostolis, & omnibus sine discrimine & respectu personarum proponitur. Petrus n: inquit (b): Panitentiam agite, & baptizetur unusquisq; vestrum, *in nomine J. C. in remissionem peccatorum vestrorum. Et Apostolus Paulus:* Quicunq; *baptizati sumus in C. J. in mortem ejus baptizati sumus. Item:* Quicunq; *in C. baptizati estis, Christum induistis: non est Judæus, neq; Græcus, non est servus, neq; liber, non est masculus, neq; fœmina:* omnes *n:* vos unus *estis in C. I. Et alibi: In uno Spiritu* omnes nos *in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi. Et de universa Ecclesia inquit, quod Christus mundaverit* eam *lavacro aquæ in verbo. Quâ itaq; fronte Adversarij, ubi S. S. Scriptura non distinguit, distinguere audent?*

b) *Act. 2. 38. Rom. 6. 3. Gal. 3. 27. 1 Cor. 12. 13. Eph. 5. 26.*

3. Si verò, quemadmodum Sacramentum initiationis est Catholicũ, non etiam efficacia & fructus ejus ad omnes quoq; pertinere debet; tùm causam hujus particularitatis necesse est residere vel in Deo,

vel

vel in medio, vel in hominibus. Sed in Deo ἄνευ προσωπολημψίας, (absolutum nempe decretum jamdudum explosum (c) est) residere non potest. Neq; medio, sine crimine lasæ veritatis Instituentis Christi adscribi potest, hujusmodi enim Baptismum Christus non sanxit, qui non sit efficax medium & organum, omnes eo tinctos regenerandi. Si deniq; in hominibus quærenda est causa, erit ea vel indignitas, vel hypocritica malitia, obstinati enim adulti ad hoc lavacrum non admittendi. Sed indignitas esse non potest, aliàs ad unum omnes hoc παλιγγενεσίας fructu carerent, cum omnes eo sint indigni: neq; hypocritica malitia baptizati tanta potest esse, ut eâ hoc lavacrum sit enervetur, quod non amplius sit fœdus Dei. Incredulitas enim hominum, fidem Dei evacuare non potest; dona quippe & vocatio Dei sunt ἀμεταμέλητα. Et si nos negaverimus, ipse fidelis manet, negare seipsum non potest (d). Pactum itaq; & fœdus Baptismi ex parte Dei manet firmum & immotum, ita, ut hypocrita verum Baptismum & fœdus ipsum Dei, quamvis non fœderis fructum percipiat; quem tamen Dominus vi initi fœderis, baptizato semper vult ita esse expositum, ut quàm primum ille convertatur, Baptismus, quamvis in hypocrisi & sine fide perceptus, nihilominus tamen ei tùm sit salutaris.

c) Disp. 7. th. 1. Er. 1.

d) Rom. 3. 3. c. 11 19. 2. Tim 2. 13.

4. Deniq; Baptismi efficaciam non ad solos Electos pertinere, probatur exemplis omnium, sive in infantia, sive in adolescentia sive in virili, vel senili ætate baptizatorum, quos plurimos, proh dolor, haud esse electos non dubitatur; & tamen verum Baptismum, & illos in infantia baptizatos etiam fructum Baptismi, omnes percipere sic demonstratur. Quia illis reprobis baptizatis si post acceptum Baptismum peccatis se vicissim polluant, & gratiâ Dei excidant, semper in hac vita delicti venia & gratiæ janua patet, vi hujus cum Deo semel initi fœderis; ne opus sit illud iterare; sed recipiuntur, quandocunq; per fidem & pœnitentiam redeunt, quod fieri non posset, si Baptismus fructu suo vacuus, illis collatus fuisset.

Error Sextus.

Neq; dixi pueros vel omnes vel aliquos re ipsa in illo Baptismi momento

Beza in Præfat. Respons. ad acta Coll. Momp. In Coll. Momp. f. 435. 470.

momento regenerari: sed regenerationis beneficium suo demum tempore divinitùs ordinato illum Baptismi actum in infantibus ex verbi auditu subsequi.

REFUTATIO.

Rotunda hæc & aperta confessio Bezæ, omnium suorum sociorum prodit animum & sensum, ut eum verbis amplius tegere & palliare non possint; quod nimirum spolient & exuant Baptismum omni suo fructu & efficacia(a). Id quod ex superiori errore secundo constat satis, & hic bifariam probatur. 1. Si n: neq; omnes neq; aliquos infantes regenerari vult Beza, nulli statuit Baptismum conferre regenerationem. 2. Quam non oriri dicit à Baptismo, sed ab alio planè diverso principio, nempe ab auditu verbi, & quidem longo tempore pòst, in ætate adultiori, vel etiam senili.

a) Tossanus contra D. Marbach. f. 316. 350.

1. Sed tàm est hic error sordidus & crassus, ut suâ propriâ fæditate abominabilis, apud rectè judicantes refutatione operosâ non indigeat. Διαῤῥήδην enim ille dictis superius citatis contradicit, quæ disertis & perspicuis verbis, Baptismo sive lavacro aquæ in verbo, tribuunt regenerationem, emundationem, sanctificationem, Christi ejusq; meriti & mortis participationem, vitam & salutem, &c. Quæ effecta baptismi si cuiquam unquam, certè infantibus, qui obicem ponere & hypocrisin alere non possunt, obtingent. Vndè & Apostolus inquit(b): Quicunq; (intellige maximè omnes infantes) baptizati sunt in C. I. in mortem ejus baptizati sunt & Christum induerunt. In mortem a. Christi baptizari, Christumq; induere nemo absq; Regenerationis gratia potest.

b) Rom. 6. 3 Gal. 3. 27.

2. Sin minus, neq; verum baptismum percipient; Christus n. hujusmodi baptismum non instituit, non mandavit, qui sit ociosus, & regenerationis efficacia omnino vacuus & expers, sed quo baptizati regenerentur, mundentur & salventur. Quia v. Beza cum suis, in baptismo parvulorũ nullam omnino regenerationem fieri scriptitat, hujusmodi Baptismum, quem Christus neq; instituit neq; ordinavit unquam, nobis obtrudit.

3. Imò cum Anabaptistis Pædobaptismum prorsus rejicit & in favillas redigit, etsi eum omnes admittant & tolerent. Satius verò

foret

foret & consultius, infantes tàm diu à baptismo suspendere, donec ex auditu verbi fidem habere & salutari efficacia baptismi frui possint, quàm eos baptismate in infantia omni regeneratione vacuo, tingere. Quemadmodum & adultorum, hypocritarum vel nondum conversorum baptismus, rectius in tempus pœnitentiæ & conversionis differtur, quam sine fide & pœnitentia conferatur.

4. Sed & nefariè Calviniani regenerationem à Baptismo sequestrant, & in id tempus, quo auditus verbi possint esse pueri capaces rejiciunt. Sequin. inde necesse est. 1. In Pædobaptismo ne quidem respectu institutionis Christi ullam fieri regenerationem. 2. Imò & quemcunq; baptismum esse cassa nuce inaniorem. 3. Atq; propterea negligendum & omittendum. 4. Omnes infantes, ante auditus verbi perceptionem morte præventos, sine regeneratione decedere, atq; vitam æternam non consequi. 5. Vel regenerationem & sanctitatem trahere à parentibus, quod superius refutatum (c).

5. His addimus testimonia Augustini, qui inquit (d): Cum per baptismi Sacramentum morti Christi conformantur infantes, eos à serpentis morsu fatendum est liberari, si à Christianæ fidei regula nolumus aberrare. Idem: Hoc est propter quod parvuli baptizantur, ut non solum regni Christi fruantur bono, verùm & à malo regni mortis eruantur.

c) Disp. 8. c. 2. Er. 3.

d) Tom. 7. lib. 2. cont. Pelagianos f. 711 712. 970.

Error Septimus.

Etsi propria fide, præsertim actuali, carent infantes, tamen ex formula fœderis: Ero Deus tibi & semini tuo Gen. 17. 7. à parentibus ipsorum sibi & suis liberis per fidem apprehensi (qua etiam ratione sancti vocantur 1 Cor. 7. 14.) meritò baptizantur, & adoptionis fructu donari probabiliter censentur, relictis Deo arcanis suis judicijs.

a) Beza in Coll. Momp. f. 455.

REFUTATIO.

Multa in hoc errore miscentur, ex quibus ea, quæ de fide apprehensi fœderis à parentib⁹ quod liberis profit (a), quod alibi prolixius & apertius persequitur (b): de sanctitate liberorũ extra Baptismũ: de arcanis Dei judicys seu absoluto decreto habet, antè refutavimus (b). Itaq; jam tantum ad hæc duo breviter. Quod statuit, 1. Infantes fide propriâ carere. 2. adoptionis fructu probabiliter donari.

a) Vide D. Hun. ert. de Sacram. cap. 12 f. 274.

b) In part. 2. resp. ad Act. Mompelg f. 99. & seqq.

c) Disp 12 c. 2. Er. 5. Disp 8. c. 1. Er 3. Disp. 7. c. 1. Er. 2.

1. Quod

1. *Quod itaq; infantes careant fide, non minus impiè, quam manifestè falsò asseritur ab Adversarijs. Christus enim iàm clarioribus & perspicuis verbis, ut clarioribus non posset, tribuit illis fidem inquiens* (d): *Quicunq; offenderit unum ex minimis his qui in me credunt, &c. quod dictum vel unicum satis apertum & lucidum, testatur, infantes, etsi usu rationis careant, qui aliàs magis impedit quàm promovet fidem; tamen modo nobis incognito & imperscrutabili, credere.*

d) Matt. 18. 6.

2. *Quod & evidentissimè constat ex regeneratione, alijsq; cælestibus bonis, quæ infantibus per baptismum conferri, in refutatione præcedentis erroris demonstratum: sed illa omnia cum fide ita connexa sunt, ut se mutuo ponant & tollant. Quarè demonstratis his bonis, quod per Baptismum infantibus conferantur, fide quoq;, quâ solâ fit applicatio, illi carere non possunt.*

3. *Imò quia infantes Christus ad se venire, nec quenquam de minimis istis perire vult; & illorum esse regnum cælorum asseverat* (e); *liquidò indè constat infantes Christo perplacere: Cum verò nemo absq; fide, Deo placere, ad Christum venire, & regnum cælorum ingredi possit: Sequitur ἀποδεικτικῶς, infantes absq; fide esse non posse.*

e) Matt. 18. 3. 14. Mar. 10. 14. 15.

4. *Cujus assertionis illustre nobis suppeditat exemplum, Johan. Bapt. S. S. Spiritu adhuc in utero materno repletus: quod etsi sit singulare, tamen demonstrat, infantes posse fidei, ut Johannes extraordinario, ita nostros ordinario maximè modo, per baptismum fieri & esse capaces.*

5. *Quemadmodum & olim Israelitarum liberis circumcisio fuit signaculum justitiæ fidei. Sicut itaq; Apostolo* (f) *teste, infantes V. T. ex circumcisione fide donati sunt, quâ justitiam, quæ fides dicitur, apprehenderunt, etiam nostri infantes in N. T. cum deteriori loco non sint, per Baptismum fide donari poterunt.*

f) Rom. 4. 11.

6. *Etsi Beza cum socijs, infantes adoptionis fructu probabiliter donari censet (quod non probabiliter, sed verè fieri antè probatum) fide eos, sine qua adoptio fieri non potest, privare non debet, aut concedere, adoptionē ex opere operato illis conferri; Præsertim cum alibi* (g) *Baptismum in pueris faciat obsignationem adoptionis, quamvis non Regenerationis. Sed hac distinctione, quâ Spiritu vertiginis se abreptum prodit, S. S. Scripturæ contradicit, quæ ἀδιαιρέτως Fidem Adoptionem & Regenerationem connectit, in dicto Johannis* (b): *Dedit potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomen ejus, qui ex Deo nati sunt. Quod cum negare non possint, veritate convicti, quidam in suspenso relinquere se malle dicunt, quid de fide infantum in hac vitâ sit sentiendum* (i). *Alij multum de δωρέαι & semine fidei gloriantur, quos omnes fumos habere venales, & pro re, quam jactant, verba dare, ex D. Hunnio videre licet* (k).

g) In Resp. ad acta Coll. Momp. f. 22.

b) Iohan. 1. 12. 13.

i) Calv. lib. 4. Inst. cap. 16. §. 19.

k) In artic. de Sacram. cap. 12. fol. 277. 279.

DE CALVINISMO

DISPUTATIO ELENCTICA
DECIMA OCTAVA.
Complectens Mataeologiæ Calvinianæ examen, in loc.

DE BAPTISMI CIRCUMSTANTIIS ET CÆREMONIIS.

Quam

Doctore & Ductore S. S. Spiritu
Sub Præsidio
M. PETRI HINKELMANNI,
Verbi Divini Ministri,
privatim defendendam suscipiet
IOACHIMVS HINRICI
Lucovienci-Luneburgicus
Habebitur disput. 14 Cal. Jan.

ROSTOCHII
Litteris Reusnerianis, Anno 1610.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0385
DFG

ΘΤΝ ΘΕΩ.

DISPVTATIO ANTICALVIN. XIIX.

DE BAPTISMI CIRCUMSTANTIIS ET CÆREMONIIS.

CONTINUATIO.

A Generali Sacramentorum elencticâ tractatione, methodo convenientissima, ad eorundem specialem doctrinam superiori συζητήσει descendimus, facto initio à S. S. Baptismo, cujus naturâ & qualitate à fœturæ Sacramentariæ monstrosis partibus repurgatâ, nunc eos, quos in quibusdam circumstantiis & cæremoniis fovent es, hunc locum corruptiorem reddere pergunt, pensabimus. Et primò de personis baptizantibus & baptizandis: Deinde de Cæremoniis Baptismi agemus.

CAPUT PRIMUM.

De personis baptizantibus & baptizandis.

Error primus.

Satius est Baptismum in casu necessitatis omitti, quàm illicitâ mulierum usurpatione, Baptismum profanare.

Calv. in 2. Defens. cõt. VVestphalum f. 128.

REFUTATIO.

Admodum exosus est Adversariis Gynæcobaptismus; quare eum non tantum dicũt esse illicitã usurpationem, Baptismi profanationẽ, crassam superstitionem ex pessimo errore natam, cui resistendum sit usq; ad sanguinem, stultam & temerè susceptam actionem, pro nihilo & fabula ducendam (a), & nescio quibus aliis profanis & prodigiosis scommatis, blasphemo ore proscindunt & calumniantur: Verùm etiam

a) *Calvin in epist f. 43. 423. 455. Beza cont. Heshusium f. 533.*

tiam ipse Beza scribere non veretur; se malle (horrendum auditu) ab ipso Satana in cathedra ministerii sedente, & legitimum Baptismũ administrante, baptizari, quàm à muliere (b). Et tale est iudiciũ Adversariorum, non tantum de mulieris, sed cujuscunq; etiã privati hominis administrato Baptismo. Perperàm enim fieri dicunt, si privati homines Baptismi administrationem sibi sumant, esse enim partem Ecclesiastici ministerii, quod expresso Dei verbo mulieribus, imò & privatis personis interdictum (c); à solis legitimè vocatis ministris ritè administretur (d). Quamvis Calvinus, allegato loco, fateri cogatur, multis ab hinc seculis, adeoq; ab ipso ferè Ecclesiæ exordio, usu receptum fuisse, ut in periculo mortis Laici baptizarent, si minister in tempore non adesset: quia verò addit, se non videre, quàm firmâ ratione hoc defendi queat: Nos sequentes rationes producimus.

b) Vide D. Hun. art: de Sacram. c. 13. f. 308.

c) Calv. l. 4. Inst. c. 15. 20. Beza in coll. Momp. f. 435.

d) Beza quæst. 137.

1. Etsi n: Baptismus ordinariè pertineat ad munus publicum & Ecclesiasticum, peculiariter Ministris Ecclesiæ demandatum: tamen eum à mulieribus vel Laicis in casu necessitatis privatim ritè administrari, & pro vero ac efficaci Baptismo haberi posse, inde probatur: Quia etiam mulieres & quicunq; privati sunt & dicuntur regale & sanctum sacerdotium, genus electum, gens sancta, cohæredes gratiæ: ita ut in C. D. nec mas sit, nec famina, sed omnes unus simus in Christo Jesu: Baptizati in unum corpus & in unum spiritum: Vocati in una spe vocationis nostræ, ab uno Deo & Patre omnium, qui super omnes, & per omnes, in omnibus nobis operatur (e):

e) 1. Pet. 2. 5 9. Gal 3. 28. Eph. 4. 4. 5. 6.

2. Unde etsi mulieribus expressè Apostolus, publico & ordinario munere docendi interdicat (f), nihilominus tamen privatim & extraordinariè domi suæ docere iis concessum, imò & seriò injunctum esse, & dicta & exempla S. S. scripturæ testantur (g). In V. enim T. Deus severissimè mandavit, ut parentes liberis suis statuta Domini proponerent & acuerent. Et in N. T. jubet Apostolus parentes educare liberos in disciplina & admonitione Domini. Sic privatum docendi munus obiisse leguntur Aquila & Priscilla, qui assumpto præclaro Doctori Apollo diligentius viam Domini exposuerunt: quare & il,

f) 1. Cor. 14, 34. 36. 1. Tim. 2. 12.

g) Deut. 6, 7. 20. Eph. 6. 4. Rom. 16. 3.

& illos dignatur Apostolus vocare suos cooperarios. Quin & extra casum ullum necessitatis, prophetandi & docendi partes obtinuisse leguntur nonnullæ fœminæ; ut Maria soror Mosis & Aaronis; Debora, Hulda, Hanna (b) &c. Quidni itaq; iisdem (sive mulieribus, sive quibuscunq; privatis) privatum & extraordinarium baptizandi officium, urgente necessitate indulgendum esset, præsertim cum de eo nullum expressum interdictum extet, ut de docendi munere, quod nihilominus tamen laicus obire potest, imò tenetur.

b) Exod. 15. 20. Iudic. 5. 1. 4. Reg. 22. 14. Luc. 2. 36.

3. Sic quondã in V. T. circumcisio à piis fœminis administrata, nec improbata legitur, sed rata habita fuit. Ziphora enim uxor Mosis in itinere, adacta morbo mariti, stomachabunda & invita, filioli circumcisionem, hactenus à se impeditam, ipsa administravit, Deumq; sic placavit, ne maritum suum occideret. Et tempore Antiochi tyranni mulieres, quod filios suos circumcidissent, martyrio coronatæ fuerunt (i). Quæ historiæ testantur, circumcisionem, quantumvis Abrahamo demandatam, nihilominus tamen fœminis concessam fuisse. Quarè itaq; non eadem licentia administrandi Baptismum, qui circumcisioni successit (k), fœminis in N. T. concedenda esset?

i) Exod. 4. 25. 26. 1. Macchab 1. 63. 2. Macch. 6. 10. k) Col. 2. 11.

4. Præsertim propter summam Baptismi necessitatem, quâ ille nobis, si haberi potest, sub dispendio salutis severissimè commendatus est (l). Ne hîc quicquam de maxima ejus utilitate; quâ Regeneratio, emundatio à peccatis, sanctificatio & vita æterna infantibus confertur & obsignatur. Quibus omnibus, hujusmodi circumstantia externa, quæ in personis consistit, meritò cedere, atq; ad stabiliendam summã Baptismi necessitatem & utilitatem, à Christo sacrosancto iure jurando confirmatam, pædobaptismus in casu necessitatis potius à fœminis & privatis personis administrari, quàm prorsus omitti debet.

l) Iob. 3. 5.

5. Et eum irritum non esse, atq; propterea concedi meritò posse, vel inde certum est, quod Baptismi neq; integritas neq; efficacia à Personæ administrantis dignitate, sed ab instituentis authoritate dependeat. Si verò Adversarii tàm absolutè hunc ritum ordini Ecclesiastico & Clerico volunt alligatum, ut eum in casu necessitatis, quã-

do minister Ecclesiæ haberi non potest, satius & consultius existimem omitti, quàm à fœmina aut quocunq; privato dispensari; quid aliter faciunt, quàm quod tum dignitatem Personæ administrantis præferant Christi institutioni & mandato (m), tùm indignitatē pluris attendāt, quàm sacramenti integritatem, necessitatem atq; utilitatē.

m) Vide D. Olear verzeichnuß mehr deñ 200. Irrthum Calvin. cont. A. C artic, 8 f. 61.

6. Cùm tamen, ut non dignitas quicquam addit, ita quoq; indignitatem & qualitatem ineptam Personæ, Sacramento huic nihil adimere, constet ex Baptismo hæreticorum, qui si substantialia integra retineantur, admittitur. Quantò magis à fœminis Christianam religionem amplexis, & diligenter institutis, ne temerè has partes sibi sumant, sed ut substantialia, aquam & verba institutionis rectè adhibeāt; administratus Baptismus admitti, & pro rato haberi debet.

7. Quanta enim aliàs, hujus tàm ad salutem necessarii Sacramenti foret incertitudo, si non nisi legitimè vocatus Minister (ut Beza vult) verum Baptismum administrare posit. Nemo certè, si hæc vera sint, de Baptismi sui in infantia percepti integritate & viritate certus esse posset, cum semper dubitationes orirentur, an ille, à cujus manu Baptismum perceperit, sit legitimè & ordinariè vocatus? Apage illam ἑτεροδοξίαν, quæ homines munitissimo salutis præsidio dejectos, in inextricabiles tentationes præcipitat.

8. Audiamus itaq; Patrum de Laicorum & fœminarum Baptismo sententiam. Ambrosius refert, olim ob paucitatem ministrorum & Laicos & Clericos baptizasse (n). Hieron. Si cogat necessitas, baptizare licet etiam Laicis. Episcopus Alexandrinus affirmat, Judæum à Laico baptizatum esse. Et eleganter admodum Augustinus de dignitate administrantis Baptismum: Tantum valet Baptismus per hominem contemptibilem, quantum per Apostolum datus, ita nec istius, nec illius, sed Christi cognoscitur. Non enim minus baptizatus dici potest sive ab inferiore, sive à majore baptizetur. Idem: Baptismus talis est, qualis est ille, in cujus potestate datur, non talis, per cujus ministerium datur. Idem: Voluit Dominus à servo baptizari, ut doceret humilitatem, & ostenderet, non interesse, à quo quis bapti-

n) In Eph. 4. Cont. Luciferianos. Niceph l. 3. c 37. de unit. Baptismi l. 5. Super Iohan. Lib. 2. cont. Epist. Parmen. c. 17.

ptizaretur, dum eo baptismo, quo baptizandus est, baptizetur.

Error secundus.

Præceptum Christi de hominibus baptizandis ad solos Electos pertinet. *Aurelius in exa. Theol. f. 80.*

REFUTATIO.

Non in Theologia nostra quisquam tàm est tyro, qui non hunc crassum esse Calvinianorum errorem videat; quare & quidam ab eo divortium faciunt. Beza enim inquit: Infantes Christianorum meritò baptizantur (a). Sed cum nõ eandem, vel potius omnino nullam, omni Pædobaptismo tribuentes efficaciam, ex eo nudam tantum & otiosam faciant cæremoniam; ut antè demonstratum, præstigias alunt & fumos vendunt. a) in coll. Mõp f 435

1. *Quibus opponimus mandatum Christi, non speciali, sed universali nota expressum, quo jubet docere & baptizare* omnes *gentes: cui æquipollet illa Apostoli;* quicunque *baptizati estis (b); nullum, sive Judæus, sive sit Græcus, à salutari hoc lavacro arcens. Vim itaq; faciunt Adversarii huic mandato Christi universali, dum sub illo certos, eosq; Electos tantum comprehendi volunt.* b) Mat. 28 19. Rom. 6. 3. Gal 3 27.

2. *Sed & exemplis refutantur: Circumcisorum in V. T. quando sine discrimine omnis masculus, vigore legis divinæ, cogebatur circumcidi. In N. T. Judæ, Simonis magi, Hymenæi, Phileti, Alexandri; quos baptizatos, fuisse hypocritas & non Electos, dubium nullum est. Huc referendæ integræ familiæ baptizatæ ab Apostolis (c), quãvis procul dubio non omnes, qui in iis vixerunt, Electi fuerint.* c) Act. 10. 47. c. 16. 15. 33. c. 18. 8. 1. Cor. 1. 16.

3. *Nec minus firma contra errorem probatio sumitur ex illo D. Pauli (d): Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo. Quos itaq; Christus dilexit, & pro quibus seipsum tradidit, eos etiam vult sanctificare & mundare lavacro aquæ: hæc propositio est Apostoli. At dilexit non tantùm Electos, sed totam Ecclesiam, & pro ea se tradidit: hæc assumptio itidem Apostoli, aliis quoq; dictis (e) stabilitur. Ergò vult quoq; ut non tantùm Electi, sed omnes homines in Ecclesiam* d) Ephes. 5. 26.

e) Esa. 53. 6 Ioh. 1. 9. 29. c 3. 16. 2. Cor. 5. 15. Col 1. 20 1. Tim. 2. 6.

siam adsciscendi, Lavacro aquæ Baptismi mundentur & sanctificentur.

4. Quod & facilè obtinetur ex universalibus Euangelii promissionibus, de gratia Dei, remissione peccatorum, justitia & vita æterna; quæ omnibus hominibus proponuntur & offeruntur (f). Quia verò hæc bona non ἀμέσως, sed ἐμμέσως Deus, per auditum nimirum verbi & usum Sacramentorum, hominibus conferre & exhibere velit: utiq; ultrò largiendum, illa media, secundum ordinem à Christo præscriptum, nulli unquam homini esse deneganda.

f) Mat. 11. 28. Act. 10. 8. Rom. 10. 11. 1. Tim. 2 4. 2. Pet. 3. 9.

5. Præterea Baptismus institutus, ut eo tanquam antidoto præsentissimo, & alexipharmaco efficacissimo, à peccatis emundemur, regeneremur, in filios Dei adoptemur & Ecclesiæ Dei inseramur: Cùm verò omnes in iniquitatibus concipiamur, caro de carne nascamur, ac proinde naturâ filii iræ simus, alienati à Republica Israel (g), omnes quoq; hoc medio, ut eo regenueremur &c. indigemus: atq; sic ad solos Electos pertinere non potest.

g) Psal. 51 7 Iohan. 3. 6. Eph. 2. 3. 12. Esa. 1, 6. c. 48. 8. Job. 14. 4. Rom. 5. 12.

Error tertius.

Turcorum & Iudæorum infantes in nostra templa delatos, baptizandos esse negant Adversarii, quia fœderis tabulis non comprehendantur.

REFVTATIO.

Non mirum, quia in Ecclesia natis, nisi sint de numero Electorum, Baptismum negant; quod Turcorum & Judæorum liberos in templa & Ecclesiam nostram delatos, non recipiant. Quare hic error sub priori contentus, ex eo deducitur, & iisdem rationibus ferè refellitur. Fundamentum verò hujus sui erroris hoc ponunt: quod nemo nisi fidem Christianam professus, ad Baptismum rectè admittatur (a). At si hoc simpliciter verum, sequeretur etiam quos vis infantes etiam in Ecclesia natos, non rectè ad Baptismum admitti: Quid itaq; restat, nisi ut planè Pædobaptismum, ut antè dictum (b), abrogent.

Vide D. Mylii explic. in Aug: cõf: in fine art: 9. Item D. Mamphrasii Erotemata in 4. art. visitat. loc. de Bapt. f. 372.

a) Beza in responsione ad Acta Coll: f. 24.. b) Disp. 17 caq. 2.

1. Respondemus itaq; ad Errorem, eum simpliciter & absolutè intellectum

tellectum tolerari non posse. Est enim Baptismus publicum bonum Ecclesiæ non tantùm constitutæ sed & constituendæ. Quarè & Christus jubet baptizare gentes, quæ nimirum sunt extra Ecclesiam ut in Ecclesiam receptæ, cum extra eam non sit salus, fiant gratiæ Dei & salutis æternæ cohæredes. Quo respectu etiam D. Apostolus omne discrimen inter Judæum & Græcum tollit (c).

c) Matt. 28. 19. 1 Cor. 12. 13. Gal. 3. 27.

2. Tùm & praxis Apostolica testatur, non tantùm Judæos, sed omnium nationum populos ad Baptismum fuisse admissos. Petrus ad ter mille, prima concione sua, conversos ex omni natione, quæ sub cœlo est; cum interrogarent quid sibi faciendum sit, ait; Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisq. Philippus Præfectum Candaces Reginæ Aethiopum baptizat. Cornelius Centurio cohortis Italicæ cum tota familia, à D. Petro: Lydia purpurarum venditrix, & Custos carceris Philippensis, cum omnibus suis; Crispus Archisynagogus cum multis Corinthiacis, & domo Stephanæ ab Apostolo Paulo Baptismate tincti sunt (d). Quæ Apostolorum praxis nobis vice regulæ esse potest.

d) Act. 2. 5. 37. 38. c. 10. 47. c. 16. 15. 33. 1 Cor. 1. 16.

3. Quin etiam circumcisio, licet speciatim Abrahamo & semini ejus demandata, & arctis limitibus Israelitarum inclusa, non tamen tàm absolutè peculiaris fuit Israelitis, ut exteri & alienigenæ prorsus fuerint exclusi, sed se ijs adjungentes, per circumcisionem in societatem religionis Judaicæ fuerunt recepti (e). Quanto minus Baptismus, non speciali pro certis, sed generali prorsus mandato pro omnibus, promulgatus; ulli, servata institutionis methodo, denegandus erit.

e) Gen. 17. 12

4. Præsertim infantibus. Quia 1. non est voluntas patris ut unus de pusillis istis, aut ullus hominum pereat. 2. Christus vult & jubet infantes ad se adduci, horum enim dicit esse regnum cælorum, quarè etiam ijs benedicit. 3. Tradidit enim semetipsum etiam pro ijs (quia pro omnibus mortuus est) ut lavacro aquæ in verbo mundentur & sanctificentur. 4. Quo etiam maximè indigent, quia in peccatis concepti & nati, ac propterea naturâ sunt filij iræ: Quarè ijs illud non negandum (f).

f) Matt. 18. 3. 14. 1 Tim. 2. 4. 2 Pet. 3. 9. Marc. 10. 14 Eph. 5. 25. c. 2. 3.

5. Hoc tamen servato discrimine, ut illorum exterorum infantum parentes, si adhuc sint in vivis prius in orthodoxa nostra religione (g) instituantur, ut methodus institutionis Baptismi habet, quò parentibus conversis promissio illa fœderalis; Ero Deus tuus & seminis tui post te; ad illorum infantes referri possit. Si verò parentes non amplius sint superstites, vel deseruerint suos infantes: susceptis & adoptatis illis à Christianis hominibus, qui tùm parentum loco meritò habentur, hoc initiationis Sacramentum negari nulla ratione & modo debet aut potest. Quamvis D. Mamphrasius (b) sentiat, omnes infantes sine discrimine nationis, fidei, aut ullius conditionis parentum, modo ad Baptismum veniant, esse baptizandos: duplici nisus fundamento: Vniversalis mandati; Baptizate omnes gentes: & fœderalis promissionis, quã Apostolus Petrus ita effert: Vobis facta est promissio, & filijs vestris, & omnibus qui longè sunt (i).

b) In Eromatibus in 4. art. 6 sist loc. de Baptismo f. 372.

i) Act. 2. 39.

Error Quartus.

Beza in Respons. ad Quæstionem 151.

Cum omnia decenter & ordine fieri in Ecclesia oportet, sit autem Euangelij ministerij pars Baptismus: eundem locum, & verbi & Sacramẽtorum ministerio attribuendum censeo: ut in cœtu Ecclesiæ & concionibus, precibus adjunctis Baptismus administretur: neq; istos, nescio quos necessitatis casus temerè admitto.

REFUTATIO.

Leviorem hunc quidem esse Errorem, quem de circumstantia loci Beza cum suis fovet, fatendum est. Vtrò enim largimur, ordinario & usitato modo Baptismum in templis, concionibus publicis & Sacramentis propriè dicatis administrari, sed quod tam strictè illi loco soli alligari debeat, ut ne quidem per necessitatis casum alibi, in privatis ædibus, baptizare liceat, id erroneum est & superstitiosum. 1. Neq; enim ex Baptismi institutione probari potest, Christum hunc ritum certo loco alligasse, sed indifferenter, nulla facta loci mentione, Baptismum mandasse. Sunt itaq; Adversarij in Baptismi

loco

loco, cujus SS. Scriptura non meminit, asserendo, ut illi (a), percolantes culicem; & in essentia & efficacia ipsius, diserris & perspicuis verbis affirmatâ, deglutientes camelum.

2. Quin & hunc ritum nulli loco peculiariter & absolutè addictum esse, sed quovis in loco, ita tamen ut omnia εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν fiant, ritè administrari posse, testatus est proprio suo exemplo ipse Christus, qui à Iohanne cum discipulis & alijs Iudæis ad Iordanem Baptizatus est (b).

3. Nec authoritas Apostolica hic nobis deest. Conversi concione Petri, non in templo sed domo, in qua Apostoli fuerunt congregati, ab ijs baptizati leguntur. Philippus Præfectum Reginæ Candaces in via baptizavit. Cornelius cum familia & cognatis suis (c): Lydia, Custos carceris, Crispus Archisynagogus, cum tota familia, in privatis ædibus Baptismate tincti sunt.

4. Eodem modo & Circumcisionem non semper in templo, quia tantùm unicum semper fuit, administrari potuisse, nec semper in Synagogis, sed sæpius in privatis ædibus peractam fuisse constat. Filius n: Mosis in diversorio circumciditur. Sub tyrannide Antiochi, puerperæ suos infantes octavo die, non in publico loco, tùm propter persecutionem, tùm quod tam citò domo exire illis non licebat; sed in privatis ædibus circumciderunt. Et historia circumcisionis Iohannis testatur, eam præsente matre, & propterea necessariò in ædibus Zachariæ; puerperis n: ante completos purificationis dies in publicum prodire non licebat, factam fuisse (d). Si itaq; nulla in Circumcisione loci ratio habita fuit, neq; in Baptismo exacta omnino haberi debet.

5. Sed magis ipsa institutio & ordinatio attendenda & strictè servanda est, cui Christus non minus suâ gratiâ in privatis ædibus, ubi duo vel tres in nomine ejus congregati sunt, quàm in publico Ecclesiæ cætu, adesse vult. Non n: Deus suam gratiam nunc in N. T. ut olim (quamvis non cum exceptione (e), ut etiam dictum) certo loco alligavit (f).

6. Quarè etiam alterum N. T. Sacramentum ordinariè quidem

a) Matt. 23. 24.

b) Matth. 3. 13.

c) Act. 2. 4. c. 8. 18. c. 10. 47. 48. c. 16. 15. 33. c. 18. 7. 8.

d) Exod. 4. 25. 26. 1 Macchab. 1. 63. 2. Macchab. 6. 10. Luc. 1. 59. 60.

e) Exo 4. 25.

f) Joh. 4. 21. 23.

in solemni & frequenti Ecclesiæ cœtu administratur, interim tamen non minus rectè ægrotis in privatis ædibus urgente necessitate porrigitur, ut σὺν Θεῷ infrà (g) videbimus. Idem de Baptismo magis ad salutem necessario Sacramento, judicium esto. Non enim locus prædominari sed subservire debet necessitati Sacramentorum, cui si ille cedit, non quicquam veritati Sacramenti decedit, quæ ut non à dignitate personæ, ita neq; loci, sed à veritate & authoritate instituentis Christi, dependet.

g) Disput. 21.

Caput Secundum.

De quibusdam Baptismi Cæremonijs.

Error Primus.

Petrus Martyr in L. C. Class 4. loc. 9. sect. 16. Communis opinio.

Cum Scriptura nusquam mandârit, ut Exorcismi cum Baptismo conjungerentur, id non est à nobis tentandum.

REFUTATIO.

Vltrò largimur actionem ipsam Baptismi, constantem pronunciatione verborum & administratione Elementi aquæ, formam constituere Baptismi perfectã, & omnib. quod dicitur, numeris absolutã, nec ad substantiam aut veritatem Baptismi necessariò requiri cæremoniam Exorcismi, sed pro ritu suâ naturâ ἀδιαφόρῳ καὶ ἐν μέσῳ κειμένῳ haberi, ac propterea ex libertate Christiana, pro cujusvis Ecclesiæ conditione, vel retineri, vel extra casum scandali, & præjudicium libertatis, abrogari posse. Quarè nos Ecclesias A. C. addictas, propter ejus abrogationem, non damnamus; nec adversarijs propterea, quod Exorcismum non adhibent, ullam litem moveremus: Sed quia hunc ritum supra modum exagitant, eumq; tanquam Papisticum Idololatricum, Blasphemum, Magicum, Diabolicum, damnosum, &c. (a) commentum damnant: operæ pretium erit causas & rationes Exorcismi in nostris Ecclesijs hactenus retenti, & deinceps retinendi ponere hasce.

a) Vide D. Olear vorzeichnüssmehr den 200. Calvinisch Irrthumb cõt. A. C. art. 15. f. 106. D. Mylij Disput. de Exorcismo. th. 41. 42 84. 50 77. 79. 85. & 89.

1 *Quia Exorcismus qui administrationi Baptismi præmittitur, non tantùm respicit ad verba institutionis, verùm etiãm in illis continetur, & fundatur, faciens mentionem S S. Trin: & jubens exire immundum*

dum spiritum; ut indicet per baptismi mox subsecuturi actionē, spirituali Diaboli imperio, quod in infantem nondum baptizatum habet, destructo, eundem in fœdus Dei receptum iri.

2. Quin & formula Exorcismi, tàm abominabilis in oculis Antagonistarum; est ἐνεργουμένη, quamvis non in Baptismo mandata; quemadmodum ea omnibus suis partibus, tùm κατὰ τὸ ῥητὸν (b) tùm κατὰ τὴν διάνοιαν (c) ex SS. literis demonstrari potest. Cum itaq; Exorcismi verba SS. Script. ignota non sint, tàm portentosa & horrenda, ut quibusdam sunt, videri non debent.

3. Præsertim cum non corporaliter à Cacodæmone infantem obsessum esse insinuent, quemadmodum Antagonistæ novatores hac calumniâ ritum hunc pessimè traducunt; sed de spirituali obsessione, longè illâ tristiori & periculosiori, qua infantem filium iræ Divinæ, sub potestate tenebrarum atq; imperio Diaboli totum captivum teneri, quo nisi eximatur, æternùm infanti pereundum esse, admoneant. Atq; sic atrocitatis mali originalis, & extremæ miseriæ infantis nondum baptizati, pictura luculenta est Exorcismus.

4. Non n: singularem illis verbis Exorcismi, cum Pontificijs, tribuimus virtutem & efficaciam, sed ad declarandam, repræsentandā & quasi ab oculos Ecclesiæ proponendam, summam baptismi necessitatem & ingentem efficaciam, adhibemus; quod eâ infantes ex potestate tenebrarum & captivitate Satanæ erepti, factâ adoptione, in regnum filij Dei transferantur. Quâ commonefactione pia & utili de efficacia baptismi per Exorcismi formulam factâ, nemo pius & iudicio sanus unquam offendi meritò potest aut debet.

5. Et quomodò offenderetur? cùm omnibus pijs semper sit ἄσπονδον bellum cum diabolo, in quo ignitis illius telis expositi, contra insultus lethiferos stare, illisq; resistere jubentur. Quemadmodum de hac perpetua pugna, ejusq; adversus Diabolum efficaci per fidem promissa victoria, plurima in SS. literis habentur testimonia (d). Sic itaq; omnibus pijs ubiq; Diabolum cum principatu suo persequendi mandatum incumbat; quâ audaciâ quis solis Ecclesiæ ministris id non concedat? præsertim cum hic illorum Ministerij, præter annunciationem

b) Matt. 26. 63. Mar. 5. 7. 8. c. 9. 25. Luc. 11. 22. 1 Thess. 5. 27
c) Iob. 25 4. Psal. 51. 7. Eph. 2. 3. Col. 1. 13. 1 Ioh. 3. 8. 10.

d) Eph. 6. 11. 2 Cor. 10. Col. 1. 13. 1 Ioh. 5. 4. Iacob. 4. 7. Apoc. 12. 7. 8. 11.

uem & applicationem gratuiti meriti Christi, evidens quoq; finis & scopus sit, ut efficaciâ invictâ & inexpugnabili, per verbum, Sacramenta & pias preces, fortem armatum istum ex cordibus hominum exturbent & Christo lucrifaciant. Et si ubiq; Diabolo resistendum, cur id facere in Baptismo non liceat? Si n: quiquam unquam, certè Infantes ante Baptismum extra jus & societatem regni cælorum, toti sub potestate tenebrarum constituti, opus habent, ut Diabolus valere jussâ suâ tyrannide, S S. Spiritui cedat, infantesq; extorres regni cælorũ, in possessionẽ illius, postliminii q. jure, reducendos committat.

6. Tùm & Exorcismi formula δογματικῶς & σημαντικῶς ad infantis ob originale malum, miseriam, & Baptismi efficaciam designandam, adhibita, publicum nobis & solemne perhibet testimonium, nos cum impijs deliramentis, Pelagianorum, Enthusiastarum, Anabaptistarũ, Swenckfeldianorum & Cinglianorum, negantium tùm Baptismi ἐνέργειαν, tùm infantum miseriam, non facere. Quæ vel sola satis prægnans causa nos movere debet, ne in abrogatione Exorcismi propius nos illis accedere, sed retentione & approbatione longius ab illis recedere appareat. Novimus n: & damno Ecclesiæ maximo experti sumus, quàm astutè Diabolus per hujusmodi res medias, rimam invadendi Ecclesiam indagârit. Explorent itaq; & experiantur adversarij, super abrogatione adiaphororum, nostram in Orthodoxa nostra religione constantiam.

7. Nec desunt adhuc rationes, quæ non parum momenti ad Exorcismi confirmationem adferunt. 1. Quia est res adiaphora, quæ sine religionis suspicione & offensione retineri: 2. Neq; in gratiam adversariorum, ab ijs damnata, abrogari, si nomen suum retinere debet, potest. 3. Aliàs etiam ea abrogatio sine maximo infirmorum scandalo non fieret. Hunc ritum de impietate & inutilitate suspectum, apud quosvis nostræ religionis hostes & socios faceret. 5. Nos pertinaciæ insimularet, quod pro hoc ritu hactenus, tanquam pro aris & focis, tàm fortiter dimicaverimus.

8. Deniq; Exorcismum nobis commendant insignes sententiæ orthodoxæ antiquitatis. Cyprianus n: circa annum Christi 250, de efficacia

Baptismi

Baptismi asserens, Exorcismi meminit. Idem inquit: Manifestum est, Diabolum in baptismo fide credentis excludi; si fides postmodum defecerit, regredi. Gregorius Nazianzenus, qui circa annum Christi 370. vixit, in quadam oratione, inter cætera graviter suos hortatur, ne ægrè ferant prolixiorem Exorcismi in Baptismo cæremoniam. Ambrosius circa annum Christi 380. in occidentali Ecclesia ritum Baptismi describens, inquit: Vbi primum ingreditur Sacerdos, Exorcismum facit: secundò super creaturam aquæ invocationem, postea & precem defert, ut sanctificetur fons, & adsit præsentia Trinitatis æternæ. Augustinus in Africa ritum Baptismi suo tempore consuetum referens, sic scribit: Quid de ipsa forma Sacramenti loquar? Vellem aliquis istorum, qui contraria sapiunt, mihi baptizandũ parvulum afferret. Quid in illo agit Exorcism' meus, si in familia Diaboli non tenetur? Idem: Ab hac potestate tenebrarum, quarum est Diabolus princeps, i.e. à potestate Diaboli & angelorum ejus, quis-quis erui, cum baptizantur, negaverit parvulos: ipsorum Ecclesiæ Sacramentorum veritate convincitur. In veritate itaq; non in falsitate, potestas Diabolica exorcizatur in parvulis (e).

e) Lib. 4. Epist 7. De S. Baptismi lavacro. In exhortatione ad pietatem. De peccatorum Meritis & remissione lib. 1. c. 34. & c. 20. a) Diss. 23.

Error Secundus.

Cæremonias Baptismi plerasq;, ut, signum crucis, Patrinos, renunciationem Diaboli, Confessionem fidei, Baptisterium, &c. multi rejiciunt.

REFUTATIO.

In hisce cæremoniis abrogandis, non una omnium est sententia: quam diversitatem, ex libertate Christiana in rebus istis mediis, liberam habere possent, nisi negantem qui tenent, necessitatis opinionẽ urgerent: quæ necessitatis vis coacta rebus istis ἐν μέσῳ κειμένοις, (uti suo loco (a) σὺν Θεῷ hac de re agemus) planè est contraria.

1. *Respondemus itaq; ad Errorem: Quemadmodũ illas superstitiosas, & ludicras cæromonias de oleo, sale, sputo, &c. puriori antiquitati ignotas, & Baptismum magis defædantes quam commendantes, ex libertate Christiana, de consensu totius Ecclesiæ rejecimus: sic consensu eodem, sine præjudicio libertatis, reliquas, ut sunt, præter Exorcismum, de quo egimus; signum crucis, Patrini, renũciatio Satanæ, Confes-*

Confessio fidei, &c. non ex Papatu ortum ducentes, sed à primitiva Ecclesia non sine gravi consilio, & optimo fine introductas, hactenus in Ecclesiis nostris retinuimus, & deinceps retinendas statuimus: quia Baptismi administratio, non debet esse muta actio. Et quamvis verba institutionis necessariò actionem Baptismi perficiant & constituant, tamen ijs utiles commonefactiones cum precibus conjunctas præmittere, non tantùm licet, sed omnino etiam decet.

2. *Id n. commodè & utiliter fieri, ex analogia Circumcisionis constat, cui Abrahamum, commonefactionem & institutionem præmisisse dubium nullum est. Sic enim prius ab ipso Deo edoctus & institutus fuit, antequam ipsi circumcisio demandaretur (b). Et quia Deus illi hoc testimonium perhibet, quod domi suæ filijs præcepturus sit, ut custodiant viam Domini: imò quia omnes mandatum à Deo habuerint in V. T. ut docerent filios suos, maximè id in circumcisione factum esse, existimandum est. Quod itaq; in V. T. approbatum & usu receptum, in Novo improbari & omitti non debet.*

b) Gen 17 7. c. 18. 19. Deut. 4. 10. c. 6. 7. 20. 21.

3. *Si verò quis, hisce usitatis rejectis, alias novas cæremonias substituere vellet, is 1. Novatoris nomen, quod Paulus Ministrum Ecclesiæ fugere vult (c), mereret. 2. Novam videretur, præsertim apud plebeios, Baptismi formam introducere. 3. Et priorem imperfectionis arguere, vel prorsus annihilare. 4. Idq; cum maximo Ecclesiæ scandalo, & infirmorum dubitatione, an verum Baptismum perceperint. Quas causas maximè B. Lutherum movisse, ipse scribit (d), quod hasce nobis, quas adhuc retinemus, in Baptismo reliquerit cæremonias. 5. Authoritatem venerandæ antiquitatis (e) & B. Lutheri, qui hasce non sine gravi iudicio & optimo fine instituerunt & approbarunt, suis somniis & stolidæ sapientiæ postponeret.*

c) 1 Tim. 3. 6.

d) Tom. 2. Jen. f. 250.

e) August. de peccat. meritis & remiss. lib. 1. c. 34. c. 20.

4. *Retinemus itaq; eas meritò, ut habemus, non sine quodam ἐπεξηγλικῷ, quasi sine ijs Baptismus non sit verus & efficax, sed δογματικῶς & σημαντικῶς. Ut admoneamur signo crucis, 1. nos in Baptismo, remissionis peccatorum, totiusq; meriti Christi ejus cruce & sanguinis effusione acquisiti, participes fieri. 2. Et memoriam crucifixi debere in nobis Baptismate imitatis, deinceps crucifigere omne malum. 3. Nobis signo crucis notatis, semper stigmata & mortificationem crucis, in corpore nostro, maximè in capite & & corde, quæ partes notantur, circumferendam esse (f). Patrini adhibentur. 1. Ut illi infantem, qui aliàs ad Baptismum venire non posset, susceptum offerant, ut olim in Circumcisione factitatū legimus (g). 2. Et pro infante spondeant & respondeāt; Deus n. fœdus & stipulationem in Baptismo, cum eo init (h). 3. Ut ex ore maximè trium, constet Baptizato de veritate Baptismi in infantia percepti. Abrenunciatio Satanæ, probato Exorcismo, improbari non potest. Confessio fidei, per interrogationem & responsionem, ut in primitiva Ecclesia Baptismo adultorum & catechumenorum fuit adhibita, adhuc retinetur, ad probationem fidei, in quam infans baptizatur, ut eandem adultus quoq; amplectatur & confiteatur. Baptisterij eadem in Baptismo, quo Alteris in S. Cœna, est ratio, ad quod si quid respondendum erit, illuc loci (i) reservabimus.*

f) Rom. 6. 3. 4. 2 Cor. 4. 10. Gal. 6. 17.

g) Luc. 1. 59. c. 2. 22. 28.

h) 1. Pet. 3. 21.

i) Disp. 21.

DE CALVINISMO

DISPUTATIO ELENCTICA
DECIMA NONA.

Complectens Matæologiæ Calvinianæ
examen, in loco

DE S. S. COENA DOMINI, EIUSQVE VERBIS INSTITUTIONIS.

Quam

Doctore & Ductore S. S. Spiritu

Sub Præsidio

M. PETRI HINKELMANNI,
Verbi Divini Ministri,

privatim defendendam suscipiet

MARTINUS STRICHIUS
Neobrand. Megapol.

Habebitur disput. 14 Cal. Feb.

ROSTOCHII
Litteris Reusnerianis, Anno 1611.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0401
DFG

ΣΥΝ ΘΕΩ.

DISPVTATIO ANTICALVIN. XIX.

DE S.S. COENA DOMINI EIUSQUE VERBIS INSTITUTIONIS.

CONTINVATIO.

SAcramento initiationis alterum illud fidei confirmationis succedit; S.S. nimirum Cœna Dominica, sub formâ Testamenti, verbis affectum paternum largissimè & planissimè continentibus institura, & toti Ecclesiæ demandata; summâque propterea reverentiâ & religione meritò ab omnibus, nisi in pœnam testamentariam incidere, & omni hæreditate ac commodo ex Testamento sibi delato, seipsos privare velint observanda, & tanquam Testamentum D.N.J.C. fortiter propugnanda contra Sacramentarios, qui ore impudenter blasphemo, voce plus quam stentorea in ejus augustissima & clarissima verba, sine fine modoque debacchantes, eadem censoriâ suâ virgulâ ex capitis sui Liripipio & rationis fundamento extructa, certatim perstringere, eludere, & in quaslibet formas fingere & refingere, pro quasi privilegio sibi liberè & impunè sumunt. Quas Adversariorum blasphemas & violentas strophas si non tollere possumus, saltem prò more examinantes detegemus, iisque Testamentum filii Dei non levi affici injuriâ, hac & sequentibus duabus ζητήσεσι ad oculum demonstrabimus. Præmittentes verò nunc examen errorum de causis Cœnæ, subjungemus verborum ejus, contra Adversariorum tropicas strophas, veram, genuinam & litteralem explicationem.

CAPUT PRIMUM.

De Definitione & causis cœnæ.

Rudolphus Gualterus in Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22. 1 Cor. 11.

Error primus.

Cœna Domini est actio sacra, in qua ex Christi mandato panem & vinum inter nos distribuimus & sumimus in recordationem mortis ipsius, qua is Novum Testamentum complevit, ratumq; fecit.

REFUTATIO.

Hujusmodi imperfectas mutilas & mancas definitiones Cœnæ, caput & summam totius in hoc loco controversiæ, de Præsentiæ & oralis manducationis corporis & sanguinis Christi negatione, (de qua mox subsequenti συζητήσει, σὺν Θεῷ agemus,) passim apud Adversarios reperies (a). Si verò corporis & sanguinis Christi mentionem in definitione Cœnæ quidam (b) faciunt, additâ fide vel voce signi & symboli, haud à priori & communi definitione se discedere indicant.

a) *Catech. Ursini p. 2. q. 75. Expl. 1. f. 520. Hemming. in Synt. loco de Cœna §. 2.*

b) *Heming. in Syntag. loc. de cœna §. 1. Vide D. Olearij Verzeich Calvinischer Irthum cont. A. C. art. 10. f. 706.*

1. *Sed cum hæc illorum definitio non sit reciproca & adæquata suo definito, ut illud in verbis institutionis partibus suis essentialibus proponitur, sed alteram, cœlestem nimirum vel prorsus omittat, vel κενῶς tantum addat) haud obscurè eâ indicant, se neq; definitione neq; definito, cum Institutione cœnæ facere. Atq; sic illi habebunt definitionem Cœnæ sine fundamento S. S. Scripturæ, imò eidem contrariam.*

2. *Quæ non continebit verum Sacramentum Cœnæ, sed figmentum rationis obtrudet. Non enim Christus hujusmodi Sacramentum ordinavit, quod nudo tantùm constet pane & vino tanquam externis Elementis, sed & corpore & sanguine suo, tanquam parte principaliori & cœlesti, cujus potissimum gratiâ illud maximè est, quodcunq; est. Ex qua institutione & ordinatione, definitio cœnæ sumenda est, si vera ea esse debet. Quod cum Calviniani non faciant, & fallunt & falluntur, dum se verum definire Sacramentum sibi persuadent.*

3. *Tàm est enim hæc definitio generalis, ut non tantùm, quam intendit, cœnam Domini notet, sed suo complexu quascunq; cœnas, prandia*

prandia & convivia, quæ præmissa precum benedictione sanctificantur (c), & cum recordatione & memoria passionis & mortis Christi peragi possunt, complectatur.

c) 1 Tim. 4. 4. 5.

4. Sed & hæc eadem illis per jugulum redit. 1. E Categoria enim actionis Sacramentum Cœnæ definiunt, interim tantùm de Relatione intelligunt. 2. Actionem ad sola symbola referentes, suppressâ vel indirectè factâ rei cœlestis mentione, testantur, sua ipsorum verba, quæ plurima de præsentia corporis & sanguinis Christi in cœnâ faciunt, esse cassâ nuce æstimanda, seu tantùm de χρηκῇ & significativa præsentia intelligenda. 3. Quam tamen, cum v. illa fuerit Testamenti, jam in Novo, quod Institutione cœnæ completum & ratum est, ut definitio rectè habet, exspirasse omninò, concedere deberent.

Error Secundus.

Illud quoq; memineris velim, hujus Articuli authoritatem apud veteres tantam nō fuisse unquam, ut ipsum inter fidei capita referendum esse ducerent.

Cing. Tom. 2. f. 374. in Apolog. ad ser. non D. Luth. contra Svermeros.

REFUTATIO.

Audacius hîc Cinglius quàm verius loquens prodit omnium suæ farinæ animos, quod, quamvis non id verbis cum Cinglio profiteantur, reipsâ tamen hoc Sacratissimum & longè augustissimum Sacramentum vilipendant, dum illud inter capita fidei referre recusant, hujusq; sui Epicurei contemptus se ipsos authores profiteri non audentes, Patrum authoritatem prætendunt.

1. *Sed ô verè vile & egenum Sacramentum, si absq; Patrum, nullo alio niteretur fundamento & authoritate. Habemus enim longè firmiorē Euangelicum & Apostolicum sermonem, ipsius nimirum Christi institutionem, quâ non quid mens capere & ratio assequi possit, sed hujusmodi unio Sacramentalis, quæ sit* ἑνὸς νῦν, ἑνὸς λόγου, ἑνὸς καταλήψεως, *(ut Iustini verba de unione Personali duarum naturarum in Christi habent) mandatur & ordinatur. Vt verba ipsa,* (Hoc est corpus meum; Hic calix N. T. est in meo sanguine)

guine) essentiam Cænæ describentia testantur, quæ se à Domino accepisse Apostolus inquit, atq; propterea non ratione comprehendenda, sed simplici fide amplectenda sunt.

2. Vt verò quanta fide Cinglius de Patribus referat, quod hunc articulum inter fidei capita non retulerint, appareat, quædam Patrum dicta (quorum altum apud eum, ut ijs, quod dixit, probet, silentium) ascribere operæ pretium erit. Cyprianus inquit (a): Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, sed panem sanctum sincera fide frangimus. Chrysostomus: Ipsius Christi sermo infallibilis, sensus autem noster seduci facilis, ille nunquam decidit, hic autem ut plurimum errat. Quoniam ita q; verbum dicit: Hoc est corpus meum; & pareamus & credamus. Epiphanius: qui non credit esse verum ipsum sicut dixit, is excidit gratia & salute. Augustinus: Noli parare fauces, sed cor. Non quod videtur, sed quod creditur pascit. Nos non tangimus, credimus. Idem: Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce, & hoc accipite in calice, quod est effusum de Christi latere. Erit enim illi mors, non vita, qui mendacem putaverit Christum. Bernhardus: Tria in Sacramento Altaris attendere debes, speciem panis, veritatem carnis & virtutem gratiæ spiritualis. Quod videmus, species est panis & vini, quod sub illa specie credimus, verum est corpus & verus sanguis Christi, quod pependit in cruce, & quod fluxit de latere. Idem: Sacramentum Dei altissimi suscipiendum est, non discutiendum: Venerandum non dijudicandum: fide sortitum, non innatum: traditione sancitum, non traditione adinventum. Idem: Christus tangi potest; sed affectu non manu, voto non oculo, fide non sensibus. Tangas manu fidei, desiderij digito, devotionis amplexu, tanges oculo mentis. I nunc Cingli, & qui de illius grege es, atq; apud Patres hujus articuli non tantam fuisse authoritatem affirma, ut eum inter fidei capita retulerint.

a) De Cæna Domini, Homilia 6o In Ancorato. Serm. 28. in Lucam. Sermon. ad Neophylos. In Serm. de Cæna Domini. In Epist. Serm. 28. in Cantic.

3. Et quâ conscientiâ Calviniani quidam hunc articulum inter fidei capita non referre volunt, cum fidem cænæ essentiam ingredi cen-

censeant, & plus fidei quam veritati & institutioni Christi tribuant: & tantum spiritualem manducationem corporis Christi, de qua mox sequenti συζητήσει, admittant? Fidei itaq; totam Sacramenti rationem ascribunt, & tamen hunc articulum inter fidei capita referri nolunt. Ἀναχάλυβα hæc.

4. Sic itaq; se produnt hostes veritatis & contemptores sacræ Synaxeos. Quin & hinc hæc sequuntur βδελύγματα; Sacram cænam à communi & vulgari epulo nihil differre: nec re cælesti tanquam alterâ parte, sed unâ tantùm terrenâ constare: & nihil hic credi sed omnia videri & tangi; non enim pro mysterio aut Sacramento haberi; atq; propterea impunè omitti vel usurpari posse.

Error Tertius.

Causas Cænæ vitiatas habent Calviniani: Efficientem, quæ est Christus θεάνθρωπος: Instrumentalem δοτικὴν καὶ ληπτικήν: Materialem, quæ est res terrena simul & cœlestis: Formalem; benedicti & distributi panis & corporis, itemq; vini & Sanguinis Christi manducationem & bibitionem. Finalem reservabimus sequenti Errori. *Vide Tom. 1. Giess. Disp. 10. th. 33. 34. 35. 36*

REFUTATIO.

Hoc quadrifido Errore ἐν ὑποτυπώσει proposito, tùm ad prolixitatem devitandam, tùm propter quarundam causarum jam susceptam & mox suscipiendam tractationem, quia ille etiam hujus loci est, ad singulas causas singulis rationibus respondentes, breviter nos expediemus.

1. *Ad causam efficientem Christum* θεάνθρωπον *quod attinet.* 1. Ejus verbis fidem habere nolunt, sed ea vel prorsus reijciunt, vel miserè corrumpunt suisq; somniis postponunt, (ut secundo capite videbimus) inobedientes mandato patris cælestis: Hunc audite: Et Christum, qui se veritatem ipsam nominat, mendacem facientes (a). 2. Christi corpus & sanguinem atq; adeo totam humanam naturam è cœna relegantes, supremo nescio quo empyreo cælo includunt, eumq; suæ à se institutæ cœnæ, non nisi ex parte, secundum Divinam

a) Matt. 17. 5. Joh. 14. 5 1 Joh. 5. 10.

vinam tantùm naturam, adesse volunt: Contra Christi sole meridiano clariora Institutionis verba, quibus corporis & sanguinis sui præsentiam, in S. S. sua cæna hic in terris celebratâ promittit, ut mox audiemus.

2. De Instrumentali δοτικῇ haud rectè sentiunt, docentes Ministrum Ecclesiæ nil nisi externa symbola panis & vini dispensare, quod commentum superius refutatum (b). Ληπτικὴν faciunt duplicem; externam & naturalem oris, ejusq; objectum; nudum panem & vinum statuunt: Internam spiritualem & cælestem fidei, quæ per scalam in cælum ascendat, ibiq; corpus & sanguinem Christi communicet. Atq; sic duplicem faciunt cænam, ut ex tractatione Sacramentorum generali patet; & manducationem ita geminam ut illam, quæ ore fit, hic in terris, alteram fide in cælis fieri, somnient, ut sequenti συζητήσει videbimus.

b) Disp. 16. a. 1. Er. 4.

3. Materialem cælestem non tantùm tanto intervallo, quanto cælum à terra distat, à cænâ abesse docent, verum etiam terrenam, panem & vinum non rectè retinent. 1. Quia ex illis externis symbolis faciunt Sacramentum (c). 2. Eaq; pro medio, per quod corpus & sanguis Christi offeratur & exhibeatur, agnoscere nolunt. 3. Sed tantùm χέσιν καὶ ἀναλογίαν quandam ad corpus & sanguinem Christi habere statuunt. Quæ Suvenckfeldica Origenica & allegorica interpretatio in Domini Testamento locum non habet.

c) Vide Disput. 16. c. 1. Er. 1.

4. Hinc quid de formali causa, quæ in actione consistit, sentiant, manifestum est. 1. ἀλογίαν vi primæ institutionis ad præsentiam Christi, cum reliqua actione efficiendam, non adhiberi. 2. Ministrum solum panem & vinum in manus sumere & distribuere. 3. Fractionem esse necessariam (d), & præfigurare passionem Christi. 4. Nuda symbola tantùm ore, & corpus ac sanguinem tantùm fide percipi. 5. Signare & credere, seu signum & fidem, ad formam cænæ eos referre, cum utraq; ad finem ejus pertineant. Quomodo verò hisce Calvinianorum, de causis cænæ, opinionibus, cum Institutione

d) Vide Disput. 21.

cænæ

cænæ conveniat ; etiam illi vident, qui altero oculo cæcutiunt. Quare, & ne quid bis dicatur, hic eas nominasse, pro refutasse sufficiat.

Error Quartus.

Caro Christi prodest sed cæsa, non ambesa: cæsa nos servavit à cæde, sed comesa penitus nihil prodest. ¶ Applicatio meriti Christi, quia per fidem & Euangelium fit, per S. Cænam fieri non potest.

REFUTATIO.

Operosè quidem & splendidè de usu & fine Cænæ Dominicæ gloriantur (a), sed fallaci suæ hæreseos phrasi, eum non nisi de spirituali cum Christo unione, quæ fide fit, intellectum volunt: quemadmodum eam, quæ orthodoxiam redolere videtur, propriis suis verbis explicant, sibiq; ipsis, ut ex errore patet, contradicunt. Hæc enim revera omnium est sententia, ut qualem præsentiam credant, de qua mox, talem & efficaciam admittant, i. e. nullam, ut Cinglius (b) apertè confitetur inquiens: Omnia Sacramenta tantum abest, ut gratiam conferant, ut ne adferant quidem, aut dispensent. Unde satis constat, Calvinianos non propterea interdum nobiscum loqui, ut nobiscum sentiant, sed ut simplicioribus imponant, eorumq; ora suspensa teneant, quasi revera sint, ut seipsos nominant, Orthodoxi. Quia vero hic error superius, in generali Sacramentorum tractatione refutatus, hîc erimus breviores.

1. Fructum itaq; & utilitatem cænæ Dominicæ esse longè maximam, testantur ipsa institutionis verba, quæ ita posita sunt, ut singula aliquid moneant, atq; totam doctrinam summatim comprehendant, de fructu, utilitate & efficacia hujus Sacramenti. Verba enim essentiam cænæ describentia: Comedite, hoc est corpus meum: Bibite ex hoc omnes, hic calix N.T. est in meo sanguine: *realem corporis & sanguinis Christi communicationem nobis describunt, quæ est hujus Sacramenti præcipua efficacia & utilitas: Quæ deinde verba sequuntur:* quod pro vo-

Cingl. de Vera & falsa relig. f. 136. Gualtherus super 1. Cor. 11. in postill. Isenberg. f. 399.

a) Calv. lib. 4. inst. c. 17. §. 3. 5. 8. 9. 11 12. 28. 33. 38. Cingl. in confess. ad Regem Gall. T. f. 556. Gualth. sup. 1. Cor. 11. f. 399.

b) In confess. ad Carolum V. art. 7.

bis traditur: qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum, apertè & clarè indicant, Christum totum suum meritum, quo pro totius mundi peccatis satisfecit, exhibitione corporis & sanguinis sui, omnibus dignè Sacramento hoc utentibus, speciali applicatione conferre, & certo ac firmo arrhabone singulis confirmare & obsignare, ut certò statuere possint, se per hanc cænæ λῆψοδοσίαν, Christi ejusq; omnium beneficiorum fieri participes. Unde & Apostolus inquit (c): Unum corpus multi sumus, quia de uno pane omnes participamus. Quam unitatem Apostolus, non tantum de Ecclesiæ unito mystico corpore, verùm etiam vel maximè de illa, quâ Christus in usu cænæ in unam quasi nobiscum massam coalescit, intellectam vult.

c) 1. Cor. 10. 17.

2. Tum & authoritas instituentis, majestas utriusq; rei essentialis hujus Sacramenti, ejusq; proprietas, tanta extra omnem controversiam est, ut certò & firmiter omninò statuendum, Christum in Testamento suo non instituisse aliquid, quod vel sit ociosum, vel ad salutem inefficax, tantum ad externam Ecclesiæ societatem, Deiq; in nos significandam benevolentiam pertineat. Contrarium enim testatur internum illud, fide utentium hoc Cenæ Sacramento, κεντρικὸν, de quo vide disputationem de Sacramentis generalem (d).

d) Disp. 16. s. 2. Er. 1.

4. Tum & utilitas hujus Sacramenti haud obscurè ex illo Apostoli dicto, quo indignè manducantes, reos fieri corporis Christi asserit, per bonam consequentiam, cum contraria ejusdem sint potestatis, deduci potest. Si enim, indignè qui manducat, reus sit corporis Christi, & judicium sibi manducat: sequitur, dignè qui manducat, participem fieri Christi, omniumq; eius beneficiorum, atq; sic salutem sibi manducare.

4. Quam efficaciam hujus Sacramenti, cum naturam & conditiones Testamenti obtineat, negari non posse constat. Quale enim aliàs hoc esset Testamentum? qualia legata? si præter nuda symbola & signa

signa nihil amplius inde sperare liceret? Nisi itaq; hoc Testamentum prorsus annihilare velint adversarii, caelestem illum & divinum thesaurum, corporis & sanguinis Christi, ejusq; meriti, justitiae & vitae aeternae, eidem adimere non debent.

Caput Secundum.

De verbis Cænæ.

Error primus.

Non oportet simpliciter intueri verba Christi. ¶ Ut Hypocrates mandat, ut medicus oculo dextro in naturam, sinistro in aremem medicinae respiciat: ita moneo te, ut non solum in verba Cænæ attendas, sed magis tibi proponas totam Christianam doctrinam.

Orthod. cõsensus c. 5. f. 98. p. 1. Victor. Strigel. ad VVolibaldum Rambeccũ. a) Calv. in majori & min. Catech.

REFUTATIO.

Verba cænæ Dominicæ sudes sunt in oculis Calvinianorum, utpote tam clara, aperta & perspicua, ut ea negare non possint: Quare ea vel prorsus omittunt (a), & pro fundamento allegari nolunt, atq; hujus suæ reiectionis hunc praetextum ponunt, quod verba cænæ sint τὸ κενόμφον, itaq; illud, quod ex iis in quæstionem & controversiam veniat, sine manifesto abusu illorum verborum, ex iis probari non posse (b); atq; ideò sibiipsis tùm ex proprio suo cerebro, tùm ex peregrinis Scripturæ locis fingunt regulas, quas axiomata Theologica vocitant, quibus cænam describere præsumũt: vel si retinent, ea (verba institutionis) in quasvis formas, instar Cothurni, transferre & contorquere non verentur, ut mox videbimus. Nunc verò, ne à verbis institutionis nos abduci sinamus, sed ea pro fundamentis cænæ accipiemus & habeamus, has causas consideremus.

b) Buling. & Tigurini cont. D. Iacob. Andr. f. 45. Orthod. consens. c. 7. f. 161.

1. Quia verbis cænæ Christus ipse instituit eam, ut quid de ea credere & statuere debeamus, ex iis tanquam peculiari suo loco & propria sede petamus. Quemadmodum enim singuli articuli fidei in certis quibusdam locis, suam quasi propriam sedem habent, ubi ex professo traduntur & fundantur, atq; propterea inde rectè & orthodoxè probantur: ita etiam ex nullo alio loco melius & rectius

quàm ex verbis institutionis, utpote in quibus ea fundatur & traditur, quid de S. S. Domini cœna statuendum sit, iudicare possumus & debemus.

2. Debemus autem & tenemur maximè & præcipuè ex verbis institutionis petere, quid de hoc mysterio sentiendum sit, quia jussi sumus à Deo ipso, Christum, cuius verba sunt, audire; Hunc audite (c). Vnde & Christus ipse inquit: Si manseritis in sermone meo, & verba mea manserint in vobis, verè discipuli mei eritis. Quare huic mandato ut pareamus, sollicitè nobis annitendum erit, ne verba institutionis, quæ ipsius Christi esse nemo dubitat, rejiciamus, si verba eius in nobis manere; & discipuli Christi esse velimus.

c) Matth. 17. 5. Ioh. 8. 31. c. 15. 7.

3. Nec est quod Adversarii regerant, sextum caput Iohannis, de quo mox, & alia loca S. Scripturæ etiã esse Christi verba: nos non de peculiari & propria hujus mysterii sede, quam primam institutionem eius & verba esse, negari non debet, loquimur; ad quæ πρώτως confugiendum esse, nî à veritate aberrare velimus, nos etiam suo exemplo docuit Apostolus, qui ad dissensiones de usu cœnæ tollendas, suis Corinthiis non c. 6. Ioh. vel alia Script loca, sed tantùm prima institutionis cœnæ verba recitat, quod exemplum tutò imitari possumus & debemus. Cuius observationis formulam ipse filius Dei nobis ostendit, quando in disputatione cum Pharisæis, de solvendo ex quacunq; causa coniugio, eos ad primam coniugii institutionem remittit.

4. Denique infinita illa & varia opinionum diversitas, & cœnæ Dominicæ summa prophanatio, inde orta, quod à verbis institutionis fuerit discessum, nos permovere debet, ut ea unicè tantùm amplectamur, in iis fundamentum huius mysterii collocemus, contra quæ omnium hæreticorum quantumvis plausibiles ex aliis Scripturæ peregrinis locis, vel acumine rationis petitas explicationes; verba primæ institutionis, utut nobis impossibilia visa, captivantes rationem sub obsequium fidei, sarta tecta retineamus & conservemus: ut pluribus mox demonstrabitur.

Error

Error secundus.

Capite 6. Iohannis explicatur modus cænæ, & quomodo à Domino pascamur.

Ioann. Leo Nardus in gladio versatili f. 81.

REFUTATIO.

Huic errori Ἀναίρεσιν *repugnat confessio illa Calvini de hoc loco: Non de cæna, inquit, habetur concio, sed de perpetua communicatione, quæ extra cænæ usum nobis constat. Perperam exponitur totus hic locus de cæna, ineptum enim fuisset ac intempestivum de Cæna tunc disserere, quam nondum instituerat. Etsi itaq; fateri cogantur Calviniani Christum Ioh. Cap. 6. Cænam suam non instituisse, neq; de Sacramentali manducatione quoad symbola (a) ibidem verba fieri; tamen uno ore omnes cum Bellarmino (b) sentiunt, (quamvis fine diverso, illi ut* ἀπεσίαν *corporis & sanguinis Christi, hic ut* μετουσίωσιν *ejusdem cum symbolis obtineant) Christum eodem in loco agere de manducatione corporis sui, qualis in cæna futura sit (c), quam cum instituerit Christus, nuda (tantum) Eucharistiæ symbola eum adjecisse fingunt. Cum itaq; Adversarij plurimi, paucis exceptis (d), causæ suæ sacramentariæ maximum præsidium ex concione Christi Ioh. 6. sumant, operæ pretium erit demonstrare, Christum illic loci cænam suam neq; instituisse, neq; de Sacramentali, sed tantùm spirituali manducatione agere.*

a) Calv. lib. 4. Instit. c. 17. §. 33. Martyr. in defens. contr. Gardinerum loco 1. object. 13. f. 221.

b) Tom. 2. lib. 1. c. 6. de Sacramento Eucha.

c) Martyr. L. C. class. 4. loc. 10. §. 34.

d) Oecolampad in Iob. Calvin. in harmonia Evangelica.

1. *Etsi enim utrobiq; carnis & sanguinis, tum & panis, item manducationis & bibitionis fiat mentio, tamen modus loquendi est diversus: concio namq; Christi Johan. 6. tota est metaphorica & figurata, oppositа Capernaitis corporalem alimoniam à Christo exspectantibus, & multum de Manna Patribus dato gloriantibus; quibus respondens Christus, ut eos à carnalibus & Capernaiticis suis somniis abducat, jubet eos non operari cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam; & se panem vivum & verum, per manna adumbratum, quærere. Atq; sic hæc est concio & colloquium* ἐλεγκτικὸν *metaphoricè enarratum, methodo & stylo à verbis cænæ diversum, quæ institutionem certam & testamentum filii Dei continent, certis, planis & perspicuis verbis institutum.* 2. Ma-

2. *Materiâ quoq; maximè terrenâ verba, cœnæ ab hoc capite differunt.* 1. *In Iohanne quidem fit mentio panis, sed symbolici & metaphorici, in cœna materialis seu Physici.* 2. *Ibi significat Christum, hic panis est corpus Christi, & tanquam pro medio, ut unũ cum corpore sacramentale fiat, ordinatur.* 3. *Illic tantum una est res cœlestis, at cœna constat duabus, terrenâ & cœlesti.* 4. *Et cœlestis ibi non tàm substantiæ, quàm fructus & efficaciæ, hic utriusque, maximè substantiæ ratione consideratur.*

3. *Forma etiam maximè est diversa.* 1. *Caput Joh. respicit* λη-ψοδοσίαν *spiritualem & internam, quæ est fidei: Cœna verò Domini externam & oralem.* 2. *Ibi fit manducatio* ἀμέσως, *hîc* ἐμμέσως. 3. *Illa ad corporis Christi fructum & efficaciam, hæc ad eiusdem corporis substantiam maximè refertur.*

4. *Finis quoq; diversitatem ostendit.* 1. *Ille semper est salutaris ad vitam, hic etiam exitialis ad judicium.* 2. *Ille credentibus & pijs peculiaris, hic verò tàm fide & pœnitentia vacuis, quàm præditis, quamvis non pari sorte communis.* 3. *Ibi unimur Christo, per fidem habitanti in cordibus nostris: hîc ere corporis sumptus, quasi in unam massam nobiscum coalescit.*

5. *Deniq; ex circumstantiis, Sole meridiano clarius elucescit, concionem apud Ioh. nihil quicquam de Sacramentali manducatione agere, atq; propterea pro sede ac fundamento in hac controversia adferri non posse.* 1. *Ea enim integrum annum antecessit ipsam Institutionem cœnæ, factam ea nocte qua Christus traditus est.* 2. *Et fuit etiam Patrum in Veter. Testament. at hæc tantùm est Nov. Testament.* 3. *Illa est omnium temporum & locorum & semper fieri debet, hæc tantùm in Eucharistica actione certis vicibus quotiescunq; convenerimus ad eam, peragitur.* 4. *Illa infantibus tribui potest, hæc verò non nisi seipsos probantibus concedi debet,*

6. *Quod verò ad Patres (c), qui interdum Cap. 6. Ioh. ad Cœnam accommodârunt, attinet; respondemus id ab ijs factum. non*

c) Cyrill. in Ioh. Lib. 4. cap. 14.

sensu

sensu Calviniano, quod utrobiq; eandem manducationem fieri statuerint: sed 1. quia una eadēq; caro & non duplex utrobiq; sit, etsi non eodem modo hîc, quam illic considerata. 2. Et manducationis spiritualis in concione Christi fiat mentio, usitatæ & maximè requisitæ in Cenâ, ut ea sit salutaris. 3. Ut deniq; contra Nestorium obtinerent, virtutem vivificandi carni Christi revera esse communicatam, quia in concione Christi, illi ascribatur, & in S. S. Cœna exeratur. Nihil itaq; præsidii, Adversarij ex Patrum testimoniis sibi polliceri debent.

Error Tertius.

Nos existimamus, neq; κατὰ τὸ ῥητὸν verba institutionis accipi, salvâ fidei analogiâ, posse: vel propterea obscuram censeri debere Cœnæ Dominicæ institutionem, quod tropus in ea esse dicatur. *Coll. Mompelg. f. 33. Communis opinio.*

REFUTATIO.

Paulo antè Beza cum sociis dixerat (a): *Absit à nobis, ut verbis institutionis non acquiescamus: tantùm illa ad analogiam & normam totius fidei Christianæ, exigenda esse asserimus. Hæc ibi.* Quid verò aliud est acquiescere verbis institutionis, quàm τὸ ῥητὸν sine addita perversa & aliena glossa retinere? & ad normam fidei Christianæ ea exigere, quid aliud, quàm simplici fide, sine tropica exratione petita explicatione, in iis acquiescere? Hic verò, ut solent omnes sibi apertè contradicit; τὸ ῥητὸν enim verborum cœnæ fastidit, ubi ergo manet, absit, ut verbis non acquiescat: tropum admittit, ergò analogiam fidei excludit. Nonnulli volunt videri, se retinere τὸ ῥητὸν (b) sed illud Sacramentale appellant & per Δόξαν explicant, id est, nihil aliud, quàm τὸ ῥητὸν negant. In qua negatione cum cardo totius controversiæ vertatur, necessarium omnino erit sequentia certa & firma fundamenta, quibus τὸ ῥητὸν obtineri potest, semper in conspectu habere.

a) f. 390

b) Bucanus f. 694. Anatomia Marpurg. f. 160. Calvin. lib. 4. Inst. c. 17. §. 36.

1. Quia D. N. I. C. qui est ipsa veritas (c) omnipotens, & omnipotentia vera, ac summa sapientia Patris, verba sunt, quæ & ipsa

c) Joh. 14. 6. c. 17. 17.

ipsa sunt veritas; quam ille ita proloqui potuit, ne esset apud eum impossibile ullum verbum: ille dixit, & non faciat? Imò ex Divinâ sapientiâ, ita sua verba disposuit, ne ansam cuiquam de illis litigandi præberet: Modum enim ille sciebat, quando hæc dicebat, neq; illi sapientia defuit, quo minus posset apertè ponere, quod cogitaret. Quarè tuta fide ea amplecti possumus quia verax est, qui ea locutus est. Dubitare de ijs non debemus, quia omnipotens est, qui, quod dixit, implere potest. Litigare aut in controversiam eadem vocare, ne sapientiam Dei nostra infantia justificemus, prohibemur. Sed simplici fide ea amplecti tenemur, quia jubemur: hunc audite. *Si itaq; Christus audiendus est, non quid hic aut ille dicat, sed quid, qui ante omnes fuit, dixit, attendendum, in cuius obsequium tota nostra ratio captiva est ducenda.*

2. Sunt verba Testamenti filij Dei, de quibus cum nullum dubium, quin eam sententiam, quam verba simpliciter intellecta gignũt, præ se ferant, ut verba Testamenti solent esse plana & perspicua; in dubium quoq; eadem vocare aut alienum & peregrinum sensum illis affingere, nulli impune licet. Id quod & in hominis Testamento observari solet: in eo enim, Teste Jurisconsulto, non est recedendum à verbis Testatoris, quia talis præsumitur fuisse intentio, qualem verborum proprietas importat: non est credendum Testatorem id velle, quod non dixit. Non præsumere debemus Testatorem aliud voluisse, quam verbis expressit. Nam si contrarium volebat, nulla erat difficultas scribere. Si itaq; hominis Testamentum confirmatum neminem decet obrogare aut superordinare (d): multo minus decebit quicquam mutare in S. S. Testamento filii Dei.

d) Gal. 3. 15.

3. Veritatem quoq; τοῦ ῥητοῦ verborũ cænæ colligere certò possumus, ex tot nnicè inter se consentientium repetitionibus. Perpetua enim est inter Euangelistas & Apostolum Paulum, uno ore verba cænæ recitantes & retinentes (e) συμφωνία, quam tot repetitionibus maximè illustrem fieri filius Dei procul dubio voluit, ut ostenderet, verba Testamenti sui κατὰ τὸ ῥητὸν esse retinenda, illorumq; declara-

e) Matt. 26. 26. 27. 28. 29. Mar. 14. 22. 23. 24. Luc. 22. 19. 20. Cor. 11. 23.

elarationem non aliundè esse petendam. Quare certitudinem τοῦ ῥητοῦ, de qua, si semel tantum posita & prolata fuisset, propter αὐτοπιστίαν, dubitare non debuissemus, tot insuper repetitionibus comprobatam & confirmatam unicè amplectamur.

4. Quam & analogia reliquorum fidei articulorum omninò flagitat, in quibus τὸ ῥητὸν retinere, nisi fundamenta fidei convellere velimus, nos decet. Quidni itaq; & in hoc fidei articulo, verba simpliciter sicut sonant, in propria ac nativa sua significatione, utut ratio nobis sinistros suos vultus ostendat, acciperemus. Credere enim debemus non videre: Crede itaq; & hic, ut & in aliis fidei articulis omnibus, & nulla tibi incumbet necessitas à τῷ ῥητῷ verborum cænæ discedendi.

5. Multiplex quoq; necessitas & usus τοῦ ῥητοῦ, illud nobis vel maximè commendat. Necessitas 1. obediendi Deo, qui dixit, ne addas ad verbum, neq; auferas ex eo (f). 2. Acquiescendi verbis filij Dei. 3. Evitandi pœnas inobedientibus, & verbum Dei detorquentibus propositas, quas in exemplis Evæ, Saulis, Prophetæ ad regem Ieroboam missi, (g) &c. videre licet. 4. Declinandi multas varias & dissentientes explicationes & opiniones, à quibus, si τῷ ῥητῷ insistamus, sumus tuti. 5. Nostræ ἀδυναμίας in dijudicandis mysteriis Divinis. Ψυχικὸς γὰρ ἄνθρωπος ὁ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ (h). Usus: 1. Ad demonstrandam præsentiam corporis & sanguinis Christi in cæna. 2. Ad obtinendam fidei πληροφορίαν, quam, si omni vento doctrinæ circumferamur, nutare & languescere necesse est. 3. Ut verba Christi in nobis maneant, simusq; discipuli ovesq; Christi, si in sermone ejus manserimus (i). Nota hîc Divinum D. Lutheri consilium, de τῷ ῥητῷ verborum Cænæ simpliciter amplectendo. Verba ejus hæc sunt: Si verbis simpliciter intellectis insistas, tàm in morte tua, quàm extremo judicio, lætus cum filio Dei in hunc modum colloqui potes. Dilecte Domine Iesu, dissensio orta fuit de verbis cænæ tuæ: quidam voluerunt, ut verba aliter intelligerentur, quàm sonant. Sed cũ nihil certi me docerent, imò magis me dubiũ &

f) Deut. 4. 2. c. 12. 32. Prov. 30. 6.
g) Gen. 1. 2. 3. 4. 1. Reg. 15. 3. 9. 23. 2 Reg. 13. 19.
h) 1 Cor. 2. 14.
i) Joh. 8. 31. 32. c. 5. 3.

intricatum redderent, & suum textum probare nec possent, nec vellent, tuo textui firmiter inhæsi, & verba sicut sonant, intellexi: si quid est in eis obscuritatis, tum tu ea obscura esse voluisti. Nam nullam aliam eorum interpretationem monstrasti, nec ut nos eam adderemus præcepisti. Si ergò me oporteat incertum ac obscurum textum & sensum habere, potius eum elegerim, qui ore Divino pronunciatus, quàm qui hominum ore dictatus est. Adeoq; si decipi ac falli debeam, à Deo potius (si sit possibile) falli volo, quàm ab hominibus. Nam si Deus me fallet, facilè me excusabit, & damnum inde proveniens abundè compensabit.

6. Consensus deniq; Orthodoxæ Antiquitatis τὸ ῥητὸν verborum cænæ confirmat. Chrysostomus enim inquit: Ipsius Christi sermo infallibilis, sensus autem noster seduci facilis, ille nunquam decidit, hic autem ut plurimum errat. Quoniam igitur verbum dicit: Hoc est corpus meum; & pareamus, & credamus. Item: Credamus ubiq; Deo, neq; contradicamus ei, etiamsi sensui & cogitationi nostræ absurdum videatur, quod dicit, superetq; & sensum & rationem nostram. Quod in omnibus, & præcipuè in mysteriis faciamus, non illa quæ ante nos jacent solummodo aspicientes, sed verba quoq; ejus tenentes. Nam verbis ejus defraudari non possumus, sensus verò noster decepti facilimus est, illa falsa esse non possunt, hic sæpius ac sæpius decipitur. Quoniam ergò ille dixit, Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed oculis intellectus id perspiciamus. Augustinus: Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce, & hoc accipite in calice, quod est effusum de Christi latere. Erit enim illi mors, non vita, qui mendacem putaverit Christum. Epiphanius: Qui non credit esse verum ipsum, sicut dixit, is excidit gratia & salute (k). Cyprianus: Si unus apex & unum jota legis, dignitate præponderat cælo & terræ, ita ut qui unum ex minimis illis mandatis solverit, & sic docuerit homines, minimus seu rejectitius futurus sit in regno cælorum. Qua igitur religione & sollicitudine piæ menti providendum erit, ne in tractatione horum verborum indignationem

k) Hom. 60. In Serm. ad Neophyt. In Ancorato.

tionem incurrat ejus, qui his verbis Testamentum suum, in ea nocte qua traditus est, de legatis salutis nostræ cõdidit, addita interminatione judicij & reatus, si quis aliter, quàm ipse voluit & constituit, mysteria illa dijudicet & tentet. Hilarius: Optimus ille lector est, qui dictorum intelligentiam expectat ex dictis potius, quam imponat, & retulerit: magis quàm attulerit, neq; cogat hoc videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum.

Error Quartus.

Per subjectum Hoc intelligit Caroloſtadius Christum mensæ assidentem. Alij solum Panem.

Caroloſtad. in Dialogo, Ursinus in Coll. Maulbrunnenſi.

REFUTATIO.

Rejecto τῷ ῥήτῳ verborum cænæ, de quo jam dictum, apud Adversarios tristis & horrenda S. S. verborum Testamenti filii instituitur laniena, dum variis & contortis suis glossis ea ita frustulatim discerpũt ac dilacerant, ut nullũ fermè ex illis verbis sanum & intactum in propria & nativa sua significatione reliquerint. Priorum verò verborum cænæ, à Sacramentaria depravatione vindicationem, suo loco reservantes, hic tantùm verba essentialia & materialia, ut vocant, cænæ ἀφ' ὧν ἔσχεν, à fermento Sacramentario repurgabimus.

1. Primæ, de subjecto verborum HOC, opinioni, quia ejus propter insignem absurditatem successores in gente Sacramentaria pudet, ab iis ipsis contradicitur, ne opus sit id muneris nos jam suscipere. Et nisi esset ab aliis (a) refutata, suâ propriâ absurditate & apud amicos & inimicos, est tàm ridiculè absona, ut refutatione non indigeat.

a) Vide D. Hun. artic. de Sacram. C. 14. f. 366.

2. Ad secundam opinionem, de eodem hoc subjecto, quod attinet, concedere quidem possumus, Panem à Christo monstrari, quâ de causâ & D. Lutherus contra Caroloſtadium, hoc subiecto panem notari negantem, alia phrasi scriptoribus Ecclesiasticis usitatâ, sed scripturæ inusitatâ; Panis est Corpus; non quidem τῷ ῥήτῳ ἀλλὰ τῇ ἀληθείᾳ, istius Christi, Hoc est Corpus, consentienti, usus est (b).

b) Libr. 2. Cont. Cælestes Prophetas.

Sed quod tantùm solus panis, & non etiam corpus Christi sub δεικτικῷ, *HOC, intelligi debeat, equidem negamus, ex his fundamentis. 1. Sumitur ex verbis institutionis, in quibus constructio Grammatica,* ἕν *ad solum Panem, ceu genere ab eo diversum, referri posse non patitur. 2. Particula HOC, si eius intellectus, ut merito debet, juxta Hilarium (c) ex præcedentibus & consequentibus expectari debet, quia media in verbis Cænæ inter Panem & corpus posita est, etiam de utrisq; sc: Pane & Corpore, exponenda erit. 3. Vndè etiam ipse Apostolus, interpres omnium præstantissimus & certissimus, panem, qui frangitur seu distribuitur, dicit esse* κοινωνίαν *corporis Christi, clarè demonstrans, subjectum non tantùm de pane, sed & vel máximè & præcipuè de corpore accipi debere. 4. Quemadmodum hæc enunciatio similibus aliis phrasibus, ex sacris & quotidiano sermone sumptis, probatur & explicatur. Vt si de igneis curribus circa Elisæum dicatur, hi sunt angeli, & de hydriis aqua impletis in nuptiis Cananæis, hoc est vinum (d); & monstrato sacculo quis dicat, hæc est pecunia: non tantum ignem, hydrias, sacculum; sed præcipuè Angelos, vinum & pecuniam notari, extra controversiam est. Atq; sic probatum,* δεικτικὸν *HOC comprehendere totum complexum,* κυρίως *ac principaliter corpus, quod communicatur, ac* καταχρήσεως *seu minus principaliter panem, cum quo idem corpus distribuitur.*

c) De Trin. lib. 9.

d) 2 Reg. 6. 17. Joh. 2. 9.

Error Quintus.

Cinglius In Epistol. ad Rutl. In vera & falsa religione. Oecolampadius de verbis Cænæ.

Nos cardinem hujus rei in brevissima syllaba versari arbitramur, vid. in hoc verbo Est, cujus significantia non perpetuò pro Esse accipitur, sed etiam pro significare.

REFUTATIO.

Nisi de huius suæ tàm monstrosæ opinionis monitore, an ater fuerit, nec ne (a)? Cinglius dubitasset, procul dubio plures in ea astipulatores, & nullos derisores (b) neq; refutatores haberet: quamvis in

a) In subsidio de Eucharistia, Tom. 2. f. 249. b) Bucerus in Epist ad quendam Episcopum. Keckerm. System. Theol. lib 3, c. 8 f. 444.

in ἀπροσίᾳ cum eo omnes consentiant. Non verò hic copulam EST σημαντικῶς sed ὑποκειμενικῶς accipi debere, sic probatur.

1. Quia Christus instituens suam cœnam non signis, figuris & umbris agere voluit, earum enim usus in V. T. frequens, in mox præcedenti Agno Paschali, quem cum discipulis comedit, desiit, sed ipso corpore & essentia sua N. T. inchoavit. Accipiens enim finito agno Paschali, panem non eodem quo antè, sed singulari modo, ordinavit eum, non ut esset typus vel signum corporis, sed medium & organum, cum quo corpus suum Sacramentaliter unitum nobis revera & essentialiter communicetur. Abrogato itaq; agno Paschali veteri, qui Christum significavit, noluit amplius significari, sed revera esse iam corpus suum in Cœna. Quarè & expressè dixit Hoc est Corpus meum q. d. antea comedimus agnum Paschalem, qui me significavit, at iam in hac cœna EST corpus meum.

2. Deinde quia significativa copulæ EST explicatio, nobis describat modum præsentiæ corporis Christi, quem tamen Christus in hac propositione, Hoc est Corpus meum, non expressit, subsistere ea non potest. Christus enim τὸ ὅτι instituit, quod hoc sit corpus, non τὸ πῶς, quomodo sit. Imò non tantùm modum, verùm etiam modum notissimum, rationiq; conformem hæc significatio exprimit, qui tamen nobis incognitus & impervestigabilis est & manet: meritò itaq; reÿcienda & aversanda.

3. Etsi itaq; ut Adversarii exempla S. S. Scripturæ cumulant, quibus verbum EST pro Significat accipi, monstrare conantur, eam significationem vel maximè, (quam tamen minimè, vel saltem vix quidem elici posse, nostrates (c) demonstrant) alibi valere concedatur: tamen, etiam hîc in verbis cœnæ, eandem significationem peregrinam verbi EST, nativæ suæ ac propriæ præferendam esse, demonstrandum erit. Quod nunquam fiet, cum hic usurpetur in Testamento filii Dei, in quo vel maximè perspicuis & planis verbis proprio & nativo suo sensu constantibus, ut in Testamentis Testatores solent, suam quoq; voluntatem Christum enunciasse, apud Orthodoxos in dubium non vocatur.

c) D. Luth. in confes. majori. Tom. 3. Jenens. f. 441. 442. 443. D. Hunn. in artic. de Sacram. c. 14. f. 406. & seqq.

4. Sed neq; tantùm ex Theologia, verum & ex Philosophia (si ea hic quicquam valet) hæc, copulæ EST, explicatio per significat; refutari potest. Grammatica enim pueros docet, verbum EST, per se solum in nativa sua significatione consideratum, ἀπαρεμφατικῶς accipi, & ipsum esse seu substantiam exprimere: à qua nativa & propria significatione quando decedit, id ei per accidens à vocibus Categorematicis, seu rem per se notantibus, quibus coniungitur, accedit. Ergo copulam EST, si per se solam intelligere volunt, à propria & nativa sua significatione, perperam deflectunt.

5. Quin & Dialectica ab hac Calviniana significatione copulam EST liberat. Si enim in illa accipiatur, tum modum prædicandi Tropicum facit, quod tamen ex se non potest, nisi (fatente ipso Beza) eum modum ex subjecti vel prædicati κέσει participet; at prædicatum, etiam Adversariorum (qui copulam ita torquent) concessione; propriam & nativam retinet significationem, quam copula imitari debebat, quia est συγκατηγορέμενον. Id v. cum non fiat (hoc sensu σημαντικῶ) sed ea diversum à τῷ κατηγορεμένῳ prædicandi modum (quem tamen ex se parere non potest) producere cogatur ab Adversariis, graviter illi viri Dialecticè eruditi, in re minimè apud Logicos controversa hallucinantur.

6. Nec Rethorica, hanc copulam, ita, ut Adversarii volunt, detorqueri & crucifigi permittit. Si enim illa per significat exponi debeat, tum Metonymiam admittit, imò totam propositionem Tropicam & Metonymicam facit; at illud Rhetoricum non est, quia Metonymia copulæ consignificativæ per se tribui non potest, cum tantùm in Categorematicis locum habeat: hoc verò; cum tropus non sit integræ propositionis, sed simplicis alicuius vocis, quomodo cum regulis Rhetoricis conciliare possint, ipsi dispiciant.

Error Sextus.

Prædicatum CORPUS accipiunt pro 1. Signo, figura, symbolo, memoriali, pignore, repræsentatione, mysterio. 2. Iure, societate seu communione corporis Christi.

Oecolamp in epist. Cinglius cont. Struss. Item

3. Vir-

3. Virtute efficacia & fructu carnis Christi. 4. Divinitate & Spiritu. 5. qualitate propria corporis. 6. passione & morte, quam in corpore sustinuit. 7. commemoratione, typo & significatione mortis Christi. 8. pane, vel instar panis ad fideles nutriendos. 9. simili corpori mystico Electorum. 10. gratiarum actione, &c.

REFUTATIO.

Ah! quanta corporis Domini laniena, quâ Adversarij ex petulanti ingenij libidine, impudenti & blasphemo ausu, illud de novo quasi crucifigunt, & variis modis lacerant ac vellicant. Cum verò etiam Philosophi præcipiant, nomen aliquod omni ambiguitate vacare debere, magis execrandi sunt Adversarii, qui in S. S. corpus Domini cæco & insano impetu involantes, illud vaga incertitudine laborare, quantum in illis est, faciunt. Quarè illi sic contra Christum ejusq; S. S. corpus, magna insania disputantes, seq; ipsos jugulantes & confodientes, κολάσει magis, quâ affici Philosophus vult omnes, qui contra pietatem, cultum Dei, & contra sensum disputant (a): quam ἀναισθησίαν digni essent. Breviter tamen Respondemus.

1. Corpus ipsum tàm in verbis institutionis apertè & dilucidè ponitur, ut qui illud negat aut in dubium vocat, Solem neget & in dubium vocet, in meridie cælo sereno lucere. Insuper illud corpus verum & essentiale intelligi, ex verbis cænæ evidentissimè demonstrari potest. 1. Subjectum enim, totum complexum continet, ut verum panem ita & verum ac essentiale corpus, atq; sic constat duabus rebus terrenâ ac cælesti, ut antea demonstratum: Ergo in attributo nominatim altera res, quæ præcipua est, & sensibus prorsus non apparet, non est tropica, figurata aut χενὴ, sed vera & secundum essentiam suam realissima. Si enim in subiecto fuit essentiale, in prædicato, maximè cum expressè ponatur corpus, in figuratum & relativum converti non potest.

2. Deinde copula EST in nativo & ἀναφορικῷ suo sensu retenta, varias illas & diversas corporis explicationes expungit. Coniugens

in Exposit. negotij Euchar. Joh. à Lasco de Sacram. Calvin. in defensi cons. VVestph. f. 59. Cingl. Tractat. 2. institut. de Cœna. In Epist. ad Luth. in Exegesi. Martyr. in disp. Oxoniensi f. 248

a) Arist. 1. Top. 11. §. 6.

gens enim duo disparata, panem & corpus, non eorundem μετουσίωσιν, quam frustra nobis Adversarij objiciunt, inducit, sed ἕνωσιν duarum illarum rerum Sacramentalem, realem & verißimam docens, indicat cum pane, re terrenâ ac sensibili, simul adesse & ὄντως exhiberi corpus, rem cælestem, quæ in attributo expreßè ponitur.

3. Quin & Christus ipse se satis explicuit, undè verus sensus prædicati tutò desumi potest, ne opus sit illa Calvinianorum peregrina & adventitia glossa. Addit enim Christus meum; quo indicat, non tantùm esse corpus, neq; ut Campanus somniavit & paßivè hanc voculam interpretatus est, corpus à se creatum; sed suum verum naturale ac proprium corpus. Atq; sic omnem figuram & quamcunq; significationem, hæc vocula ab Attributo longißimè removet. Deinde per ἐξήγησιν magis notanter essentiam corporis exprimit, addens: quod pro vobis traditur: ut indicet verum, naturale ac essentiale suum corpus pro nobis traditum in mortem, etiam in cæna adesse & communicantibus exhiberi. Quicquid interim obmurmurent adversarij, Quod pro Quatenus vel Quale exponentes. Sed cum non sit nostri instituti, neq; ferè poßibile singulas verborum cænæ ab Adversarijs institutas elusiones examinare, sibi retineant figuram pro corpore, & qualitatem pro essentia. Nobis, relativum quod, vi suæ constructionis, antecedens substantivum corpus, non σχετικῶς & limitativè, sed οὐσιωδῶς seu quidditativè referre, dubium nullum est.

4. Hisce rationes alias, pro vera corporis essentia in prædicato obtinenda, συλλήβδην subjicimus. 1. Quia signatum de signo interventu copulæ EST, quod sensu Calviniano fieret, prædicari apud probatos authores non invenitur. 2. Paulus inquit, quod panis sit κοινωνία corporis Christi, indicans panem esse medium, per quod participamus corpore Christi, quare id essentialiter fieri, cum explicationes illæ in Errore positæ ad panem non quadrent, necesse est. 3. Significari & adumbrari Christum, ad V. T. pertinet; at in N. T. præsente corpore, nullus significationi locus amplius relictus. 4. Si

corpus

corpus non verum ac essentiale intelligitur, utiq; nulla alia conjunctio Christi nobiscum in cœna, quàm extra eam erit. 4. N. T. à Veteri, quod omnia hæc effecta habuit, distingui non poterit; imò agnus Paschalis, & typica sacrificia V. T. in significando & repræsentando, Cœnæ Dominicæ N. T. longè præferenda erunt.

5. Quin multiplex sine fine modoq; diversitas & contrarietas Calvinianarum explicationum, easdem falsitatis arguit, cujus id proprium est ut sit varia & multiplex, cum contrà veritas una sit & sui semper similis. Præterquam enim quod nullum ferè verbum in Testamento hoc, sanum & integrum relinquant, plurima insuper inter eos sententiarum divortia occurrunt, ut quot interpretes, tot ferè etiam sint sententiæ, atq; quilibet hîc suo sensu abundare præsumat. Quibusdam Metaphora, aliis Metalepsis placet, multi Metonymiam, vel Synecdochen, vel Allœosin verbis cœnæ inesse somniant; imò inventi sunt qui Catachresin & solœcismum verbis Cœnæ affingere non sunt veriti. Plurimi adhuc incerti sunt quem tropum & qua in parte collocare velint (a). Cui variæ & contrariæ diversitati, literalis sensus quem τὸ ἐντὸν parit, maximè præferendus est.

6. Nec deniq; hic nobis authoritas Patrum deest. Theophylactus inquit (b): Non dixit, hoc est figura, sed hoc est corpus; ineffabili enim operatione transformatur, etiamsi nobis videatur panis. Anshelmus: Manducate quod tribuo, quia hoc est corpus meum. Sensibus quidem exterioribus videtur esse panis, sed sensibus cognoscite mentis, quia hoc est corpus meum, non aliud, sed idem substantialiter, quod pro vobis redimendis tradetur in mortem. Paschasius: Nec ita dixit cum dedit & fregit eis panem; hoc est, vel in hoc mysterio est quædam virtus, vel figura corporis mei, sed ait non ficte: Hoc est corpus meum. Et ideo hoc est, quod dixit; non quod quisq; fingit. Augustinus: Hoc est quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, Sacramentum hoc duobus constici, duobus constare, visibili Elementorum specie, & invisibili D. N. J. C. carne & sanguine. Nec ambigua sunt vocabula corporis & sanguinis.

a) Beza in Coll. Momp. f. 121. Item in Resp. 2. cont. Hoff. Aretius in 3. Serm. de Cœna.

b) In Cap. 26. Matth. In 1 Cor 11. In lib. de instit. Sacram.

Error Septimus.

Beza in Colloq. Momp. de Cæna Domini f. 47.

Minimè negari potest, in verbis Institutionis Sacræ Cænæ tropum inesse, & figuratè dici, cum inquit Lucas: Hoc poculum est N. T. in meo sanguine. Poculum n: non potest esse Testamentum: neq; sine tropo verba Lucæ, cum verbis Matthæi & Marci conciliari possunt: Hic est sanguis meus N. T. quamvis ego pro HIC semper lego HOC. Item aliud sanguis Testamenti: & aliud ipsum Testamentum.

REFUTATIO.

a) In glossa ad N. Test. Lucæ 23.

In hisce verbis Beza duplicem statuit Metonomyam (a), sc. Calvinizaniană imò eò blasphemiæ progreditur, ut Solœcismum verbis hisce affingere non vereatur. Piscator hinc Sp. S. irregularitatis arguere impudenter audet. Atq; sic ex Euangelista Luca & Apostolo Paulo Calv. tropica esse verba cænæ, obtineri posse sibi persuadent.

1. Sed respondemus hanc contrarietatẽ verborum cænæ non esse nisi φαινομένην, quam Methatesis & transpositio verborum in Euangelista Luca & Apostolo Paulo parit; revera n: verba optimè in sensu conveniunt & se invicem explicant, interq; se pulcherrimè cohærent: quemadmodum D. Lutherus utramq; formulam verborum; illam apud Matthæum & Marcum: Hic est sanguis meus N. Testamenti: *& hanc apud Lucam & Paulum:* Hic calix N. Test. est in meo sanguine: *non minus eruditè quam eleganter, quasi annulis quibusdam in catenam, quam verè auream nominat, ita cõnectit: Mandatum Christi in poculo comprehendit vinum; vinum virtute verborum Christi, complectitur sanguinem Christi; Sanguis Testamentum, quia est Testamenti sanguis; Testamentum, remissionem peccatorum. Atq; ita eadem sententia est: Hic est sanguis meus N. Testamenti: Et hic calix N. Testamentum in meo sanguine, qui effunditur in remiss. peccatorum. Quæ collatio, tantùm abest ut dissensionem in verbis esse, ac propterea tropum admitti debere ostendat, ut potius certissimam præbens explicationem, nostram sententiam maximè probet ac confirmet.*

2. Quod n: calix dicitur N. Testamentum, apud Lucam & Paulum, id fit ratione sanguinis, cujus in immediatè sequentibus fit mentio;

tio. Tùm & hæc propositio, ex prioribus Euangelistis est explicanda; sanguis meus est N. Testamenti. *Nec n: calix seu poculum dicitur N. T. ratione vel metalli vel vini, sed principalioris contenti, sanguinis nimirum D. N. J. C. sacramentaliter cum vino uniti, atq; sic proprietas contenti, continenti tribuitur. Quarè & rectè calix est N. Testamentum, quia eo vetus abrogatum, N. v: T. institutum & confirmatum est. Quamvis v. quidam in voce, (calix) Synecdochen esse continentis pro contenti statuant, quia tamen expressè sanguinis fit mentio, non video cur ea admittenda sit. In propositione quoq; integra, (calix est N. T.) alii metonymiam, sed non Calvinianam signi pro signato, sed effectus pro causa admittunt, quia sanguine contento in calice sancitum est Novum T. Vbi tamen hoc notandum, attributum hujus propositionis, N. videl. T. ad verba essentialia seu materialia cænæ non pertinere; in quibus si tropus cõcedatur, non tamen propterea à* τῷ ῥητῷ *disceditur.*

3. *Additum* προσκατηγορούμενον, In meo sanguine, *tàm apertè priora verba declarat, ut in iis nihil difficultatis, quoad intelllectũ, remanere possit. Pertinet n: illud ad essentiã cænæ, & rationem addit, cur calix N. T. dicatur, quia nimirum contineat sanguinem Christi, quem V. T. Sacramenta non habebant, quarè & apud reliquos Euangelistas Christus dicit: hic est sanguis* meus N. Testamenti. *Atq; sic utrobiq; tùm N. T. à Veteri; suum sanguinem, ab hircorum sanguine distinguit; tum etiam utrumq; fœdus inter se comparat à paribus; ut quemadmodum illic in V. T. præsens fuerit essentialis sanguis hircorum, ita & hîc in Novo, præsens sit proprius suus verus ac essentialis sanguis. Hæe sunt sole meridiano clariora, ut nulla tropica explicatione eludi possint aut debeant.*

4. *Quod n: ad appendicem;* τὸ ὑπὲρ ἡμῶν ἐκχυνόμενον, *attinet; luculentissimè illa demonstrat, ex calice non solum vinum bibi, sed etiã Christi sanguinem pro nobis effusũ. Si n: ex poculo tantùm præberetur vinũ bibendum, neutiquam de eo, quod pro nobis effunderetur, & quidem in remissionem peccatorum, prædicari posset. Non*

itaq; in calice tantùm vinum, sed & nobilissimam illam partem cœnæ, sanguinem nimirum Christi contineri, hæc appendix solidissimè demonstrat, dum propter summam & arctissimam Sacramentalem vini & sanguinis in calice unionem, proprium unius alteri, seu τὸ πόμα & sanguinis, calici tribuit. Atq; sic hæc clausula, quæ solœcismi & irregularitatis à blasphemis Adversariis arguitur, putidã eorum Metonymiam de absentia sanguinis Christi validissimè refutat.

Error Octavus.

Guilhelmus Bucanus Inst. loc. 48. f. 693.

Figurata prædicatio est, non in singulis verbis seorsim & in sese consideratis (Panis non est propriè panis; & corpus non allegoricum, non tropicum, non figuratum, multo minus spectrum, aut phantasma: non item corpus mysticum, quod est Ecclesia, aut signum corporis: non meritum Christi, sed proprium Christi corpus denotat. Omnino enim verum Domini corpus de vero pane enunciatur) sed in tota attributione.

REFUTATIO.

Tandem luce veritatis convicti Neoterici τὸ ῥητὸν amplecti volunt, quemadmodum ex Errore patet, quo Bucanus, & quidam alij (a), omnes qui tropum in subjecto, copula, aut prædicato ponunt, refutant: Sed tamen in propositione, seu connexione prædicati cum subjecto, eam figuratam, relativam, extrinsecam & analogicam nominantes, cum ijs consentiunt. Atq; sic reipsa probant, hanc esse eorum naturam, quod veritati, quantumvis confessæ, palmam porrigere, & Christo gloriam dare nolint.

a) Keckerm. Syst. Theol. lib. 3. cap. 8. f. 444. 445. Crellius in Isagoge Logica. Neapolitani in collatione Disputat. D. Jacob. Andreæ.

1. *Sic itaq; Calviniani cedere nolentes, quod unâ manu dant, alterâ adimunt, dum videri quidem volunt nobiscum loqui, sed interim non nobiscum sentiunt. Sed ad absurdum rediguntur, dum nullâ voce modificatâ, tropum & figuram tamen in integra propositione collocant. Sin: nulla in verbis dari & ostendi potest tropus vel figura, non quoq; prædicatio ijsdem verbis enunciata, tropica aut figurata dici potest ac debet. Illud v. cùm largiantur Adversarij, & hoc concedant necesse est.*

b) Syst. Theol. lib. 3. c. 8. f. 445.

2. *Quin & ipse Keckermannus (b) hanc sententiam, quando, non in verbis sed in forma propositionis, tropus ponitur, consistere non posse testatur, cum omnis tropus sit in verbis & vocibus non in rebus; interim tamen alibi (c) propositiones improprias non natione verborum sed dispositionis admittit, in qua propriis verbis retentis prædicatum subjecto tribuatur, non ob internam & essentialem cohærentiam sed externam relationem seu unionem. Ast ἀδολεσχῶς hæc proponit.*

c) Syst. Log. lib. 2. c. 2. f. 391.

3. *Quarè etsi Adversarij multum de τῷ ῥητῷ glorientur, & constanter Christi verba retinere jactitent: (d) tamen id sensu suo Sacramentario, sive cum explicatione Metonymica, vel juxta modum prædicationis relativæ & analogicæ, intellectum volunt. τὸ ῥητὸν enim, quod Sacramentale vocitant, servare, illis est, non tàm literam seu verba, quam sententiam sequi. Atq; sic amplæ eorum largitiones & commodæ locutiones, nil sunt nisi voces*

d) Bucanus Instit. l. 48 f. 693. Anatomia Marburg. f. 160.

Hyenæ,

DE CALVINISMO

DISPUTATIO ELENCTICA
VIGESIMA
Complectens Matæologiæ Calviniana
examen,

DE PRÆSENTIA CHRISTI IN COENA, ET ORALI MANDUCATIONE.

Quam

Doctore & Ductore S. S. Spiritu
Sub Præsidio
M. PETRI HINKELMANNI,
Verbi Divini Ministri,
privatim defendendam susciplet
MICHAEL EINSPERGIUS
Nordstrand. Holsat.
Habebitur disput. 15 Cal. Maij.

ROSTOCHII
Litteris Reusnerianis, Anno 1611.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0429
DFG

ΣΤΝ ΘΕΩ

DISPVTATIO ANTICALVINISTICA XX.

DE REALI PRÆSENTIA CHRISTI IN COENA, ET ORALI manducatione.

CONTINVATIO.

VIndicato τῷ ἐητῷ verborum Cœnæ à variis & infinitis Calvinianorum ſtrophis & eluſionibus, nunc præcipuam ac claſſicam illam cum Adverſariis in hoc loco controverſiam, de præſentia Chriſti in Cœna, & orali manducatione aggredimur. Quam alii apertè non tantum negant, ſed & ſannis & convitiis exagitant, alii tanta verborum excogitata accommodatione, in ea aſſerenda utuntur, ut alia via præcipitiori ſimpliciores ſeducere, & ad ſe trahere non poſſint. Ergo ovina pellis detegenda eſt, ut Cumani Leonis ſub ea occultati auriculæ prominere incipiant, & ab omnibus conſpectæ & animadverſæ melius evitari poſſint. Prius verò de Reali Chriſti in Cœna ſua præſentia; Deinde de orali manducatione agemus.

CAPUT PRIMUM.

De Reali præſentia Chriſti in Cœna,

Error primus.

Sicut revera à noſtris oculis, ac proinde à loco in quo cœnam Domini celebramus, tàm procul nunc abeſt Chriſti corpus, quàm abeſt cælum à terra: tamen quatenus hæc actio cæleſtis eſt, & fides noſtra in cælum usq; ſubvehitur, ut Chriſtum quàm efficaciſsimè apprehēdat, hoc ſanè reſpectu præſentiſsimam eſſe Chriſti carnem, niſi

Beza epiſt. 5. Volum. 3. tract. Theol. f. 204. Cingl. in Rt. ad Luth. confeſſ.

Calvin. in form. cons. cum Helvetiis.

nisi fatearis, Cænam Domini evacuas. ¶ Præter panem & vinum non quicquam adest.

REFUTATIO.

Ægerrimè quidem Calviniani, ut solent, ferunt sibi imputari, quasi absentiam Christi in Cœna statuant, quare commodissimè sæpius (a) & orthodoxè nobiscum loquuntur, sed non nobiscum sentire eos, propria illorum verba, ne opus hîc sit cumulare rationes, quibus convincantur, testantur. Qualem verò præsentiam, de qua tàm multa verba faciunt, intelligant, ex errore haud obscurè colligitur, nimirum repræsentativam, κατ' ἐνέργειαν, verbalem symbolicam, objectivam, effectivam, relativam, & analogicam: per communicationem idiomatum, secundum societatem, memoriam, affectum, contemplationem fidei, efficaciam: sicut legatum in testamento, hortus sive domus in syngrapha, Sol radiis suis præsens est in terra, &c. Contra quam, nos verè corporalem & realem credimus, & sequentibus rationibus probamus.

a) Calvinus lib. 4 inst. c. 17. §. 10. In 1. Cor. 11,

1. Potissima & principalis probatio realis præsentiæ corporis & sanguinis Christi in S S. cœna desumitur à veritate verborum cœnæ, quæ ille, qui ipsa est veritas, & fallere nescit, non tantum locutus est, verùm ita etiam disposuit, ut multiplex probatio inde desumi possit. 1. Verba sunt Sole meridiano clariora: Hoc est corpus meum: Hic calix N. T. est in meo sanguine; quæ vel sola præsentiam corporis & sanguinis Christi satis confirmant, ne tantillum de eâ dubitandi locus relinquatur. 2. Præsertim cum exegesin addat Christus satis luculentam: quod pro vobis traditur. 3. Et de poculo inquit: quod pro vobis effunditur in remissionem peccatorum: tribuens proprium sanguinis (effundi nimirum in remissionem peccatorum) poculo, quod, nisi præsentem sanguinem contineret, fieri neutiquam posset. 4. Denique jubet comedere & bibere, ore scilicet corporis: at longissimo intervallo ab ore nostro absentibus rebus id tribui non potest. Ergo ut corpus & sanguis sint longè præsentissima, necessariò sequitur. Hic Christi sermo infallibilis

libilis est, ut Chrysostomus inquit (b), sensus autem noster seduci facilis, ille nunquam decidit, hic autem ut plurimum errat. Quoniam igitur verbum dicit: Hoc est corpus meum, & pareamus & credamus. Et Cassianus alicubi scribit: Quid mihi quærere opus est, quomodo verum sit, cum dubitare non debeam, quin verum sit, quia Deus dixit. Et Ambrosius: quod mihi non dat corporis proprietas, id dat mihi verborum Christi veritas.

b) Homilia 60.

2. Ex Apostolo Paulo, præter verba institutionis, duo maximè illustria præsentiæ corporis & sanguinis Christi testimonia desumi possunt. Primo enim panem & calicem benedictum dicit esse κοινωνίαν non fidei, spiritus, virtutis, efficaciæ aut societatis Christi, ut Calviniani hanc κοινωνίαν explicant; sed ipsius corporis & sanguinis Christi; haud obscurè notans præsentissimam corporis & sanguinis Christi cum symbolis unionem. Alterum, triplicem continet probationem, quando inquit: (c) Quicunq; manducaverit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. 1. enim ἐμφαλικῶς dicit panem hunc, calicem hunc, calicem Domini, ut digito quasi monstret illum panem, de quo Christus in verbis institutionis dixerit, quod sit corpus suum, & illum calicem, quem Christus vocaverit N. T. in suo sanguine, effusum in remissionem peccatorum. 2. Indignè manducantes & bibentes, reos fieri asserit non symbolorum, non figuræ & virtutis Christi, sed corporis & sanguinis Christi. 3. Addit, quod illi indigni non dijudicent corpus Domini. Ergo si corpus Christi discerni debet à communi cibo, necesse est illud ipsum adesse. Huc quoq; facit locus ille D. Iohannis: Tres sunt, qui testimonium dant in terrâ, spiritus, (in verbo) aqua, (in baptismo) sanguis (in SS. cœna). Ex hisce solidissimæ probationes præsentiæ corporis & sanguinis Christi in S S. cœna desumi possunt.

c) 1. Cor. 10. 16. cap. 11. 27. 29. 1. Ioh. 5. 8.

3. Tum & ex discrimine & comparatione V. & N. Test. præsentia Christi in cœna validissimè probatur. 1. In V. T. fuit typicus, figurativus

gumentivus & umbratilis sanguis, significans Christi venturi sanguinem: Ergo in N. T. figurari, significari & adumbrari amplius non debet, sed verè adesse. Σκίαν enim, teste Apostolo (d), habuit V. T. at N. αὐτὴν τῶν πραγμάτων. 2. Ibi fuit verus ac naturalis sanguis brutorum præsens: Ergo ut in eius locum verus ac naturalis sanguis Christi præsens succedat oportet. 3. In Veteri fœdere utraq; pars paciscens, fœderali victima participavit: Caro oblata fuit Deo in sacrificiis, & comesta ab hominibus: pars sanguinis super altari offerebatur Deo; parte reliquâ in crateras missâ aspergebatur populus (e): Sic etiam Christus novum nobiscum feriens fœdus, non tantum patri cœlesti carnem suam in ara crucis obtulit, & sanguinem Christi in remissionem peccatorũ effudit, sed etiam in sua cœna nobis hominibus idem corpus & sanguinem manducandum & bibendum ordinavit.

d) Ebr. 10. 1.

e) Exod. 24. 6.

4. Quia itaq; actionem Sacramentalem Christus etiam corpore & sanguine suo tanquam altera eius parte essentiali ordinavit & instituit; utiq; præsentia ejusdem negari, si actio perfecta & integra esse debet, non potest. In omni enim actione, quæ integra celebratur, omnia quoq; quæ de ejus essentia sunt, requiruntur. Cum verò corpus & sanguis Christi, etiam ipsorum adversariorum (f) concessione, ad essentiam actionis Eucharisticæ pertineant; omnino quoq; eiusdem hîc in terris præsentia, nisi actionem ipsam imperfectionis, quod blasphemiâ non careret, arguere velis, concedi debet.

f) Pezelius tract. de cœna p. 44.

5. His subjungimus omnipotentiam instituentis suam cœnam, & dicentis: Hoc est corpus meum: Hic sanguis N. T. in meo sanguine: qui quod dixit, præstare, & quod instituit, servare potest; non enim apud eum impossibile omne verbum (g). Ipse dixit, & non faciat? sermo Christi ipso opere non compleatur? Quod argumentum ab omnipotentia Christi desumptum, quia de eius voluntate ex verbis institutionis satis constat, admodum ad obtinendam & demonstrandam Christi in cœna præsentiam, valet: quicquid interim adversarÿ obmurmurent. Nos demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti, est potentia facientis (h).

g) Luc. 1. 37. Ier. 32. 27: Num. 11. 23.

h) August. epist. 3. ad Volusian.

6. Nec

6. Nec minus firmum præsentiæ Christi in cœna argumentum, ab ascensione ejus in cælum, & collocatione à dextris Dei desumi potest. Non enim hi articuli, ut adversarii sibi falsò persuadent (i), cum præsentia Christi pugnant, sed eam vel maximè confirmant. Propterea namq; Christus ascendit, ut omnia impleret: & collocatus à aextris Dei, ὁ πᾶς ἐπουράνιος, omnia sibi subjecta habet; ita ut illi nil quicquam non subjectum Deus reliquerit (k), donatâ plenariâ maiestate & potestate præsentissimè in cælis & in terris dominandi: Factus est itaq; Christus per ascensionem in cælum, & collocationem à dextris Dei, transcendens & continens omnia loca.

i) Whitak. de script. q. 5. c. 9 Perk. Cathe. Reform. pag. 436.
k) Eph. 4. 10. Ebr. 2. 8.

7. Consensus deniq; totius orthodoxæ Antiquitatis præsentiam Christi confirmat. Irenæus Eucharistiam duabus rebus constare, inquit (l), re terrenâ & cælesti. Chrysostomus: O miraculum, ô Dei benignitatem; qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac seipse tradit volentibus eum accipere & amplecti. Augustinus: Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce, & hoc accipite in calice, quod est effusum de Christi latere. Erit enim illi mors non vita, qui mendacem putaverit Christum. Idem: Hoc est, quod dicimus, & modis omnibus approbare contendimus, Sacramentum hoc duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & invisibili D. N. J. C. carne & sanguine. Bernhardus: Tria in Sacramento altaris attendere debes, speciem panis, veritatem carnis, & virtutem gratiæ spiritualis. Quod videmus, species est panis & vini, quod sub illa specie credimus, verum est corpus, & verus sanguis Christi, quod pependit in cruce, & qui fluxit de latere. Chrysostomus: Hoc quod in poculo adest, illud est, quod ex latere Christi fluxit, & illud participamus.

l) lib. 4. cap. 34. Lib. 3. de sacerdotio. In serm. ad Neophitos. In sentent. Prosperi. In serm. de cœna Domini. In 1. Cor. 11.

Error secundus.

Quotquot CUM, IN, SUB pane corpus Christi esse statuunt, Christi verbis addunt, & à simplicitate recedunt.

Vrsin. in Catech. p. 2, q. 73. f. 541.

REFUTATIO.

Si seu-

Si sensu Calviniano, quem hisce particulis affingunt, quasi illis aliqua localis inclusio notetur; nos easdem acceptaremus, dici possemus Christi verbis addere, & à simplicitate verborum cænæ recedere. Cùm verò id non fiat, cum proprii cerebelli figmento pugnant, ac graviter errant. Nos itaq; contra hanc harum particularum falsam glossam, eas in vero & orthodoxo suo sensu, quo à nostris Doctoribus adhibentur & usurpantur, posse ac debere retineri, sequentibus rationibus probamus.

1. Quia verba institutionis non immutant, sed commodissimè τὸ ῥητὸν explicant. Quando enim Christus porrecto pane dicit ad discipulos, Accipite, comedite, hoc est corpus meum, jussit certè, & voluit eos non solum & nudum panem, sed in, sub vel cum pane corpus quoq; suum comedere. Etsi itaq; haud inviti largiamur Christum hisce particulis usum non esse, tamen easdem, verborum Christi sensum appositè & orthodoxè exprimere, negari non potest.

2. Præsertim cum hæ particulæ non modum, sed veritatem præsentiæ Christi, eiusq; cum symbolis realem κοινωνίαν nobis ostendant, & cum illis Pauli propositionibus optimè conveniant, quando inquit (a): Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est? id est, in, eum, & sub pane & vino communicamus corpus & sanguinem Christi.

a) 1. Cor. 10. 16.

3. Quæ æquipollentia harum particularum, etiam in aliis SS. Scripturæ locis usitata est. Ut quando Euangelista dicit: Verbum caro factum est, addit explicationis gratia, & habitavit in nobis. Apostolus hanc propositionem, Christus est verus Deus, alibi sic effert: Deus erat in Christo. Christus de se inquit: Ego sum Vita. Euangelista verò sic explicat: in eo vita erat (b). Hæ propositiones cum tolerentur tanquam æquipollentes, atq; in illis usus harum particularum sit maximè appositus, utiq; eædem in negotio cænæ, sine ulla localis inclusionis aut Physicæ delitescentiæ suspicione retineri & adhiberi possunt.

b) Ioh. 1. 14. Rom. 9. 5. 2. Cor. 5. 19. Ioh. 11. 25. 1. 14. 5. 6. 1. 4.

4. Tum

4. *Tum quoq; hisce, ceu arietibus commodissimè uti possumus contra utrumq; Adversarium: Pontificium, qui figmento monstrosæ Transubstantiationis, de pane nil nisi externam speciem & accidentia remanere somniat: Calvinianum, qui corpus & sanguinem Christi à cæna longissimè in cælum, nescio, quod empyræum relegat.*

5. *Nec deniq; authoritate Patrum in harum particularum usu destituimur. Augustinus enim inquit (c): Hoc accipite* in *pane, quod pependit in cruce, Hoc accipite* in *calice, quod effusum est de Christi latere. Chrysostomus: Hoc quod* in *poculo existit, est illud, quod ex Christi latere effluxit, & illud participamus. Idem:* Cum *illis rebus quæ videntur, simul adesse creditur corpus & sanguis Christi. Nazianzenus: Hic est sanguis meus, qui effunditur. Non est alius iste sanguis, & alius ille, sed unus idemq;, & iste & ille. Cras igitur fundetur ex hoc meo latere, quem vos modo bibitis & videtis* in *calice. Cyrillus: Sacram eius carnem & pretiosum sanguinem accipimus* in *pane & vino. Cyprianus: Nec potest videri sanguis eius, quo redempti & vivificati sumus, esse* in *calice.*

(c) *Inserm. ad Neop. In 1. Cor. 10 Lib. 3. de Sacerdotio*

Caput Secundum.

De orali manducatione etiam Indignorum.

Error Primus

Admonitio cont. lib. Concord. f. 109. 130.

Queruntur sibi tribui à nobis esum corporis Capernaiticum, qui corpus Christi laceret dentibus. At sæpè est illis responsum, nos de tali esu cum illis non disputare, sed omnem ingressum substantiæ carnis Christi intra hominum corpora quantumvis subtilem, Spiritualem, cælestem, supranaturalem vel contranaturalem, arcanũ & incomprehensibilem fingant aut prædicent, negare, tanquam cum verbo Dei pugnantem. ¶. Quod ore corporis nihil sumatur in cæna Domini, præter panem & vinum, id credimus & confitemur.

REFUTATIO.

Sit ita, quod Capernaiticæ accusationis, qua ab initio huius certa-

taminis nos gravârunt, iam finis esse debeat, quo nobis suum candorem, hactenus in iis desideratum probant. Quod verò ore corporis nihil præter externa symbola sumi, & manducationem oralem corporis Christi, quantumvis arcanam, supernaturalem & incomprehensibilem cum verbo Dei pugnare, claro ore confiteantur, refutandum omninò nobis est.

1. Non enim ea cum verbo Dei pugnat, sed in verbis institutionis ita fundatur, ut solidissimè ex iis demonstrari possit. Christus namq; instituens suum testamentum, clarè, propriè & apertè, ut testator solet, locutus est, non itaq; aliter nisi κατὰ τὸ ἐητὸν verba eius in vero & genuino suo sensu accipienda sunt, ut præcedenti συζητήσει demonstratum. Iam verò verba Edere & Bibere in proprio, nativo & genuino suo sensu, externam, quæ ore corporis fit, manducationem & bibitionem denotant: Quare, cum Christus tàm de corpore & sanguine suo, quàm de externis symbolis dicat, accipite, comedite, bibite; id ore corporis fieri omninò oportet.

2. Idq; propter realem præsentiam, & sacramentalem unionem corporis & sanguinis Christi cum symbolis. Quæcunq; enim simul sunt & sacramentaliter uniuntur, ea simul quoq; uno actu sumi, nisi præsentiam alterius rei negare, & unionem sacramentalem prorsus tollere velis, concedas oportet: At in S S. cæna cum symbolis corpus & sanguis Christi præsentia, ut mox probatum, sacramentaliter uniuntur: Ergo simul etiam uno actu percipiuntur. Atq; sic quod symbolis illis externis πρώτως competit, comedi nimirum ac bibi ore corporis, id δευτέρως propter sacramentalem ac arctissimam unionem cum illis, etiam corpori & sanguini Christi tribuitur.

3. Atq; id non tàm ἀφηολόγως, ut illi putant, fieri, vel inde constat, quod, quamvis nudæ promissiones fide solummodo acceptentur, res tamen promissæ quantumvis spirituales etiam manu, ore vel etiam toto corpore percipiantur, ut: spiritu sancto visibiliter super Apostolos effuso; donis miraculosis, credentibus, Apostolorum tempore collatis; claritate Dei effusâ in corda nostra; Spiritu S. nobis donato;

Gratia

Gratiâ Dei & justitiâ Christi nobis communicatâ; ac cœlesti beatitudine & gloriâ æternâ, quâ corpora nostra in futura vita perfundentur, &c. probatur. Cum itaq; Christus non tantum nudas in sua cœna dederit promissiones, sed insuper res promissas, corpus nimirum & sanguinem suum ordinârit, utiq; & illæ ore corporis, præsertim cum id jusserit, sumi possunt.

4. Imò id fieri debere, distinctâ suâ institutione nos docuit. Dum enim non simul corpus & sanguinem sumi voluit, ut in spirituali fruitione, quæ fide fit, fieri solet; sed seorsim seu singulatim cum pane corpus, & cum vino sanguinem suum sumendum ordinavit, digito quasi oralem corporis & sanguinis sui manducationem & bibitionem monstrare, & nobis commendare voluit.

5. Quæ & ex manducatione indignorum satis solidè demonstrari potest. Cum enim illi fide careant, & tamen corpore & sanguine Christi, ut mox videbimus, participent, utiq; id non nisi oraliter fieri, nemo, credo, negabit. Præsertim cum Apostolus de indignis affirmet, quod non dijudicent corpus Domini, scilicet, ipsa manducatione orali.

6. His testimonia Patrum de orali manducatione subjungimus. Tertullianus enim inquit (a.): Caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur. Augustinus: Nos mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum Christum, carnem suam nobis manducandum, bibendumq; sanguinem dantem, fideli corde atq; ore suscipimus. Idem: Placuit Spiritui S. ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi. Idem: Videte fratres, si justum sit, ut ex ore Christianorum, ubi corpus Christi ingreditur, luxuriosum canticum, quasi venenum, proferatur. Leo: Hoc ore sumitur, quod fide creditur. Gregorius: Quid sit sanguis agni, jam non audiendo, sed bibendo didicistis, qui sanguis super utrumq; postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. Chrysostomus: Non vulgarem honorem consecutum est os nostrum accipiens corpus Dominicum, audiant, qui fæda lo-

a.) De resurrect. carnis contra adversf. legis. l. 3. cap. 9. Epist. 118. Serm. de tempore. Serm. 6. de jejunio. Hom. Paschali 22. Hom. 29. in 2. ad Cor. Lib. 3. de sacerdotio. In c. 1. Ioh. Apud Theodoret. l. 5. c. 18. ad Theodos. Imper.

da loquuntur & convitia, & horreant, quod tale os polluant. Idem: O miraculum, ô Dei benignitatem, qui cum Patre sursum sedet, in illo temporis articulo, omnium manibus pertractatur. Beda: Corpus & sanguis Christi, jam non infidelium manibus ad pernitiem ipsorum funditur & occiditur, sed fidelium ore sumitur ad salutem. Ambrosius: Istæne adhuc stillantes injustæ cædis cruore manus extendes, & iis sanctissimum Domini corpus prehendes? vel tu pretiosum illum sanguinem admovebis ori tuo, qui tantum effuderis sanguinis, dicto furentis animi.

Error secundus.

Colloq: Mompelg. f. 28.

Ipsius Christi nullam aliam statuimus perceptionem, sive in simplici verbo, ut Ioh. 6. sive in sacramentis, ut in institutione cænæ Domini, nisi spiritualem, id est, eam, quæ Spiritus sancti virtute, & fidei instrumento peragitur.

REFUTATIO.

Hic ex priori sequitur error, negatâ enim orali manducatione, quam illi non nisi de Capernaitica laniena vel Cyclopica σαρκοφαγίᾳ corporis Christi, atq; de Scythica ingurgitatione sanguinis Christi, ut ut hoc negent, intelligunt; tantum spiritualem illam agnoscunt, quæ fide fiat, eâq; θεοπνοβαλικῇ, i. e. ut fides ab actione cænæ, quæ in terris peragitur, se avertat, & ascendens cogitatione in cælum, ibi Christum in sua majestate sedentem, mente & spiritu apprehendat. Quæ certè imaginatio θεοπνοβαλικὴ probatâ in priori refutatione, orali manducatione, sponte exspirat, ad majorem tamen eius annihilationem, sequentes rationes subjungimus.

1. Ex institutione cænæ aliquot produci possunt. 1. *Christus non dixit credite, sed comedite.* 2. *quod de externa oris manducatione intelligi debere, probant præcedentia verba & tota institutio, quæ externæ est actionis.* 3. *Imò & certi temporis, cum spiritualis illa mãducatio fuerit & sit omnium temporum, etiam V. T.* 4. *Cum symbolis peragenda proponitur, cum spiritualis fiat solâ fide.* 5. *Ab illis manducari*

ducari vult Christus corpus suum, pro quibus traditum est; & bibi sanguinem, pro quibus effusus est: At pro omnibus Christus traditus, suum sanguinem effudit: Spiritualis verò manducatio est tantum credentium. 6. Christus jubet hoc facere, id est, manducare corpus & bibere sanguinem suum, ad vel in sui recordationem: recordari autem passionis Domini prorsus idem est, quod credere seu fide eam amplecti: Ergo oralis manducatio, quæ ad credendum præcipitur, non spiritualis instituitur, seu fide tantum peragitur. 7. Denique distincta & bipartita institutionis forma, de quâ antè, spiritualem tantum manducationem, quæ unius eiusdemque est actionis fidei, totum Christum apprehendentis; non admittit.

2. Ex testimonio illo Pauli (a), quo indignè manducantes ac bibentes, judicium sibi manducare, & reos fieri, inquit, corporis & sanguinis Christi; duplex erroris refutatio haberi potest. 1. Apostolus enim de sacramentali manducatione & bibitione asserit, eam indignè fieri posse; deinde & reos facere corporis & sanguinis Christi, atque in judicium impiis cedere: Utrumque verò spirituali manducationi ac bibitioni tribui non potest, hæc enim in indignè manducantes non cadit, nec ad judicium peragitur, neque reos corporis & sanguinis Christi facit. a) 1. Cor. 11. 27, 29.

3. Porrò συνήθως hæ rationes notentur. 1. Sacramenta teste Apostolo (b) sunt σφραγίδες τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως: Ergo ipsa spirituali manducatione, quâ justitia fidei applicatur, definiri SS. cœna non potest. 2. Sacramentalis hoc fine fit, ut confirmetur nostra fides: at spiritualis manducatio fide peragitur, sive spiritualiter comedere Christum, nihil aliud est, nisi credere in Christum. 3. Spiritualis manducatio est fructus cœnæ; at sacramentalis manducatio ad substantiam cœnæ pertinet: non itaque illa in essentia Sacramenti, sed in effectu illius collocari debet, 4. Sacramentalis certâ formâ in verbis institutionis describitur: at spiritualis nullam formam institutionis habet. 5. Nec verbis institutionis accommodari potest. Quæ itaque in uno tertio, nimirum verbis institutionis non conveniunt, nec b) Rom. 11.

inter se convenire possunt. 5. Manducatio, cuius in S.S. cœna fit mentio, est quoddam medium deducens nos ad spiritualium beneficiorum perceptionem, quæ fide fit: Ergo ipsa spiritualis manducatio esse non potest.

3. Insuper hæc ἄτοπα sequuntur. Spiritualis enim tantum Christi in cœna manducatio, 1. ineptam gignit tautologiam, fide enim comedere corpus Christi, idem est, ac spiritualiter meminisse eiusdem. 2. Contradictionem quoq; absurdam implicat, fide enim frui Christo, in memoriam seu fidem Christi, est rem eandem in sui ipsius memoriam fieri. 3. In duas, unicam illam, quam institutio tantum agnoscit, discerpit actiones; Sacramentalem oris, manducantis & bibentis nuda symbola in cœna: Et spiritualem fidei, apprehendentis Christum in cælo. 4. Fidei plus quàm institutioni Christi tribuit. 5. Illamq; (fidem) facit οὐρανοβατικὴν: ast sic incertis sedibus vagabitur, cum in qua plaga cæli Christus inveniendus, certò illi non constet. 6. Nobis non plus, si non minus, cum illi carnem & sanguinem typicum habuerint, in nostro cœnæ Sacramento relinquit, quam Israelitæ in V. T. habuerunt.

Error tertius.

Quid accipiunt impii in usu? Resp. Impii accipiunt nuda tantum signa, eaque ad judicium & condemnâtionem.

Vrsinus in compendio f. 510. 588.

REFUTATIO.

Quemadmodum ultrò largimur, margaritas secundum mandatum Christi, non esse obÿciendas porcis, neq; sanctum canibus dandum (a); atq; Christum pro impiis, impænitentibus & incredulis pertinacibus suum Sacramentum non instituisse, nec eos esse admittendos: ita constanter asserimus, eosdem impiè indignos contra jus, de facto accedentes, revera ore corporis, communicare Christi corpus & sanguinem; quod pleriq; Calvinianorum negant, sed refutantur.

a) Matth. 7. 6.

1. Perspicuis Christi verbis, quibus non quosdam, eosq; tantùm fideles, sed omnes indeterminatè jubet comedere & bibere; bibite, inquiens,

quiens, ex hoc omnes: quid verò illi omnes comedere & bibere debeant, addit: Hoc est corpus meum: Hic sanguis N. T. est in meo sanguine; Non vult, neq; instituit Christus, ut digni tantum corpus suum, indigni verò non nisi symbola externa percipiant, sed sine conditione dignitatis aut indignitatis, omnibus communicantibus, cum symbolis, corpus & sanguinem suum ordinavit: ut Euangelista Marcus subjungit; biberunt ex eo omnes.

2. Ex Apostolo Paulo præter verba institutionis hæ rationes pro manducatione indignorum desumi possunt, 1. De Israëlitis in V. T. affirmat (b), quod omnes eandem escam & potum spiritualem comederint & biberint, quamvis in pluribus eorum non beneplacitum fuerit Deo: Ergo & in N. T. ex æquo omnes accedentes ad mensam Domini, eandem escam & potum in cœna à Christo ordinatum, communicant. 2. Panem, quem frangimus, nominat κοινωνίαν corporis Christi, quæ nihil aliud est, quàm μεθεσμὸς, μετάληψις, καὶ μετοχὴ, distributio, acceptio, manducatio seu sumptio corporis Christi: Ergo accepto pane, etiam cum eo τὸ κοινονέμενον, corpus nimirum Christi, indigni accipiunt. 3. Addit expressè ἅπαντες μετέχομεν: Ergo. 4. A Domino, inquiens, accepi, quod & tradidi vobis, sine discrimine omnibus, (quorum tamen multi erant indigni, ut ex illis, quæ supra & infra habentur, apparet) in Ecclesia Corinthiaca Dominicam cœnam communicandam tradit & proponit. 5. Quam & manducare omnes, quamvis inter eos sint hæreses & dissensiones, asserit. 6. Apertè affirmat, indignè posse manducari panem hunc; emphaticè hac particulâ demonstrativâ revocans mentes ad verba cœnæ: Hoc est corpus meum: & ad definitionem panis Eucharistici, quod sit κοινωνία corporis Christi. 7. Indignè manducantes, reos dicit fieri corporis & sanguinis Christi, non rejicientes, ut Adversarij volunt. Non itaq; simpliciter reatum tantum indicat, sed modum, quo in cœna reatus ille contrahatur, disertè exprimit, indignè scilicet manducando. Tum & constructio græca, ἔνοχος ἔσται τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ κυρίου; causam reatus in violatione seu indigna tractatione & sumptione

b) 1. Cor. 10. 3. 4. 5. 16. 17. c. 11. 18. 20. 21. 22. 23. 27. 28. 29.

ptione corporis Christi collocat. 8. Accessuros ad mensam Domini jubet seipsos probare, ut ex indignis digni fiant, haud obscurè indicans sine probatione indignè eos corpus Christi manducare. 9. Imò judicium sibi manducare & edere; non tantùm absolutè judicium seu pœnam eos incurrere dicit, sed causam & obiectum simul indicat, unde pœna judicii contrahatur, nimirum ex indigna manducatione corporis Christi. 10. Deniq; addit indignos non dijudicare corpus Domini, id est, non distinguere à communi & quotidiano cibo, quod non nisi orali manducatione fieri constat. Solidæ sunt hæ rationes ad stabiliendam indignorum manducationem.

3 Quibus sequentes addimus. 1. Integritas hujus Sacramenti, ut non à fide utentis, sed à veritate & majestate instituentis dependet, ita eidem, integrâ & illæsâ servatâ ejus institutione, incredulitas indignorum, quæ fidem Dei evacuare non (c) potest, derogare quoq; non debet. 2. Ipsa unio sacramentalis corporis Christi cum pane, & sanguinis ejus cum vino, verbis cœnæ instituta & ordinata, ac testimonio Apostoli (d) comprobata, sumpto pane & vino, simul τὸ κοινωνεῖν, corpus nimirum & sanguinem Christi ore sumi, omninò probat. Si itaq; Adversarij indignis symbola concedunt, utiq; quod cum illis symbolis externis sacramentaliter unitum est, denegare non possunt. 3. Propriâ suâ confessione, quâ indignos Sacramentum, sed non rem Sacramenti percipere affirmant, refutantur. Sequitur enim inde ex confesso, indignos quoq; corpus & sanguinem, tanquam alteram eamq; nobilissimam partem cœnæ συστηκλῶ percipere, aut hanc ad Sacramentum cœnæ non pertinere.

4. Quin & exemplum Iudæ, vel solum adversarios satis in hac sua opinione refutaret. Hunc enim indignum fuisse, extra aleam dubitationis positum est, tum & actioni huic sacræ interfuisse, historia institutionis cœnæ testatur. Nec Christum porrigentem Iudæ proditori, ut reliquis discipulis, cum pane corpus, & cum vino sanguinem suum, verba variasse legimus. Quare & Marcus subijcit; & biberunt ex eo omnes: unde sequitur & Judam cum reliquis idem corpus & eundem sanguinem Christi, quamvis sine diverso, sumpsisse.

Vt de

c) Rom 3.3. 2. Tim. 2. 12. 13.

d) 1. Cor. 10. 16.

Vt de eo Augustinus inquit: (e): Iudas proditor bonum Christi corpus accepit, sed quia bono non benè usus est, malus malè utendo delectus est. Item: Tolerat ipse Dominus Judam, & sinit accipere inter innocentes discipulos, quod norunt fideles pretium suum. Et Theodoretus: Non solum Apostolis, sed etiam Iudæ proditori pretiosum corpus & sanguinem impertyt.

(e) Const. Fulgentium lib. 9. & epist. 126. In 1. Cor. 11.

5. Quemadmodum & de omnibus indignis magno consensu docuerunt Patres. Idem enim Augustinus inquit (f): Non interest, cum de Sacramenti integritate & sanctitate quæritur, quali fide imbutus sit ille, qui Sacramentum accipit. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest. Fieri enim potest, ut homo habeat integrum Sacramentum, & perversam fidem. Idem: Indignè quisq; sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, ut, quia ipse malus est, malum fit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim & sanguis Domini nihilominus erat etiam iis, quibus dicebat Apostolus: quia manducat indignè, judicium sibi manducat & bibit. Idem: Cum Apostolus diceret, reus erit corporis Domini, de iis erat sermo, qui Domini corpus velut quemlibet alium cibum indiscretè negligenterq; sumebant. Origenes: Quando sanctum illum cibum accipis, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipsum, imitare centurionem, & dicito: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Vbi enim indignè ingreditur, ibi ad judicium ingreditur accipienti. Ambrosius: Ideò, inquit, multi in vobis ægroti sunt, ut verum probaret, quia examen futurum est accipientium corpus Domini. Iam hîc imaginem judicij ostendit in eos, qui inconsideratè corpus Domini acceperunt, ut in eis cæteri discerent, non inultum scientes, corpus Domini negligenter accipere. Basilius: Debemus attendere, quod sit judicium eius, qui indignè edit & bibit. Nam si qui fratrem per cibum contristat, à charitate excidit, quid de eo judicandum est, qui otiosè & inutiliter edere audet corpus, & bibere sanguinem Domini. Chrysostomus: Quomodo

f) Contra Donatistas l. 3. c. 14. l. 5. c. 8. Homilia 5. In 1. Cor. 11. De Baptis. cap. ult: Homil. 3. in epist. ad Ephes. In cap. 1. Malachiæ.

comparebis ante tribunal Christi, qui labijs & manibus immundis ausis ipsius corpus attingere. Et regem quidem nolles ore tuo fœtido osculari, Regem verò cœli animo graveolenti oscularis. Hieronymus: Polluimus panem, id est, corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare, & sordidè mundum sanguinem bibimus.

Error Quartus.

Piscator in 1. Cor. 11. Errant, qui putant Paulum loqui de infidelibus, is verò loquitur de fidelibus, sed qui indignè, hoc est, irreverenter cœnam Domini percipiunt; ἀναξίως, id est, secus ac dignum est tàm sancto mysterio.

REFUTATIO.

a) Bez. resp. 1. ad acta coll. Momp. f. 61. b) Calvinus, Martyr, Andreas Hyperius, Marlorat us. *Videtur quidem hic error quorundam Calvinianorum (a), (non enim omnes (b) eum amplectuntur) aliquanto levior; annumerare videlicet indignis convivis cœnæ, etiam fideles, qui vel fide infirmâ sunt præditi, vel non eâ, quâ par erat, reverentiâ & probatione cœnam Domini percipiunt: sed revera est crassissimus simul & pernitiosissimus, ut ex refutatione patebit.*

1. *Ut verò primò error suâ, quâ niti videtur, probatione spolietur, ex συνεπείᾳ textus multipliciter demonstrari potest, Apostolum illic loci minimè de fidelibus, sed infidelibus agere. 1. Quia in deterius convenerunt. 2. Scissuras seu hæreses foverunt. 3. Ad manducandum cœnam Domini ebrij quidam convenerunt. 4. Ecclesiam Dei contempserunt, & confuderunt reliquos. 5. Nonnulli indignè comederunt & biberunt. 6. Atq; propterea rei facti sunt corporis & sanguinis Christi. 7. Nec seipsos probarunt, ut ex adhortatione patet. 8. Quare & in judicium convenerunt, & judicium sibi manducarunt. 9. Nec corpus Domini dijudicarunt (c) &c. Hæc*

c) 1. Cor. 11. 17. 18. 19. 21. 22. 27. 28. 29.

certè

certè omnia non fidelium, sed infidelium opera esse, probatione non indiget.

2. Hoc ita q. suo fundamento privatus & frustratus error, ipse propria se contradictione confundit, dum fideles illos, quos sic nominat, indignè ac irreverenter cænam Domini percipere statuit, cum nullus, fide infirmâ quantumvis præditus, indignè, sed potius dignè percipiat: quin potius indignè sumens, eo ipso indignus sit & infidelis. Quare indignitas hæc, quam Apostolus inquit reos facere corporis Domini, & ad judicium cedere, fidelibus sine ἀναφόρᾳ tribui non potest.

3. Tùm & indignorum nomine intelligi non posse in fide infirmos, probari facilè potest proprio fine SS. Synaxeως, qui est, ut cedat ad confirmationem fidei; hic certè finis periret, si in fidei infirmitate consisteret indignitas. Tũ enim aut infirmi in fide arcendi essent à SS. cœna, quæ tamen ad confirmandam fidem instituta est: aut accedentes ad cœnam essent omninò validi, & confirmatione fidei in cœna non indigerent, non enim validi opus habent medico, teste Christo, sed infirmi (d).

d) Matth. 9. 12.

4. Quin & Apostoli cœnam primam communicantes, infirmos in fide, inter indignos recenseri nõ debere, testes sunt. Nemo n. credo, eos, præter Iudam, indignè corpus & sanguinem Christi manducasse & bibisse asseret. Atq. interim admodum infirmâ fide præditos eos, hujus Sacramenti majestatem non ita perpendisse, nec beneficii in eo sibi collati magnitudinem, ut decuisset, expendisse, videre est; ex jurgio sub cœna inter eos de primatu exorto; ex oscitantia quorundam, & negligentiâ cum Christo, incipiente suam passionem, vigilandi & orandi; ex turpi fuga, quâ Christum contrà datam promissionem ea ipsa nocte, quâ traditus est, deseruerunt. Hæc omnia, infirmæ fidei Apostolos fuisse demonstrant, sed tamen propterea indignitatis minimè eos accusant.

5. His adde exempla illorum infirmorum in fide, quos Christus non rejecit, sed tolerans eorum infirmitatem, suscepit, & familiarissi-

liarissimè cum iis conversans, suâ divinâ ope iis succurrit. Nec propios suos discipulos propter eorum ὀλιγοπιστίαν suâ conversatione Christus prohibuit: Quemadmodū & infirmos in fide humanissimè invitat, prædicans etiam fidem, ceu granum sinapis, quod possit altissimos tentationum montes superare. Vnde & S S scriptura passim, infirmos in fide consolatur, eosq; suscipiendos monet (e). Ex quibus tum exemplis tum dictis S S. Scripturæ satis manifestum, infirmos in fide minimè pro hujusmodi indignis, qui rei sint judicij, haberi posse.

e) Matt. 8. 26. c. 9. 12. 13. c. 11. 28. c. 12. 20. c. 16. 8. c. 17. 20. c. 18. 1. 2. Mar. 9. 24. Luc. 17. 5. Iob. 4. 27. 48. Esa. 42. 3. Soph. 3. 9. Rom. 14. 1. cap. 15. 1. Gal. 6. 1.

6. Aliàs enim hæc sequerentur ἀτοπολογα. 1. Nullum posse aut debere ad S S. cænam admitti, cum omnes, nisi Papizare velint, suam infirmitatem agnoscere; aut exempla sanctissimorum testantur, oporteat. 2. Vel accedentes conscios sibi suæ infirmitatis, non posse esse certos de digna communicatione. 3. Vnde illa consolatio confirmationis fidei, propter quam præcipuè cæna Domini, ratione utentium, instituta est, illis adimeretur. 4. Fidem non ex objecto, quod & infirma fides, ut mendica & debilis manus eleemosynam æquè apprehendit, sed ex propria qualitate æstimari. 5. Neq; solam incredulitatem, sed & fidem, infirmam puta, indignos tales facere, qui accedentes ad S S. cænam, rei fiant corporis & sanguinis Christi, atq; judicium sibi manducent: 6. Atq; sic à fide ad propriam dignitatem, in operum justitia quærendam, progressus, sed calamitosus & miserrimus fieret. 7. Denig; vel præsumptio Pharisaica, vel desperatio Judaica, quæ ad restim & æternam abjectionem redire solet, sequeretur. Concluaimus ergo non esse indignos, nisi veræ pœnitentiæ & fidei vacuos.

ΣΤΝ

DE CALVINISMO

DISPUTATIO ELENCTICA
VIGESIMA PRIMA
Complectens Mataeologia Calviniana
examen, in loco

DE CÆREMONI-
IS S.S. COENÆ, ET DI-
SCRIMINE SACRAMENTO
RUM V.ET N.T.

Quam

Doctore & Ductore S. S. Spiritu
Sub Præsidio
M. PETRI HINKELMANNI,
Verbi Divini Ministri,
privatim defendendam suscipiet
GEORGIVS HEINIVS,
Wismargensis.
Habebitur disput. 4. Non. Maij.

ROSTOCHII
Litteris Reusnerianis, Anno 1611.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0449
DFG

ΣΥΝ ΘΕΩ

DISPVTATIO ANTICALVINISTICA XXI.

DE CÆREMONIIS IN

Sacra cœna, & discrimine Sacrament: V. & NT.

CONTINVATIO.

Superioribus duabus Disputationibus Errores Adversariorum, quos de substantia S. S. Cœnæ potissimum fovent, examinauimus, qui tot tantiq; fuerũt ut omnibus orthodoxis fidelibus, Calvinianum dogma meritò suspectum non tantum, sed & admodum invisum & odiosum reddant. Quibus jam σὺν Θεῷ leuiores quidem ut videntur, eorum de Cæremonijs Errores subiungentes, videbimus tamen quomodo, ut illic fuerunt deglutientes camelum, hic sint percolantes culicem, ut solet esse illorum hominum indoles. Præmissâ vero de Cæremoniis Cænæ tractatione; eorum de discrimine Sacramentorum V. & N. T. opinionem breviter attingemus.

CAPUT PRIMUM.

De Cæremoniis in S. S. Cœna.

Error Primus.

Panis autem, azymus ne sit, an fermentatus, non magnopere putamus laborandum, quamvis COMMUNEM PANEM sentiamus ordinationi Christi multo esse convenientiorem. Cur enim azymo pane usus est Dominus, nisi quia per id tempus, quo sacram illam Cænam ipsi visum est instituere, nullus in Iudæa alio pane utebatur?

Beza ad quondam Anglicarum Ecclesiarum fratres Volum. 3. Epist. 12. f. 220.

REFUTATIO.

Maxima est apud Adversarios Cæremoniarum Cœnæ di-

versitas, ut praxis Ecclesiæ apud eos testatur: sibiipsis vel contradicentibus, vel se invicem refutantibus. Quare de longiori refutatione hic non erimus soliciti. Quod verò ad qualitatem panis attinet, fateri hîc Beza cogitur, fuisse eam infermentatam, cum Paschæ fermentum non admiserit (a), vnde & quidam azymum panem ferre possunt, plurimis tamen contra confessionem, fermentatum urgentibus. Quam ut contradictionem quidam vitent, Christum in prima Cœna communi domestico pane usum fuisse fingunt, (b) atq; hinc mordicus fermentatum retinent, nostrum azymum mirumodis exagitantes, atq; offensi materiâ, rotunditate ac nomine nostri panis, quod hostiam vel oblatum eum nominamus, contemptim efficiunt, esse hunc ipsum, vix spumam panis, esse nummularios panes, et crustulum chartaceum, atq; ex Papatu ortum suum trahere &c. Quidam (c) in defectu panis & vini, res alias, quæ cum pane & vino quandam habent analogiam, concedunt.

a) Aret. probl. p. 1. loc. 82. f. 999

b) Marx Beumler in gebericht contra Synopsin Calvin. D. Zeilbrun f. 298.

c) Beza. Bucanus. Paræus. vide Tom. 1. Gieß. Disp. 8. th. 47. & seqq.

1. Sed nos non, quid hic vel ille, sive ex ingenij morositate vel novitatis cupiditate, de qualitate panis statuat, vel hîc agendum præcipiat; sed quid Christus, qui ante omnes fuit, & suam Cœnam instituit, egerit, & qualem panem ille acceperit, attendamus; illius enim actio, merito nostra debet esse institutio. Ast Christum, azymum panem, quo in jam absoluta veteris agni Paschalis manducatione, ex lege Dei usus fuerat, adhibuisse in prima sua Cœna N. T. non negatur. Si itaq; Christus cum abrogaret V. T. & instituret Novum, atq; sic ad legem de usurpandis azymis panibus non amplius esset alligatus; imo, si tantùm momenti in qualitate panis, ut Calviniani putant, situm sit, vel tum maximè ad maius discrimen jam N. instituti T. à veteri, repudiato azymo pane, fermentato fuisset usus; non tamen id fecit, sed azymum retinuit: Nos quoq; causam non videmus, ob quam, azymum in nostris Ecclesijs à multis seculis usitatum, cum fermentato, ad placitum & traditionem Adversariorum, permutare cogi debeamus.

2. Præsertim cum hæc qualitas panis sit indifferens & adiaphora, & nos propterea infermentatum, ex libero usu retineamus.

Que-

Quemadmodum enim substantia panis ad οὐσίαν Cœnæ pertinet, ac propterea de necessitate est Sacramenti: ita accidentia panis ut sit fermentatus vel infermentatus; ad adiaphora spectant: cum verò Adversarij in ijs necessitatem urgeant, atq; sic in rebus mediis turbas moveant, seipsos nobis suspectos reddunt, ne iis hac in re ad horam (d) cedamus. d) Gal. 2. 5

3. Tum quoq; sibi ipsis contradicunt, suoq; se gladio proprio jugulant. Qui enim azymo pane Christum usum fuisse in prima cœna fateri coguntur, rectè addunt (e), hanc circumstantiam propriè non pertinere ad Cœnam, ideoq; non posse ex ea necessitatem panis azymi urgeri, nec voluisse Christum certam rationem coquendi vel adhibendi panis ad cœnam suam præscribere. Hoc si verum esse agnoscunt, quâ fronte (quam perfrictam esse propria hac sua contradictione produnt) necessitatem fermentati panis, sine exemplo Christi & testimonio S.S. Script. quod azymus habet, urgere & nobis præscribere audent. e) Ursin Catec. p. 2. q. 77 f. 530.

4. Quare nos nostrum Azymum panem retinemus etiam ideò, quia pulchram continet Allegoriam, quæ facit ad dignum usum S.S. Synaxeos: ut, quemadmodum ille panis Cœnæ, de quo participamus, est azymus, ita et nos expurgemus vetus fermentum, simusq; azymi & nova conspersio, atq; sic epulemur in hac Cœna, non in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis; ut Apostolus hanc allegoriam explicat (f). f) 1. Cor. 5. 7 8.

5. Quod verò rotundam formam nostri panis sugillant, contemptimq; de ea loquuntur, atq; appellationibus hostiarum & oblatorum offenduntur, vix responsione dignum. Constat enim hanc formam panis esse accidentalem, nec substantiæ Cœnæ quicquam addere vel adimere: quam formam in usu, suo tempore fuisse, inter alios Epiphanius etiam testatur (g), nominans eos ἐγγυλοειδεῖς panes: quos etsi contemptim illi nummularios panes, spumam panis et crustulum chartaceum vocitent, quod non ita sit constitutum ut nutrire possit; constat tamen nostrum, ratione substantiæ, verum, & ad usum Cœnæ g) In Ancorato.

maximè accommodũ panem eſſe, nec analogicè ſed organice, ut ſit mediũ communicativũ, corporis Chriſti inſtitutum. Nomina hoſtiæ et oblati ex Papatu ortum habere, ſi hiſtorias norunt, contra mentẽ aſſerunt. Nomen enim oblati à veteri conſuetudine primitivæ Eccleſiæ deſcendit, in qua, ut Patres annotarunt (b), communicantes Cœnam Domini, offerebant ſua dona, ex quibus pars in communionem Cœnæ cedebat, pars ad ſuſtentationem Miniſtrorum et pauperum impendebatur; de reſiduo convivium, ſeu, ut vocabant, ἀγάπας inſtituebantur. Nomen hoſtiæ, ſcripturæ V. & N. T. ignotum non eſt. Quod, tùm propter vicinitatem V. T. & quia Chriſtus, qui in cœna nobis offertur, in S. S. Scriptura hoſtia ſeu victima vocatur (i); tum propter Spirituales victimas; precationem, gratiarum actionem & Eleemoſynas, quæ in uſu Cœnæ vigent, ad quas ſæpe transfertur hoc nomen, eſt ſic retentum. Quam vis de nominibus, ſi modo in rebus conveniremus, cum nemine digladiari cupiamus.

b) Iuſtinus Martyr. Irenæus.

i) 1. Cor. 5. 7. Heb. 7. 17. c. 10. 10.

6. Facilitas quorundam in concedendis quibuvis alijs rebus, analogiam quandam cum pane & vino, ſi haberi non poſſint, habentibus; prodit illorum exquiſitam contradicendi libidinem; eam enim ut expleant, & ſemper contrarij ſint veritati, ex neceſſarijs adiaphora faciunt, & contrà res indifferentes in neceſſarias transformant. Nobis certo conſtat, panis & vini, tanquam alterius partis ſacratiſſimæ Cœnæ, ab Euangeliſtis (l) & Apoſtolo Paulo mentionem fieri, quam tollere aut mutare velle, ingens eſſet ſacrilegium. Vnde & Cyprianus eos, qui aquam; & Iulius, qui lac loco vini in Cœna propinârint, graviter taxaſſe leguntur.

k) Præl. 50. 14. & 51. 19.

l) Matth. 26. 26. 29. Mar. 14. 22. Luc. 22. 18. 19. 1. Cor. 10. 16. c. 11. 23. 26. 27. 28.

Error ſecundus.

Fractio panis Cæremonia eſt neceſſaria tùm propter ſignificationem, tum propter confirmationem fidei, ac proinde in ritu Cœnæ eſt retinenda.

Urſini Catech. p. 2. q. 77. f. 532.

REFUTATIO

Inter reliquas Cœnæ Cæremonias, fractionem cum Anabaptiſtis urgent, eamq; multis rationibus confirmare nituntur. 1. ex verbis inſtitutionis, quia Chriſtus fregit, & hoc facere iuſſit. 2. ex

Ex testimono Pauli. 3. Ab Authoritate et exèmplo Ecclesiæ Apostolicæ. 4. Ex significatione passionis Christi. 5. Ex confirmatione fidei &c. Atq; propterea hanc ἀστολασίαν non tantum necessariam esse, sed et ad partem Cœnæ essencialem, et integralem, adeoq; ad formam Eucharistiæ pertinere statuunt (a), cuius omissio Cœnam valde mutilet, non tamen interimat, ut Beza vult, inquiens: Cœna tamen est, si præcipua et merè substantialia retineantur. (b).

a) Piscat. Disp. de Cœna. Bucan. l. 48 q. 32

b) Beza Epist. 2. Vol. 3. f. 196.

1. Sed respondemus: Nos non negare, Christum fregisse panem; sed id fecit ex necessitate, non actionis Sacramentalis, sed quantitatis panis, ob distributionem. Mandatum eius, hoc facite, spectat non tam propriam, quam Apostolorum actionem, quæ consistit in accipiendo, comedendo & bibendo. Deinde constat, hæc verba non esse substantialia, sed tantum præparatoria et finalia Cœnæ, atq; propterea non de necessitate essentiæ.

2. Quod ad Apostolum Paulum attinet, ille Verbum frangere, idiotismo Hebraico, pluribus alijs in locis S. S. Scripturæ, qui in Sacro Codice videantur (c); usitato, pro distribuere accipit, etiam in verbis Cœnæ, ubi traditur, per frangitur effert, (d) ut quidam volunt; vel si mavis, quia dicit, quod pro vobis frangitur, idem vult quod Euangelistæ, metapherica phrasi crucem & passionem Domini denotans; quemadmodum apud Esaiam attritus legitur propter peccata nostra. Quæ tamen significatio nihil facit ad prius fregit, de quo est controversia, cujus quoq; antea, ut Evangelistæ, mentionem fecit.

c) 1. Cor. 10 26. Gen. 42. 12. Esa. 58. 7 Thren. 4. 4

d) 1. Cor. 11 24. Esa. 53.

3. Posumus etiam concedere, Apostolos, illisq; proximè vicinam Ecclesiam, fractionem retinuisse, sed id factum esse ab ijs, necessitate ritus aut mandati Sacramentalis, omnino negamus. Nulla enim necessitate, nisi accidentali, panem fregerunt, pro ratione illorum temporum, quando panes instar placentarum commode frangi potuerunt, ut distribuerentur. Fractio itaq; per se, si idem sit quod comminutio, omnino propter distributionem necessaria est: si verò ex accidenti, ratione temporis consideretur, est indifferens. Non

Non enim refert, sivè in ipsa Cœnæ actione, vel ante eam, panem frangas, atq; sic panes minutos ac rotundos, quorum apud nos est usus, quiq; ratione maßæ revera ante fracti sunt, distribuas.

4. Analogiam illorum inter fractionem panis & paßionem Christi nullam esse, atq; propterea non ad mittendam, hinc patet. 1. Quia nullo apice S. S. Scripturæ demonstrari potest 2. Quia potius est contra illud; Os non comminuetis ex eo (e). 3. Et fatentur ipsi adversarij nullam fractionem eße in Christi corpore factam (f). Quid itaq; fractio in Cœna repræsentare potest? 4. Quia potius Christus, si paßionem suam repræsentari voluisset in Cœna, agnum Paschalem, qui multo evidentius eam repræsentavit, non abrogasset. 5. vel si voluit (repræsentari), abrogato illustriori typo V. T. ordinavit obscuriorem in Novo. Quod manifestè S. S. Scripturæ est contrarium: quæ V. T. nocti & tenebris, N. vero T. diei & luci comparat, propter maiorem hujus, quam illius claritatem (g). 6. Si verò fractio panis debeat esse præfiguratio fractionis corporis Christi, detur in altera parte, in administratione calicis, præfiguratio effusionis sanguinis Christi: At non hoc: Ergo nec illud. 7. Hæc præfiguratio seu repræsentatio paßionis Christi semipapizat. Si enim, quod in signo fit, etiam in signato fieri oportet, ut Caluiniani volunt, certè sua repræsentativa fractione, Christum instar Pontificiorum, incruento, licet Calviniano modo, cum in signo, ut volunt, hæc fractio fiat, in S. S. D. Cœna offerent. Deinde et in fractione et fine fractionis, qui est, ut significet et repræsentet, Sacrificulos imitantur. Sic enim Bellarminus (h): Nostra fractio fit post consecrationem, non ad distribuendum, sed ad certum mysterium significandum. Et Durandus canit (i):

Tres partes fractæ de Christi corpore signant:
Prima, suam carnem, sanctosq; secunda sepultos,
Tertia viventes &c. *8. Sapit Iudaismum, & reducit Cæremonias Leviticas, quæ in fractione, mactatione, significatione et præfiguratione, consistebant, atq; sic confundit Sacramenta V. et N. T. 9. Negat præsentiam corporis Christi. 10. Mutat sensum literalem verborum Cœnæ, in allegoricum &c.* Vi-

e) Ioh. 19. 36

f) Bucan. Inst. l. 48 4. 47. Forstius in Antipist. p. 2. c. 10. sect. 4.

g) Rom. 13. 12. Col. 2. 17. Ebr. 10. 1. 2. Cor. 3. 7. 8. 9. 10. 11.

h) Tom. 2. de Missa lib. 1. c. 27. f. 1044.

i) In Rationali lib. 4. 8. 51.

5. Confirmationem fidei ex repræsentatione suâ analogicâ Calviniani, more Pontificiorum, qui id genus confirmationum fidei amplectuntur, sibi retineant. Nos vero usu S. S. Synaxeως, ore corporis manducantes & bibentes corpus & sanguinem Christi, ut sic quasi in unam massam cum eo coalescamus, fidem nostram confirmamus.

6. Ex histe Sole meridiano clarius constat, Fractionem panis, ut eam urgent Adversarij, neq; ad partem Cœnæ essentialem, neq; integralem, neq; formalem pertinere, ac proinde non esse necessariam; quibus tamen [illegible] has rationes subiungimus. 1. Quia est Cæremonia, quæ ἐνεργείᾳ posita est. 2. Et est actio, quæ ne quidem pars integralis, nedum essentialis, substantiæ dici potest. 3. Tum illud tantùm, quod ad communicationem corporis Christi pertinet, est de essentia Cœnæ, formamq; ejus constituit: At non panis fractio per se, sed fracti distributio, teste Apostolo, est communicatio corporis Christi: Ergo quoq; ipsa fractio quoquo modo ad essentiam Cœnæ referri non potest. 4. Tum et sine fractione, ut eam intelligunt Calviniani, Cœna peragi potest; Ergo non potest esse fractio ad Cœnam necessaria.

7. Nec deniq; destituimur authoritate Patrum, qui verbum frangere in Cœna, pro distribuere acceptant. Chrysostomus enim inquit (h): Quare addit (Apostolus), quem frangimus; hoc in Eucharistia videre licet, in cruce autem minimè. Sed omninò contra. Os enim ejus, inquit, non conteretur, sed quod in cruce passus non est, id in oblatione patitur, & propter te frangi (i.e. distribui) sustinet, ut omnes satiet. Oecumenius: Quod in cruce non passus est Dominus, (os enim ei, inquit, non confringetur) hoc propter nos sustinet confractus, ut nos sibi conjungat. Theophylactus: Quod in patibulo minus sustinuit Dominus, quippe cujus neq; os fuerit contritum, hoc nostri ob gratiam confractus patitur.

h) In 1. Cor. 10. In eidem caput.

Error Tertius.

Docent Adversarij. 1. Symbola in manus danda,

Bucanus Inst. l. 48. q. 34. Cingl. Tom. 2. contra Lut. confess. f. 545.

non ori ingerenda esse. 2. Altaria, calices, pallia Sacra, lychnos &c. quia illa omnia, tùm usui Idololatrico in Papatu inservierint, tùm Papismum redoleant, esse abrogandos.

REFUTATIO.

Præpostera & importuna hæc est Adversariorum simulata sanctitas, quâ, sublatâ è Sacramento Cœnæ, quantum in illis est sacrilegâ audaciâ, substantiâ Christi, quæ Sacramenti hujus nucleus est, religiosuli in cæremonijs videri affectant; atq; sic revera declarant se esse percolantes culicem & deglutientes camelum. Cum verò hæc omnia, quæ ita superciliosè despiciunt, libertati nostræ subiecta sint, ea quoq; ad vitandam prolixitatem, hic συλλήβδην *proponere placuit.*

1. *Quod ad primum; varias easq; non necessarias movent quæstiones. An symbola in manus danda, an vero ori ingerenda? An seriatim vicinus à vicino sumere, an verò è manu Ministri accipere quilibet debeat? An stando, vel sedendo communicandum sit? Nos respondemus, 1. Christum iussisse* λαμβάνειν, *quod non tantùm manu, ut quidam adversariorum, haud sine inscitiæ suspitione, existimant, sed et ore vel quacunq; parte corporis fieri, ignotum etiam in hac lingua tyronibus non est. Et quod ore etiam fiat, exemplo Christi pendentis in cruce probatur, cui cum porrigerent myrrhatum vinum, additur:* ὁ δὲ οὐκ ἔλαβε· *Et cum obtulissent ori ejus spongiam plenã aceto, scribit Euangelista:* ὅτε οὖν ἔλαβε τὸ ὄξος ὁ Ιησοῦς, εἶπε, τετέλεσαι (a). *Dicitur itaq; & ille aliquid accipere, qui ore accipit, & hanc perceptionem, sci: oralem, Christum mandasse, adiunctum verbum ostendit:* accipite, comedite. *Ipsa itaq; perceptio oralis vi mandati Christi omnino est necessaria, sed modus perceptionis, ut fiat mediatè per proprias manus, sive immediatè ore, est indifferens: ut & Beza (b) fatetur; quod sumptio Sacramentalis minimè dici possit ab ijs expungi vel omitti, qui* ore duntaxat, absq; officio manus, *illa accipiunt. Item; quod ipsa sumptio, non autem sumendi modus præcisè præscribatur. Tùm & æque est liberum communicare stando,*

a) Mar. 15. 23. Iob. 19. 30.

b) Epist. 2. Volum 3. f. 196.

do, geniculando vel sedendo, ita tamen, ut propter hujus Sacramenti majestatem & maiorem reverentiam, secundum morem consuetum id fiat vel stando, vel máximè geniculando. Calviniani verò illi, qui suum τὸ sedere urgent, pro illo, τὸ discumbere, si in omnibus Christum imitari volunt, recipere tenebuntur.

2. Deinde Altaria, calices, pallia sacra, lychnos &c. quod attinet; respondemus nos has Cæremonias, ut in nostris Ecclesiis usitatæ sunt, retinere. 1. Quia libertati Christianæ subiectæ sunt. Non enim earum necessitatem urgemus, sed eas mutari posse, concedimus; ita tamen ne id fiat ad imperium Adversariorum, neq; ad eorum formam, tanquam tuâ nimirum reformatione; neq; ex arbitrio quorundam privato, sed de totius Ecclesiæ consensu. 2. Quia serviunt εὐχημοσύνῃ καὶ τάξει (c). 3. Movent attentionem, & augent reverentiam huic Sacramento offerendam. 4. Nec sine insigni læsione & offensione infirmorum mutari possunt. 5. Neq; ullum de ijs mutandis mandatum habemus, ut Israëlitæ in V. T. iussi sunt demoliri altaria Idololatrica. (d). Et quamvis quædam cæremoniæ usui Idololatrico in Papatu inservierint, nos tamen eas nõ eodem fine adhibemus, sed prorsus ille exspiravit, quare et Papismum redolere non possunt. Quemadmodum templa, suggestus, Baptisteria, stipendia, quibus Idololatricè fuerunt in Papatu Pontificij abusi, et præsertim stipendia, nundinationibus indulgentiarum, non sine blasphema meriti Christi detractione, corrasa, non abrogamus. 8. Tum & A.C. in tertio abusu Pontificio, Missam illam idololatricam damnans, usitatas reliquas Cæremonias, ut in usu nostræ Ecclesiæ adhuc vigent, non rejicit. Id verò cum Calviniani suâ tumultuariâ reformatione faciant, ipso facto se A. C. socios, ut gloriantur, minime esse, satis superq; testantur,

c) 1. Cor. 14. 40.

d) Exod 34. 13. Deut. 7. 5. 6. 12. 3.

Error Quartus

Illud omni defensione justa caret, quod ad ægros defertur (Eucharistia) tanquam viaticum morituris ¶. Vbi plures non communicant ratio Sacramenti non retinetur. Christus enim dixit; Accipite, comedite,

Aret. Proble. p. 1. l. 82 f. 1002. Martyr in Loc. Com. class. 4 l. 10 §. 51.

bibite. Præterea dicitur Cæna, Communio, Synaxis, quæ nomina privatæ actioni parum conveniunt.

REFUTATIO.

Tria potissimum Adversary in communione ægrotorum carpere videntur. 1. Quod vocatur viaticum. 2. Quod unus tantum communicat. 3. Quod in loco privato fit.

1. Ad primum respondemus, nos non negare à quibusdam Eucharistiam delatam ad ægrotos, vocari viaticum, non tamen sensu Pontificio, sed Orthodoxo, qui S. S. Scripturæ convenit: quia est corpus Christi; quod panem vivum vocat Christus, ex quo si manducaverit quis, vivet in æternum (a). Et calix continet sanguinem Christi effusum in remissionem peccatorum. Propter multiplicem itaq; Cænæ Domini utilitatem & efficaciam; quia in eâ coalescimus cum Christo, confirmamur in fide, sustentamur & confortamur in vitam æternam; usus hujus vocabuli in nostris Ecclesiis manet, præsertim in communione ægrotorum, ad maiorem eorum, consolationem. Sed in vocabulis facilimè cederemus, modo in rebus ipsis conveniremus.

a) Ioh. 6. 51.

2. Quod ad privatam unius hominis communionem attinet, eam frustra illi additis rationibus oppugnant, ut breviter videbimus. 1. Christus enim in plurali loquens, ut non certum numerum duodenarium (quē nonnulli stolidi Calviniani exactè volunt observari) voluit exprimere, sed universale mandatum omnibus hominibus proponere; ita quoq; nullum voluit excludere. Non itaq; refert, sive unus sive plures communicent. 2. Aliàs enim à pluralitate & numero hominum, integritas Sacramenti penderet. Ἀθεόλογον *hoc. 3. Quod verò vocatur Cæna, ad circumstantiam non Personarum, sed temporis spectat; quarè illi hæc appellatio efficere nihil potest. 4. Communio maximè ei convenit, quia etiam ægrotus privatus communicat panem Cænæ, qui est* κοινωνία *corporis Christi. 5. Vocabulum* συνάξεως *non est Divinum, cū neq; ab Evangelistis neq; Apostolis sit usurpatum, sed Ecclesiasticum: est enim Scriptoribus familiare, quod tā-*

quam

quam humanum, in tanto hoc mysterio præscribere nobis nil quicquam debet. Præsertim cum neq; à nomine, cœna, in S.S. literis usitato, ad circumstantiam temporis argumentari liceat. 6. Tum et fines seu usus hujus Sacramenti (Cœna, uni Privato et præsertim ægroto illud non negant: ut sunt; memoria Christi, coalitio cum Christo in unam massam, confirmatio fidei et consolationis &c. Quibus omnibus vel maximè ægrotus indiget, quarè quoq; singularitas vel unitas ei obstare nõ debet. 7. Deniq; & Patres ægrotis Eucharistiam non denegant. Cyprianus enim inquit (b) Non inermes et nudos relinquamus morientes, sed protectione sanguinis et corporis Christi muniamus.

b) Epist. 2. ad Corn.

3. Opinio Adversariorum de loco est ὑποκρίσεως plenissima, cujus merito Calvinianos pudere deberet. Si enim Circumstantia loci quicquam ad Sacramenti rationem faceret, magis privata communio stabiliretur quam tolleretur. Quia, Christus non in templo Jerosolymitano, quamvis tum ibi esset, nec in ulla aliqua Synagoga Judaica, sed in privatis ædibus seu diversorio Cœnam suam primam instituit & celebravit. Non itaq; privata, ut Beza existimat (c), sed publica illa in templis communio, si hæc ratio militaret, cum institutione Domini pugnaret. Cum itaq; Christum, suum Sacramentum Cœnæ nulli loco alligâsse constet, non etiam hæc circumstantia, ægroto, tum temporis quando maximè omnium indiget, ut hujus Sacramenti compos non fiat, fraudi esse non potest. Proximi enim indigentiæ, in cujus usum Cœna instituta est, cedunt hujusmodi externæ circumstantiæ.

c) In resp. ad quæst. 242.

Caput Secundum.

De discrimine Sacramentorum V. & N. Testamenti

Calvin. Inst. lib. 2. c. 10. 3. 2. Beza in Creophagia

Error Primus

Patrum omnium fœdus adeò substantiâ & reipsa nihil à nostro differt, ut unum prorsus atq; idem sit, administratio tamen variat.

REFUTATIO.

Etsi Calviniani, convicti tot SS. Scripturæ locis in quibus V. & N. T. discrimen tàm clarè proponitur, ut id esse maximum negari non possit; fateri cogantur, magnum apparere discrimen inter no-

stra & veteris populi Sacramenta; et in V. T. omnia typis & figuris fuisse adumbrata; in Nouo autem figuris ablatis, vel potius impletis, ipsam rei veritatem impleri; Imò V. & N. T. tanquam res diversissimas inter se in Scripturâ conferri; quas tamen differentias se ita recipere, scribit Calvinus, ut nihil constitutæ unitati derogent (a): quam unitatem in ipsa Sacramentorum V. & N. T. essentia seu substantia consistere dicunt. Cum verò essentiam Christi in SS. Cœna non negare velint, eò Αθεολογίας quidam prolabuntur (b), ut Christum in V. T. non tantum efficaciatenus, sed etiam essentia se pijs communicasse, asserere audeant: quam tamen communicationem, per Spiritualem manducationem explicant, qualẽ nobis tantum in N. T. concedunt (c). Atq; hic seipsos produnt, quanti ponderis sint illorum differentiæ V. & N. T. & quo animo ab ijs ponantur (d), um revera utrumq; fœdus, pro uno & eodem habeant, variantibus tantùm quibusdam circumstantijs. Etsi verò et nos aliquam convenientiam V. & N. T. præsertim ratione causæ efficientis & finis ultimi, libenter admittamus, differentiam tamen inter utrumq; maximam esse apertè fatemur, quæ consideratur:

a) Calvin. cõt. D. Heso. f. 34. 35. 44. 63. Calvin. in 1. Cor. 10. In Inst. lib. 2. C. 11. §. 1.

b) Bezacon. D. Hesshusium f. 284.

c) Calvin. cont. D. Hesshusium f. 64. Ortho. Consen. f. 63. Vrsinus in Compend. f. 506.

d) Calvin. Inst. lib. 2. Cap. 11. Ibid. Tom. 2. Gieß. Diss. 14. Th. 29. et seqq.

1. In verbis Institutionis. In altera enim parte Cœnæ, Christus non simpliciter dicit: Bibite, hic est sanguis meus, sed hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine, seu, hic enim est sanguis meus Novi Testamenti: Emphatice N. T. faciens mentionem, et sui sanguinis; ut indicet, suum sanguinem efficere Novum Testamentum, & propterea hujus atq; illius Testamenti discrimẽ esse longè maximũ: Imò se Novum instituendo, vetus abrogare.

2. In Substantiâ Christi verâ seu incarnatâ & præfiguratâ; hæc fuit in V. T. at illa est in novo. In veteri enim Testamento fuit tantum umbra, figura, typus, & signum corporis Christi, in Agno Paschali repræsentati & præfigurati: At in Novo T. habemus ipsum corpus & sanguinem Christi, ut Apostolus testatur (e) quando inquit, quod Lex Vmbram habuit futurorum, non ipsam imaginem rerum, seu corpus Christi.

e) Col. 2, 17. Ebr. 10. 1.

3. *In præsentia & absentia Christi. Non enim, ut Calviniani multa verba faciunt, de substantia corporis & sanguinis Christi in sua Cœna non nisi Spiritualiter præsente, revera tamen absente: non inquam, ita substantiam corporis et sanguinis Christi habemus, sed longè præsentissimam: At in V.T. habuerunt absentissimam & longo tempore post futuram.*

4. *In obiecto externo, seu materia terrena. Illic enim erat agnus Paschalis, qui in typo repræsentabat verum agnum Christum, tollentem peccata mundi: At hîc est panis & vinum, hoc fine à Christo tanquàm media ordinata, ut cum illis symbolis externis, corpus & sanguis Christi Sacramentaliter unita, comedantur & bibantur.*

5. *In Manducatione. 1. Patres enim in V.T. non oraliter carnem Christi, ratione* τῆς ἐσίας, *sed* τυπικῶς *in agno Paschali, atq; spiritualiter ratione* ἐνεργείας *comederunt, atq; sic meriti & beneficiorum Christi fide, non corporis et sanguinis Christi ore facti sunt participes. At nos in Novo, oraliter manducamus Christum, & spiritualiter quoq; qui dignè accedimus, fruimur merito Christi. 2. Indignè verò manducantes de Christo nihil nisi typicum agnum in V. at in N.T. ijdem corpus & sanguinem Christi revera ore corporis manducant. 3. In V.T. comederunt tantùm carnem agni, et sanguine illius aspergebant superliminare et utrumq; postem (f): At in Novo, manducamus carnem Christi, et bibimus illius sanguinem.*

f) Exod. 12. 4. 7.

6. *In forma rituum seu actione Sacramentali; quæ in utroq; Testamento proprio verbo* προσαγωγικῷ καὶ ὁρισικῷ, *pro cujusq; peculiari cæremonia describitur, quâ et, ipsorum etiam Adversariorum concessu, Sacramenta V. & N.T. evidenter distinguntur. Quomodo itaq; utrumq; fœdus & V. & N. unum idemq;, ut Error habet, esse possit, nobis ediserant.*

7. *Deniq; in testimonio Pauli, quo ex historia Abrahami, exemplis Saræ & Agar probat et aperte pronunciat duo esse Testamenta; (g) Tum et in alijs S.S. locis, qui in S. Codice videantur (h), satis luculenter utriusq; Testamenti differentia ponitur. Quare nos contra Errorem*

g) Gal. 4. 24.
h) Ioh. 4. 14. 20. C. 6. 32. 49. 1. Cor. 5. 7. c. 10. 1 11.

2. Cor. 3. 6. 7. 13. Gal. 3. 24. 25. c. 5. 1. 2. Ebr. 9. 8. 11. 12. Hemmingius in 2. Thess. 2. f. 366. Calvin. Catech. f. K. 4. Admon. de lib. Concord. f. 44. 52.

rorem, haud obscuro discrimine vetus Testamentum à Novo dissidere, statuimus.

Error Secundus.

Utrobiq; & in Baptismo & in Cæna Domini, eadem est ratio præsentiæ corporis Christi.

REFUTATIO.

Non tantùm Adversarij discrimen V. & N. T. quantum in illis est, tollunt, sed & Sacramenta N. T. confundunt, dum eandem Christi præsentiam, et eandem rationem significandi & præfigurandi in utroq; statuunt. Quod illos magis malitiâ et contradicendi libidine, quàm inscitiâ facere, vel inde patet, quod hoc discrimen inter utrumq; Sacramentum tantum sit, ut illud et, qui utroq; oculo cæcutiunt, videre possint.

1. Maximum itaq; esse inter utrumq; Sacramentum discrimen probatur, verbis institutionis cujuslibet Sacramenti propriis & revera distinctis, quod & ipsi adversarij haud diffitentur (a), ut nec possunt. Vbi itaq; distincta & peculiaris cujusq; Sacramenti institutio & Definitio, ibi etiam unius ab altero discrimen negarinec potest nec debet. Vbi enim Christus distinxit, et nos distinguere, nisi Christo in os contradicere velimus, omnino decet.

2. Deinde et in partibus essentialibus haud obscura offertur differentia. Res enim terrena in Baptismo, est aqua eaq; sola & unica: At in Cæna panis & vinum, res non tantum diversissima, sed et gemina. Cælestis est in Baptismo S. S. Trinitas: In Cæna corpus & sanguis Christi. Distinctis itaq; & diversis singulis, singulorum Sacramentorum, partibus; necessum quoq; est singula tota, quæ suis peculiaribus partibus constant, inter se esse distincta & diversa.

3. Constitit et evidens utriusq; discrimen in cujusq; formâ substantiali: quæ est in Baptismo, S. S. Trinitatis cum aqua unio, accedente pronunciatione verborum institutionis Baptismi, et ablutione corporis vel totius vel alicujus partis, per aquam facta. At in Cæna est unio corporis & sanguinis Christi, cum pane & vino, accedente εὐλογίᾳ καὶ λήψει σωματικῇ seu orali. Cum itaq; forma sit, quæ dat esse rei, alicui et peculiaris cujuslibet Sacramenti forma, peculiare quoq; producet Sacramentum.

4. Demq; & sine intermedio. (ut nihil iam de cujuslibet Sacramenti peculiaribus ritibus & cæremonijs agamus) differunt. 1. Baptismus enim est Sacramentum initiationis at Cæna Confirmationis. 2. In Baptismo regeneramur; in Cæna cibamur. 3. In illo, Christo inseremur; in hac crescimus. 4. ibi spiritualiter, fide; ut nimirum fide habitet in cordibus nostris; at hic corporaliter, ore (corporis et corporaliter quoq; per communicationem carnis & sanguinis in nobis habitet, atq; sic ei non tantum fide, ut in Baptismo, sed etiam carne coniuncti simus. Atq; sic probatum,

quod & quomodo Sacramenta V. et N. T. inter se distinguantur.

a) Marx Beumler ingegeben icht cont. D Heilbr. Syn. Calvin.

DE CALVINISMO

DISPUTATIO ELENCTICA
VIGESIMA SECUNDA
Et Vltima.

Complectens Matæologia Calviniana examen, in locis

DE ADIAPHORIS ET VITA ÆTERNA.

Quam

Doctore & Ductore S. S. Spiritu
Sub Præsidio
M. PETRI HINKELMANNI,
Verbi Divini Ministri,
privatim defendendam suscipiet
PAVLVS CASSEBVRGIVS.
Mollovienſis, Saxo.
Habebitur disput. 11. Cal. Iun.

ROSTOCHII
Litteris Reusnerianis, Anno 1611.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0465
DFG

Σὺν θεῷ

DISPVTATIO ANTICALVINISTICA XXII ET ULTIMA.

DE ADIAPHORIS ET VITA ÆTERNA.

CONTINVATIO.

COlophonem hac συζητήσει, huic exercitio Anticalvinistico, (in quo non omnia nos ad vivum, ut dicitur, resecasse, ipsa ἀυτοψία restatur) imposituri, loco de Adiaphoris, cujus specialis triplex ante suscepta tractatio (a), hic nobis minus laborum reliquit; locum de vita æterna subiungemus: et quasnam Adversarij φλυαρίας in utroq; habeant, distinctè videbimus.

a) Disp. 10. c. 1 Er. 2. Disp. 18. & 21.

CAPUT PRIMUM.

De Adiaphoris.

Error Primus.

Vita præsens

Calviniani liberum Adiaphororum usum damnant, dum sub necessitatis alicujus specie, quasdam in nostris Ecclesijs usitatas Cæremonias tumultuariè removent, & alias substituunt.

REFUTATIO.

Quomodo Adversarij suis novationibus & deformationibus metam libertatis Christianæ, in aspernandis & abrogandis nostris, & propriis à se profectis Cæremonijs substituendis, transgrediantur, atq; sit ἀσπονδον bellum cum disciplina Ecclesiastica gerant, praxis Ecclesiæ apud illos, ut ex superioribus constat, clarè edo-

ces

eet. Quia verò propter nostras Cæremonias, quæ libertati Christianæ subiacent, Adversarij Constitutionẽ apud nos Ecclesiasticam, tanquam Antichristianam, Papisticam, Ethnicam, & Magicam damnent (b), atq; sic ædificationem Ecclesiæ suis Novationibus metiantur, nihilq; rectum iudicent, nisi quod heri primum in illorum cerebro natum sit; pro libertate nostrarum Cæremoniarum contra eos nobis standum erit.

b) Vide D. Olearij vorzeichniß mehr den 200. Cal. vin irthumb f. 104.

1. Idq; mandato ex Exemplo Pauli. Mandatum hoc est. Quæ libertate vos Christus liberavit, state: & nolite iterum iugo servitutis alligari. Item: Nemo vos judicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbathorum. Et Paulo post: Si mortui estis cum Christo ab Elementis mundi, quid adhuc tanquam Viventes in mundo, decreti tenemini? ne tetigeritis, neq; gustaveritis, neq; contrectaveritis, quæ sunt omnia in interitum ipso usu, secundum præcepta & doctrinas hominum. Vnusquisq; in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum. Nolite iugum ducere cum infidelibus. Huc etiam referri potest & illud: state, & tenete traditiones. Exemplum habemus in eo valdè conspicuum: quando in gratiam falsorum fratrum urgentium circumcisionem titi, eum circumcidere recusavit (c). Verba ejus hæc sunt notatu digna: Sed neq; Titus, qui mecum erat, cum esset gentilis compulsus est circumcidi sed propter subintroductos falsos fratres qui subintroierunt explorare libertatem nostram quam habemus in Christo Iesu, ut nos in servitutem redigerent: quibus neq; ad horam cessimus subiectione, ut veritas Evangelij permaneret apud vos. Quod mandatum & Exemplum Apostoli notatu admodum dignum in libertate nostra nos confirmat, & Adversarios in sua novatione confundit.

c) Gal. 5. 1. Col. 2. 16. 20. 1. Cor. 7. 24. 2. Cor. 6. 14. Gal. 2. 3. 4. 2. Thess. 2. 15

2 Accedit Authoritas Ecclesiæ primitivæ, à qua & non à Papatu, ut Adversarij autumant, pleræq; cæremoniæ in nostris Ecclesijs, ortum habent. Quam tamen non, ut Pontificij, tàm mordicùs tenemus, sed tumultuariæ Adversariorum deformationi & innovationi longè præferimus.

3. Me

3. Maximè autem ipsa natura & conditio Adiaphororum, eorundem nobis liberum usum concedit, nec eum ulla necessitatis aut coactionis lege, sine nominis perditione, nobis adimi permittit. Nazianzenus enim ea, vocat τὰ ἐν μέσῳ κείμενα, res medias & indifferentes; quod nomen amittunt, et desinunt esse quod sunt, si vel ex necessitate hæc abrogantur, vel illa obtrudantur. Hoc itaq; respectu neq; nostras Cæremonias mutare, nec illorum acceptare possumus.

4. Imò nec debemus, ne hac obedientiâ nos illis subÿcientes, haud obscuro indicio veritatem apud illos stare prodamus: atq; sic nostram Orthodoxam religionem suspectam reddentes, eam invadendi, & in doctrinalibus, (quod Diabolus quærit, ut id in Interimistico certamine nostra Ecclesia non exiguo cum damno experta est) aliquid mutandi & præscribendi, ampla ansa & occasio præbeatur.

5. Retinemus itaq; nostras, ut habemus, Cæremonias, etiam εὐταξίας καὶ εὐχρυμοσύνης ἕνεκα, quem finem Apostolus vel maximè in Ecclesia attendi vult (d). Servire n: illas decoro, ac ordini, nec sine bonorum offendiculo, & exercitiorum pietatis remora & perturbatione abrogari vel mutari posse, manifestius est, quam ut longiori probatione indigeat. d) 1. Cor. 14. 40.

6. Tantùm unum atq; alterum ex Orthodoxa Antiquitate testimonium contra illorum tumultuariam innovationem, pro libertate nostrorum Adiaphororum audiamus. Irenæus inquit (e): Quid enim si de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis de præsenti quæstione sumere, quod certum & re liquidum est? Basilius: Eorum quæ apud nos in usu sunt, tàm verborum quàm rerum, alia distinctè sunt tradita in Scripturis, alia prætermissa. Scripta nullo modo omittenda sunt: de ÿs autem quæ prætermissa sunt, regulam habemus à Paulo traditam: omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Idem: Manifestissimum e) Lib. 3. c. 4. De vera acpia fide.

mum infidelitatis argumentum, signumq; superbiæ certissimum, si quis eorum quæ scripta sunt aliquid velit rejicere, aut eorum quæ non scripta sunt aliquid introducere.

Error Secundus.

Carlost. ad. de Sebbatho Calvin. Respons 2. cont VVestphalū f. 134. Beza in Coll. Momp. f. 410.

Ferias in memoriam Sanctorum celebrare, Idololatricum, et Ethnicū illis videtur. ¶. Pericopas Evangeliorum & Epistolarum Dominicalium, non sine superstitione retineri posse existimant. ¶. Non ferunt in suis templis organa, cantum figuralem &c.

REFUTATIO.

In opus Iliade majus haec excresceret disputatio, si praeter in prioribus disputationibus recensitas Caeremonias, hic etiam eas omnes, quae palato eorum minus sapiunt, singulatim defendere nobis proponeremus. Sed quia quicquid contra eas adferre possunt, praemissa generali refutatione retelli facilè possit, hoc errore has Caeremonias simul positas διὰ βραχέων defendemus.

a) Ebr. 13. 7.

1. Ferias itaq; Sanctis dicatas quod attinet; constat eas non nos in honorem, ut Adversarij nos traducunt, sed tantùm in Memoriam Sanctorum celebrare, memores istius Apostoli (a): mementote Praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. Convenimus itaq; tàm in Sanctorum, quàm in alijs solemnioribus festis, ad auditum & meditationem verbi, ad publicas preces, & celebrationem beneficiorum Dei nobis per ministerium Apostolorum praestitorum, aliaq; pietatis exercitia, quae nunquam plus justo apud nos abundare possunt. Atq; sic in nostris Ecclesijs ad exemplum primitivae & Apostolis vicinae Ecclesiae conformatam celebrationem Festorum Sanctorum retinemus, de quorum vero et veteri usu, non habent Adversarij, quod in nobis meritò reprehendant. Quin potius illi hac sua festorum abrogatione repre

reprehensionem incurrunt, si illud primarij sui Doctoris agnoscunt, quando inquit (b): *In rebus Divinis non debet homini liberum esse, statuere de diebus festis, sine certo exemplo.*

b) Aret. Prob. p. 2. l. 123. f. 356.

2. *Pericopæ deindè Euangeliorum & Epistolarum Dominicalium ita, per totum annum à priscis Ecclesiæ Orthodoxæ Doctoribus sunt distributæ, ut de omnibus ijsq; præcipuis fidei capitibus, & beneficijs Christi nos admoneant, temporiq; & Ecclesiæ ædificationi vel maximè sint accommodatæ, et decoro atq; optimo ordini inserviant. Quarè et hanc priscam & tàm utilem ordinationem, ut vix meliori & utiliori infirmorum & rudiorum captui & intellectui consuli possit, Adversariorum novitiæ & intempestivæ constitutioni longè præferentes, illud Apostoli imitamur (c): Eadem vobis, fratres, scribere, me quidem non piget, vobis autem tutum est.*

c) Phil 3.

3. *Organa deniq; & cantus figuralis instrumentis musicis exornatus, quibus in nostris templis interdum, & ubi sunt & haberi possunt, utimur; habent primò expressum Dei verbum: Laudate Dominum in sono tubæ, in Nablo et Cythara, in tympano et choro, in chordis & organo, in Cymbalis benè sonantibus (d). Deindè et exempla extant Regum pyssimorum, Davidis, Salomonis, Ezechiæ, Iosiæ, &c: (e) quorum musica instrumentalis à spiritu Sancto non reprehensa, sed commendata fuit. Deniq; Organa Cantusq; figuralis & instrumentalis non tantùm serviunt decori, verùm etiam utilitate sua non carent, non tantùm apud Musicos sed et omnes auditores, quorum aures non modo implent, sed et animos eorum mirificè afficiunt et erigunt, ut ad preces ardentiores fundendas, et ad conciones alacriori Spiritu audiendas, quando hujusmodi harmoniâ Musicâ vel Organo, cantio quædam Ecclesiastica luditur vel canitur, excitentur. Quemadmodum hanc vim & efficaciam Divinitùs harmoniæ inditam, artis Musicæ gnari et ingnari, in seipsis experiuntur. Vt jam nihil de iucunditate hujusmodi harmoniæ Musicæ dicamus, quæ sæpè multi ad*

d) psal. 149. 3. et. 150. 3. 4. 5.

e) 1. Sam. 16. 16. 23 2. Sam. 6. 15. 1. Reg. 10. 12. 2. Paral. 20 21. c. 29. 25. 26. 27. 28. c. 35. 15. 25.

ad sacras conciones frequentandas, quas aliàs negligerent, alliciuntur.

Error Tertius.

Vide D. Olearij Vorzeichniß mehr den 200. Calvini irthumb. f. 104.

Affingunt nobis Adversarij quasi hujusmodi res Adiaphoras, iudicemus ad Salutem esse necessarias.

REFUTATIO.

Tanto candore quanta Veritate, utrâq; sc. nullâ, id faciunt. Propria itaq; sua vanitate hoc commentum corruit, ut vix responsione, nedum operosa refutatione indigeat.

1. *Vtrò enim fatemur nostra adiaphora & Cæremonias, neq; in S. S. Scriptura esse expressè mandatas neq; prohibitas; quomodo itaq; earum observationem ad salutem & vitam æternam iudicaremus necessariam? Quin potius indè sequitur, nos ijsdem cæremonijs libertati Christianæ relictis, nullâ necessitatis absolutæ lege, nedum illâ ad salutem; liberè uti: quemadmodum & dictis & exemplis S. S. Scripturæ hujusmodi liberrimus rerum adiaphorarum usus nobis præscribitur (a).*

a) Matt. 15. 20. Luc. 10. 7. Rom. 14. 1. 2. 3. 5. 6. et seqq. 1. Cor. 7. 15. 19. 20. c. 8. 8. 9. c. 10. 23. et seqq. Gal. 3. 4. 5.

2. *Quem & nos ita retinere vel inde etiam patet, quod non opinionem meriti neq; cultus ei affingamus, ut in Papatu fit. Sine enim Cæremoniarum illarum adiaphorarum necessaria observatione, nihilominus tamen Deo cultum suum verè præstari posse concedimus, nedum ut illis ritibus nos aliquid mereri posse statuamus. Negato itaq; in nostris Cæremonijs ipso per se cultu & merito (quorum respectu necessariæ dicerentur ad salutem) etiam ipsa necessitas ad salutem illis tribui non potest nec debet.*

3. *Vt et Symbolici nostrarum Ecclesiarum libri; Augustana Confessio, Apologia, Articuli Smalcaldici, Formula Concordiæ & Declaratio ejusdem &c. (b). satis superq; testantur: Quos & nostri*

b) Articulo 3. f. 13. 205.

Doctc-

Doctores in suis scriptis imitantur. Tum & nos absolutam adiaphororum necessitatem minimè urgere, praxis nostrarum Ecclesiarum testis viva est, cùm alia aliam ob diversitatem eorum non damnet. Vbi ita res ipsa loquitur, probatione ulteriori non est opus.

4. *Quemadmodum verò necessitatem adiaphororum ad salutem, eamq; absolutam (quam adversarij sua tumultuaria & intempestiva deformatione iam pridem sibi propriam fecerunt) omnino reijcimus, ita eam quæ est ordinis boni & decori, quâ tempori, loco, & hominibus consulitur, minimè improbamus. Non enim ita libera adiaphora relinquimus, ut ea consentientibus suffragijs totius Ecclesiæ institutæ, cuivis pro libitu vel servare vel omittere liceat, undè maxima ἀλαξία & confusio sequeretur: sed docemus, hujusmodi ritus & cæremonias toti Ecclesiæ liberas, privato uni aq; alteri esse necessarias.*

Caput Secundum.

De Vita Æterna.

Error Primus.

Præmia in vita æterna proposita esse bonis operibus, & hinc fore distinctos gradus cælestis gloriæ, quidam negant. *D. Gregorius Schonfeldius Disput. Cassellis edita.*

REFUTATIO.

Diversitatem opinionum hic occurrere libenter fatemur: quibusdam gradus gloriæ in vita æterna silentio involventibus, alijs in suspenso eos relinquentibus, plurimis ad negativam inclinantibus (a), reliquis affirmativam amplectentibus (b). Quam & nos foventes, S. S. Scripturæ testimonijs, & rationibus ex ea deductis eandem probamus.

a) *Martyr L.C. class. 3. l. 17. §. 8. et seq.*

b) *Hemming in Syntag. l. de Resurrect. §. 12. Item in 1. Cor. 15.*

1. *Testimonia S. S. Scripturæ hæc sunt (c): Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti: et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Vnusquisq; proriam*

c) *Daniel. 12. 3.*

priam suam mercedem accipiet secundum suum laborem, quem dies Domini declarabit. Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, et alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate: sic et resurrectio mortuorum. Omnes nos manifestari oportet, ante tribunal Christi, ut referat unusquisq; ea quæ fiunt per corpus, prout gessit, sivè bonum sivè malum. Ex his alijsq; similibus (d) S. S. Scripturæ testimonijs, haud obscurè colligere licet, distinctos in vita æterna Electorum gradus futuros esse.

2. Qui deindè etiam rationibus ex S. S. Scriptura petitis probari possunt. 1. Quia Sancti in vita æterna dicuntur futuri ἰσάγγελοι (e); At præeminentiam inter angelos S. S. Scriptura ponit (f): Ergò et inter sanctos in vita æterna negari non potest. 2. In panis damnatorum, in altera vita erit diversitas, teste Salvatore (g): Ergò eadem, quoad præmia seu gloriam, quoq; concedi debet. 3. Parabola talentorum, quæ inæqualiter distributa, inæqualia possessoribus præmia assignant (h); diversitatem præmiorum & gloriæ in futura vita fore, apertè indicat.

3. Denicq; & Patres pro hac sententia faciunt. Gregorius (i), In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si enim dispar retributio in illa beatitudine æterna non esset, una potius mansio quàm multæ essent. Multæ ergò mansiones sunt, in quibus & distincti bonorum ordines propter meritorum consortium communiter lætantur: et tamen unum denarium omnes laborantes accipiunt, qui in multis mansionibus distinguuntur, quia & una beatitudo, quam illic percipiunt, & dispar retributionis qualitas, quam per diversa consequuntur. Idem: Quoniam Electis in hac vita est dilectio operum, in alia quoq; vita erit procul dubio discretio dignitatum, ut quo hîc alius alium superat, illic alius alium retributione transcendat, & quamvis in illa retributione dignitas eadem non sit, una tamen omnibus vita beatitudinis erit. Ambrosius: Sicut Sol Luna & Stellæ cum sint unius quidem naturæ diversæ tamen claritatis sunt: ita & homines cum sint unius quidem generis, merito

1. Cor. 3. 8. 12. 13. c. 15. 41. 2. Cor. 5. 10.

d) Matt. 5. 12. c. 10. 42. c. 16. 27. c. 18 4. Rom. 2. 6. 7. 1. Tim 4. 8. Apoc. 2. 23. c. 14. 4. c. 22. 12.

e) Matt. 22. 30.

f) Dan. 7. 10 c. 10. 13. Luc. 1. 19. 26.

g) Matt. 11. 22. 24.

h) Matt. 25. 14. 15. 21. 23. 28.

i) Lib. 4. dial. Lib. 4. mor. In 1. Cor. 15. Tom 9. decognitione veræ vitæ. c. 43. f. 869. De banitate seculi Tomo 3. sentent. 360. f. 1073.

meritò tamen dissimiles erunt in gloria. Augustinus: Vltimus in regno cælorum ut Sol fulgebit, qui tunc septies clarior quàm nunc erit. Et in hac claritate tantùm quisq; ab alio pro meritis differt, quantum stella à stella in claritate differt. Aly autem hos in tantum diversæ claritatis gloriâ ita præcellunt, sicut lucifer pleiades, Luna luciferum, Sol Lunam in claritate excellunt. Idem: Multæ mansiones in una vita varias meritorum significant dignitates. Sed ut Deus omnia in omnibus erit, fiet etiam in disparі claritate per gaudium, ut quod habent singuli, commune sit omnibus: Quoniam per connexionem dilectionis, à gloria capitis, nulla aliena erit pars corporis.

4. *Hæc verò nostra sententia de præmijs in vita æterna distinctionem gloriæ causantibus, non nititur, ut arbitratur Martyr (k) merito de condigno, sed gratuita Dei remuneratione, per promissionem propter Christum factam credentibus. Vitam enim æternam ex æquo omnes Electi habebunt per fidem in Christum; at fructus fidei in Electis impares, constituent differentiam gloriæ* in vita æterna, *respectu operum gratuitam, at respectu Dei multiplicium promissionum, cum omne promissum cadat in debitum, suo modo debitam. Discernenda itaq; ipsa* vita æterna, à gloria in vita æterna: *illa respectu nostri, ex mera & sola gratia datur, hæc gratuitâ recompensatione promittitur.*

k) L. C. class. 3. l. 175. p.

Error Secundus.

* Hîc (in vita æterna) Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones; videbis.

Cinglius in Expositione fidei ad Regem Gallia rum Tom. 2. f. 559. Gualterus in præfatione Apologetica super Tom. 1. operum. Cinglij. a) Vide D. Selnec. expl.

REFUTATIO.

Hunc errorem, quo quidam Adversariorum saniores Ethnicos in cælum collocant, habent illi communem cum Thammero, Lasomo Lovanensi & quibusdam etiam Patribus; Justino, Clemente, Ephipanio (a) &c. Sed habent ex suis sibi contradicentes (b).

Tum & superius positæ (c) huic similis erroris refutationes, huc adhiberi possunt.

1. *Contradicit verò hic error toti scripturæ, quæ ita describit gentes; (d) quod traditæ in reprobum sensum versentur in desiderijs carnis, facientes voluntatem carnis & cogitationum, naturâq; sint filij iræ. Quod sint sine Christo, alienati à Republica Israel, & hospites testamentorum promissionis, spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. Quod ignorent Deum, & versentur in lascivijs, concupiscentijs, vinolentijs, commessationibus, compotationibus, & nefarijs simulachrorum cultibus. Quod faciant abominationes, quas aversatur Dominus, et propterea populum suum graviter monet, ut caveat, ne imitetur hujusmodi abominationes, propter quas delevit eas de terra. Imò enuuciato Apostolico hujusmodi Idolorum servis, regno Dei exclusis, pars & locus assignatur in stagno, ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda seu æterna, quæ aliàs peccati stipendium vocatur. Cum verò hujusmodi sit status & conditio Ethnicorum, etiam illorum, qui honestate morum, vel unius atq; alterius virtutis laude, præ reliquis fuerunt conspicui, quos tamen idolorum cultores, atq; insignibus alijs flagitijs fuisse contaminatos negari non potest (e): ἄτοπον certè esset in Theologia maximum S. S. Scripturæ διαῤῥήδην contrarium, illos Ethnicos hæredibus regni cælorum annumerare velle.*

2. *Accedit vitæ æternæ à suis causis descriptio in S. S. literis hujusmodi, ut ea Ethnicis nullo modo competere possit.* Gratia *enim Dei, inquit Apostolus (f)* salvati estis *per fidem et hoc non ex vobis,* Dei donum *est non ex operibus. Cum benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei; non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed* Secundum misericordiam suam salvos nos fecit. *Hoc est Testimonium quoniam* vitam æternam dedit *nobis Deus. Et Christus inquit: complacuit patri vestro,* dare *vobis regnum. Vndè et* vita æterna donum

Dei

in exa. Philip. p. 1 f. 93 94

b) oecolamp in exege. super Iobum f. 28. cap. 10. b. Beza in lib. de pœna Hæreticorum f. 103.

c) Disp. 13. c. 2. Er. 1. Disp. 14. c. 1. Er. 3.

d) Rom. 1. 21. et seqq. Eph. 2. 3. 12. 1. Thess. 4. 5. 13. 1. Pet. 4. 3. 1. Cor. 12. 2 Levit. 18. 24 25. 27. Deut. 12. 31. c. 18. 9. 12. Ier. 10. 2. 25. 1. Cor. 6. 9. Gal. 5. 19. Eph. 5. 5 Apocal. 21. 8. Rom. 6. 23

e) vide D. Schlüsselburch Theol Calvin. lib. 1. art. 14. f. 48.

f) Eph. 2. 8. 9. Tit. 3. 4. 1. Ioh. 5. 11. Luc. 12. 32. Ioh. 10. 28. Rom. 6. 23.

Dei dicitur. Hæc gratia Dei, quâ donatur vita æterna, præterquam quod eam ignorant Ethnici, insuper eorum quantum vis præclara virtutibus opponitur ità, ut illa eam hisce stare aut considerari non possit. Si enim ex gratia inquit Apostolus (g), iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia. g) Rom. 11. 6.

3. Secunda causa meritoria vitæ æternæ est Christus, qui eam obedientiâ suâ activâ & passivâ peperit, & in Adamo amissam restituit; ut Christus ipse de se testatur: (h) Ego veni, ut vitam habeant. Quarè et in nullo alio est salus, nec aliud nomen sub cælo datum est, in quo oporteat nos salvos fieri. Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei. Iustificantur autem gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ipsius. Et cũ essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo. Qui destruxit mortem, illuminavit autem vitam et incorruptionem per Euangelium. Hæc vita (æterna) est in filio ejus. Qui habet filium Dei, habet vitam: qui non habet filium Dei, vitam non habet. His dictis similia plura alia addi possunt (i): quibus solidissimè evincitur, Ethnicos, quia ignorârunt Christum, etiam salvatos minimè fuisse. h) Ioh. 10. 10 Act. 4. 12. Rom. 3. 23. 24 25. Eph. 2. 5. 6. 2. Tim. 1. 10. 1. Ioh. 5. 11. 12.

4. Tertia vitæ æternæ causa instrumentalis est duplex δοτικὴ una, altera ἀντιληπτικὴ. De illâ, quæ continet verbum & Sacramenta, notentur hæc S. S. Scripturæ dicta. Christus inquit (k): Scrutamini scripturas, nam vos videmini vobis in illis vitam æternam habere; et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Et Apostolus: Non erubesco Euangelium Christi; potentia enim Dei est in salutem omni credenti. Notum vobis facio Euangelium, quod prædicavi vobis, quod et accepistis: in quo et statis, per quod et salvamini. De Baptismo: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Deus salvos nos fecit per lavacrum regenerationis. Baptismus nos sal- i) Esa. 43. 25 c. 53. 4. 5. osee. 13. 14 Zach 9. 11. 1. Cor. 1. 29. Gal. 3. 13. c. 4. 4. 1. Pet. 1. 18. 1 Ioh. 1. 7. c. 2. 2. k) Ioh. 3. 59. c. 6. 68. Rom 1. 16. Ioh. 3 5. Mar. 16 16. Phil. 2 16. Tit. 3 5 1. Pet. 3. 21.

l) 1. Cor. 10. 16. Ioh. 6. 48 50. 51. 53. 54. 57. 1. Cor. 11. 28.

salvos facit &c. De Cena (l): Panis in Cena est communicatio corporis Christi, quod dicitur panis Vivus, quem si quis fide spiritualiter manducaverit, vivet in æternum: imo et eundem effectum præstat manducatio oralis corporis Christi digna. Si enim indignè qui manducat et bibit, judicium sibi manducat & bibit, sed quitur dignè qui manducat, vitam sibi manducare. De fide, causa vitæ æternæ λημπικὴ, quod per eam vitam consequamur æternam, innumera occurrunt S.S Scripturæ testimonia, quæ in S Codice videantur (m). Hisce verò medijs vitæ æternæ, verbo Dei, Sacramentis & fide, sine qua impossibile est Deo placere (n), cum Ethnici caruerint, participes quoq; vitæ æternæ esse non potuerunt.

m) Habac. 2. 4. Rom. 1. 17. Ioh. 3. 16. c. 5. 24. c. 6. 40. c. 11. 25. c. 17. 3. c. 20. 28. 31. Rom. 8. 17. Gal. 2. 16. Tit. 3. 7. 1. Ioh. 2. 25. c. 5. 13.

n) Ebr. 11. 6.

5. Quia itaq; secundum causas iam enumeratas, atq; sic ex Euangelio, non potuerunt habere vitam, necesse est ut ex Lege, quæ etiam vitam promittit, habuerint, sed nec sic potuisse, probatur. 1. Quia non justificari neq; salvari posse hominem ex operibus legis S. S. Literæ testantur (o). 2. Tùm quoq; imperfectam legis habuerunt notitiam, quæ naturalis fuit, & propterea quoq; naturaliter tantum (p) quæ legis sunt, fecerunt i. e. opera quædam externa legis prestiterunt, quibus demereri vitam æternam minimè potuerunt, cum nulla fuerit inter vitam æternam & illorum opera proportio. 3. Imò non tantùm nulla proportio; verùm etiam omnes omnium Ethnicorum quantumvis excellentes virtutes, coram Deo, peccata fuerunt. Quia non provenerunt ex fide; quicquid enim non ex fide, peccatum est (q). Deindè etsi virtutem unam atq; alteram habere potuerunt, plurimis tamen caruerunt, imò maximis econtrà vitijs et flagitijs scatuerunt: Ergo, secundum illud (r); qui in uno peccat, factus est omnium reus, eorum virtutes pro peccatis habentur. Deniq; quia non officijs sed finibus virtutes à vitijs discernantur; virtutes Ethnicorum, nam eo quo debebant fine præstita ab ijs, merito pro vitijs repu-

o) Rom. 3. 20 28. c. 4. 5. 6. 14. Act. 15. 10. 2. Cor. 3. 7. Gal. 2. 16. c. 3. 11.

p) Rom. 2. 14 15.

q) Rom. 14. 25.

r) Iacob. 2. 10.

reputantur, secundum illud Augustini: cum facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit propter quod facere debet, peccare convincitur. 4. virtutibus itaq; suis tantùm abest ut vitã consequi potuerint, ut ne quidẽ iustus suis operibus, quantumvis ex fide profectis (s), sed fide sua tantum vivat (t).

6. Vt hîc mihil de blasphemis paradoxis, quæ errorem comitantur plurima, dicamus: Quod illi Ethnici sine gratia Dei, non sine læsione iustitiæ Dei, imò sine Deo & Christo ac merito eius, sine verbo Dei & Sacramentis, sine fide, salvati fuissent. Vndè necesse est tolli vocationem, totumq; ministerium; epicureumq; contemptum Dei, Christi, verbi, Sacramentorum, totiusq; cultus Divini induci: Imò Idololatras, traditos in desideria cordis, in immunditiem, in reprobum sensum; naturâ filios iræ &c. ut Apostolus (u) Ethnicos describit, salvari.

7. Deniq; & Authoritas Patrum Ethnicis, virtutibus quantumvis claris, cælum negat. Origenes enim inquit (x): vis tu scire, quod nullius est vita æterna, nisi eius, qui credat in Christum? audi Salvatoris ipsius vocem evidenter in Euangelijs designantem: Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti J.C. Omnis n: qui non agnovit patrem solum verum Deum, & filium eius I.C. alienus est ab æternitate vitæ. Hæc enim ipsa agnitio & fides designatur vita esse æterna. Augustinus: introducis hominum genus, quod placere Deo possit sine fide Christi, lege naturæ: hoc est unde vos maximè Christiana detestatur Ecclesia. Idem: virtutes gentilium quadam indole animi ita delectant, ut eos, in quibus hæ fuerunt, vellemus præcipuè ab inferni cruciatibus liberari: nisi aliter se haberet sensus humanus, aliter iustitia creatoris. Idem alibi: Ad hoc, eos in die iudicij cogitationes defendent, ut tolerabilius puniantur, quia naturaliter, quæ Legis sunt, utcunq; fecerunt. Minus enim Fabritius quam Catilina punietur; non quia iste bonus, sed quia ille magis malus; & minus impius, quàm Catilina, Fabritius, non veræ vir-

s) Luc. 17. 10. Rom 7. 14. 15. 18. 21.
t) Habac. 2. 4. Rom. 1. 17 Gal. 3. 11 Ebr. 10. 38

u) Rom. 1. 24. 28. Eph. 2. 3.
x) in Epist. ad Rom. Ad Iulianum. Epistola 99. De vocatione gentium lib. 1. c. 3. De vita contemplativa lib. 3. c. 1.

virtutes habendo, sed à veris virtutibus non plurimum deviando. Ambrosius: Sine cultu veri Dei, etiam quod virtus videtur esse, peccatum est, nec placere ullus Deo sine Deo potest. Prosper: Apostolus non dixit: omne, quod non est ex fide, nihil est, sed dicendo, peccatum est, declaravit, quod si non fuerunt ex fide, non sunt aliqua bona credenda, sed vitia, quæ non iuvant suos operarios, sed condemnant, inflatosq; precipitant, atq; à finibus æterna salutis eliminant.

Æternum Deum ac Patrem D. N. J. C. coniunctis votis & precibus oramus, ut lucem verbi sui sinceri & incorrupti in Ecclesijs nostris divinitus accensam atq; à Calvinianis & humanis elusionibus magis magisq; vindicatam, nobis sartam tectam conservare, nosq; porrò S. S. suo spiritu in omnem veritatem ducere, suamq; virtutem in nostra infirmitate perficere velit; quò sic ἀγωνιζόμενοι ἐλέγχεται pergamus, ut bonam militemus militiam, et fidem ac bonam conscientiam retinentes, vitam æternam reportemus. Amen.

Μόνῳ τῷ Θεῷ δόξα.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0488
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0489
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0490
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0491
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757442218/phys_0492
DFG

atia Dei, quâ donatur vita æterna, præter-
gnorant Ethnici, insuper eorum quantum vis
s opponitur ità, ut illa cum hisce stare nec
it. Si enim ex gratia inquit Apostolus (g)
: alioquin gratia iam non est gratia.
æ meritoria vitæ æternæ est Christus, qui
ctivâ & passivâ peperit, & in Adamo amissam
s ipse de se testatur: (h) Ego veni, ut vitam ha-
ullo alio est salus, nec aliud nomen sub cælo dà-
teat nos salvos fieri. Omnes enim peccaverunt
Iustificantur autem gratis per gratiam ipsius,
em, quæ est in Christo Iesu, quem pro-
tiatorium per fidem in sanguine ipsius. Et
ccatis, convivificavit nos in Christo. Qui
illuminavit autem vitam et incorruptio-
. Hæc vita (æterna) est in filio ejus.
, habet vitam: qui non habet filium Dei, vi-
ictis similia plura alia addi possunt (i): qui-
itur, Ethnicos, quia ignorârunt Christum,
nè fuisse.
æternæ causa instrumentalis est duplex doctri
De illâ, quæ continet verbum & Sacra-
e S. S. Scripturæ dicta. Christus inquit (k):
es, nam vos videmini vobis in illis vitam æ-
Illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.
n erubesco Euangelium Christi; potentia
alutem omni credenti. Notum vobis fa-
d prædicavi vobis, quod et accepistis: in quo
d et salvamini. De Baptismo: Nisi quis
ua & Spiritu, non potest introire in regnum
, & baptizatus fuerit, salvus erit. Deus
lavacrum regenerationis. Baptismus nos

g) Rom. 11. 6.

h) Ioh. 10. 10. Act. 4. 12. Rom. 3. 23. 24. 25. Eph. 2. 5. 6. 2. Tim. 1. 10. 1. Ioh. 5. 11. 12.

i) Esa. 43. 25. c. 53. 4. 5. Osea. 13. 14. Zach. 9. 11. 1. Cor. 1. 29. Gal. 3. 13. c. 4. 4. 1. Pet. 1. 18. 1 Ioh. 1. 7. c. 2. 2.

k) Ioh. 3. 5. c. 6. 68. Rom. 1. 16. Ioh. 3. 5. Mar. 16. 16. Phil. 2. 16. Tit. 3. 5. 1. Pet. 3. 21.